<36630658640015

<36630658640015

Bayer. Staatsbibliothek

33

Rr -

I Publ. germ 574

Hist. Europ.

Sanvisius 5.

INAVGVRATIO, CORONATIO, ELECTIOQVE ALIQVOT IMperatorum: nempe

à D. Maximiliano Primo, ad

D. MATTHIAM AVSTRIACUM Augustum &c.

Item

De Inuestitura Electorum:

Rotenhaslebiae non 1613.

DISSERTATIO ONVPHRII PANVINII ac MICHAELIS BEVTHERI, de Septemuiratu principum Electorum, quando cæperit, &c. quæ sequens pag. latius demonstrat.

HANOVIÆ,
Typis Wechelianis apud hæredes Ioannis Aubrii.

M. DC. XIII.

BAYERISCHE
STAATS-
BIBLIOTHEK
MUENCHEN

CONTENTA IN HOC OPERE.

Coronatio Maximiliani I. Archiducis Austriæ in Regem Romanorum.

Caroli Quinti electio per Georgium Sabinum descripta.

Eiusdem Coronatio per Hartmannum Maurum.

Maximiliani II. per Adamum & Nicolaum Heydenos fratres.

Matthiæ Austriaci in Regem

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

Hungariæ per Doct. Ieſſenium Eq. Vng.

Eiuſdem in Regem Romanorum.

Inueſtitura Regalium Electoralis Dignitatis Mauritii Ducis Saxoniæ, à Mamerano Lucemburgo deſcripta.

Onuphrii Panuinii de Comitiis Imperatoriis liber.

Michaelis Beutheri de Septemuiratu principum Electorum ſententia.

Aurea Bulla Caroli IV.

Electio & Coronatio Pontificis Romani.

CORO-

CORONATIO ILLVSTRISSIMI ET SERENISSIMI REGIS MAXIMILIANI, Archiducis Austriæ &c. in Regem Romanorum: celebrata per Principes Electores Imperii in Aquisgrano.

ANno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo sexto, vigesimo octauo die Martis, inuictissimus & glorioſissimus Fridericus tertius Imperator Romanorum, semper Augustus, Maximilianus, eiusdem Friderici filius, Rex Romanorum electus, ac Principes Electores cum insigni Principum, Comitum, Baronum, multorumque Nobilium comitiua, post memorati Romanorum Regis electionem adhuc in Francfurdia perdurantium, nauigio Coloniam & Aquisgranum versus, pro electi Regis coronatione iter arripientes, eo die Pinguiam attigerunt, vbi Romanorum Regi à Dominis maioris Ecclesiæ Moguntinæ notabilis in vino & auenæ propina est oblata.

Vicesima nona die Martii, de mane Imperialis Maiestas vna cum Romanorum Rege, Duce Alberto Saxoniæ comitante visitarunt Ecclesiam collegiatam Pinguensem, audientes ibidem Missam: qua finita intrauerunt naues ad descendendum. Nautarum tamen consilio, ob venti mirabilem impetum ac multum periculosum; in loco perstetes, eodem die prandium in nauibus celebrarunt. Dominus vero Archiepiscopus Moguntinensis, recessit in naui sua cum suis: & prandio facto, Albertus Dux Saxoniæ etiam iter arripuit: sed parum longe processit propter ventum; ceteris in Pinguia tota die relinquentibus.

Trigesima die Martii de mane, Missa finita in Ecclesia Pinguensi, Imperialis Maiestas cum filio suo Romanorum Rege Maximiliano intrauerunt naues descendentes aquam.

BAYERISCHE STAATS- BIBLIOTHEK MÜNCHEN

Ipsis venientibus in ciuitatem Remis, erat ibi Dominus Archiepiscopus Moguntinus qui præcessit. Ibidem Romanorũ Rege exeunte nauem Dominus Archiepiscopus Moguntinus & Albertus Dux Saxoniæ cum duxerunt supra Cathedrã lapideã eleuatam, quæ vocatur *Sedes Regis*, situata in campis extra muros ciuitatis Remensis prope Rhenum, supra quam sedebat Rex, Romano imperio præstans iuramentum. Quẽdam de domo Ducis Sigismundi creauit Militem. Facta quoque per Archiepiscopum Moguntinum relatione, iterum se in naues receperunt.

Trigesima prima die & vltima Martii Rex Romanorum accessit Imperialem Maiestatem, & simul visitauerunt ibi Ecclesiam Fratrum minorum, audientes ibidẽ Missam: qua finita, iterum intrauerunt naues & venerunt Coloniam circa horam quartam. Ipsis venientibus, ad litrus aderat Dominus Archiepiscopus Colonienſis, Princeps Elector, in superpelliceo cum omnibus Ecclesiis collegiatis & Monasteriis processionaliter. Dominus Archiepiscopus Treuirensis, Princeps Elector, & Ernestus dux Saxoniæ, princeps Elector, receperunt Imperialem Maiestatem, & Romanorum Regem filium suum Maximilianum, cum maximo honore ac reuerentia qua decuit; habentes duos pannos Sericos eleuatos in aere ad cooperiendum Imperialem Maiestatem & Regem Romanorum: ducentes eos processionaliter ad maiorem Ecclesiam Colonienſem ante tres Reges. Oratione ac deuotione eorum ibidem facta & habita, intrauerunt chorum ad summum altare. Quibusdam ceremoniis ibidem peractis duxerunt Imperialem Maiestatem ad locum Palatii & hospitii sui: & Rege transeunte ad hospitium suũ, associauerunt excellentiæ suæ ceteri Principes. Post hoc venit Dominus Archiepiscopus Moguntinenſis in nauigio suo.

Prima die Aprilis de mane Imperialis Maiestas, Romanorum Rex cum ceteris Principibus, visitarunt maiorem Ecclesiam Colonienſem, audientes Missam in summo altari. qua finita, duxerunt Imperialem maiestatem domum: & mox vnusquisque Principum ad suum se transtulit hospitium. Ex tunc venit Dominus Philippus Comes Palatinus, Princeps Elector, in nauigio suo; quem prandio facto Romanorum Rex visitauit. Item ciuitas Colonienſis

fecit

fecit Romanorum Regi propinam de vino & auena & bobus; etiam clenodio argenteo, cum certis aureis florenis.

Secunda die Aprilis, Dominus Colonienſis & Treuerenſis venerunt ad Regem Romanorum: & poſt receſſum Domini Colonienſis, Romanorum rex vna cum Archiepiſcopo Treuirenſi, intrauerunt Eccleſiam, audientes ibidem Miſſam per cantores ſuos cantatam. Venit etiam ibidem Epiſcopus Verdunenſis, Orator Regis Franciæ. Finita miſſa redierunt cum eorum nobilibus ad hoſpitia: & Dominus Archiepiſcopus Treuirenſis manſit cum Rege in prandio. quo completo, poſt receſſum Domini Treuirenſis, venerunt Cõſules Electorum Principum ad Regem, habentes conſilium inuicem.

Tertia die Aprilis, de mane Rex viſitauit imperialem maieſtatem; & ipſa recedente aſcendit Imperator currum ſuum, & ceteri Principes Electores cum eo, in optimo ordine, verſus oppidum Duren & Aquiſgranum &c. De poſt, facto prandio Rex Romanorum cum aliquibus de ſuis ſecutus eſt. Item, ante introitum Imperialis maieſtatis in Duren, venit Dux Guliacenſis, in optimo ordine in armis, cum ducentis equis in nigro veſtitis, recipiens Imperialem maieſtatem cum Principibus Electoribus, introducendo eos, faciens eis propinas debitas. Aliqui tamen Principes Electores tranſiuerunt vltra, ad euacuandum hoſpitia, prõpter multitudinem aduenientium. De poſt, Dux Guliacenſis exiuit iterato obuiam Regi Romanorum, recipiens eundem cum honore & reuerentia, introducendo ſuam Celſitudinem, faciendo ibi propinas.

Quarta die, Miſſa finita, aſcenderũt currum; & equites eorum venerunt Aquiſgranum: vbi applicuerunt circa horam quartam de ſero. Ipſis venientibus circa ciuitatem, erant ibi Domini ciuitatis, recipientes Imperialem maieſtatem, & Romanorum regem, cum ceteris Principibus Electoribus multum gaudenter. Item erat etiam ibi Dux Cliuenſis, in optimo ordine eos Principes recipiens. Imperialis maieſtas cum appropinquaret ciuitati, exiuit currum & aſcendit equum ſuum. Et rege veniente cum aliis Principibus ad portam, erat ibi totus Clerus ciuitatis Aquenſis cum quatuor Ordinibus proceſſionaliter, cum

Crucibus & capite Sancti Caroli Regis, quod per Canonicos seniores ferebatur ; in quo erat corona sua quam habuit in vita. Illis sic visis, descendit Rex de equo, faciens reuerentiã Sancto Carolo, dando osculum Cruci ; credentia facta per Vicedecanum Aquensem, qui eandem præsentauit. Item Rege de equo descendente, erant ibi custodes ante portarium ciuitatis, pro eorum iure equum Regis recipientes.

Item erat talis ordinatio, per Regem & alios Principes, de introitu ciuitatis, & per Albertum Saxoniæ Ducem disposita; quatenus equites communes & nobiles præcederent. Deinde venit Clerus cum reliquiis Sancti Caroli Regis. Deinde Duces & Principes Electores : primo Dux Cliuensis in veste aurea: penes eum Dux Guliacensis cum Christophoro Marchione de Baden : secundo Albertus Dux Saxoniæ cum Episcopo Strigoniensi, Administratore Saltzburgensi : tertio Ernestus Dux Saxoniæ Princeps Elector & Archimarschalcus Imperii, deferens in manu sua Ensem nudum seu euaginatum ante Imperialem maiestatem : penes eum Archiepiscopus Treuirensis, & Philippus Comes Palatinus Rheni, Princeps Elector : Item Imperialis maiestas sola in ordine : quarto Rex Romanorum in veste aurea & equo albo. penes eum Archiepiscopus Colonienſis in latere dextro; Dominus Archiepiscopus Moguntinensis in latere sinistro: transeuntes isto modo ad Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis. Item post Romanorum Regem venit exercitus suus in rubeo vestitus, in quo erat Episcopus Cameracensis, Episcopus Sibenicensis, Dux Gellerensis. Post illos, exercitus Archiepiscopi Colonienſis, similiter in rubeo vestitus, cum lanceis & balliſtis bene armatis ; in quo erat Wilhelmus Lantgrauius Hassiæ. Post hoc Ambasiatores Ducis Sigismundi, & aliorũ Principum, cum multis Nobilibus in magno numero, qui missi erant, &c.

Item in illo introitu inerant trini, hoc est, tres & tres simul: & durauit iste introitus bene ad horam cum dimidia Item ab introitu ciuitatis vsque ad Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis, & per totam ciuitatem, tres viri in equis proiecerunt pecunias cum manibus ad populum. Item in porta Ecclesiæ descendit Rex Romanorum de equo suo : & Marschalcus Guliacensis accepit de iure equum suum, tanquam præfectus regni.

Item

Item Vicedecanus cum seniori Canonico fecerunt suæ Excellentiæ interpretationem illorum duorum Signorum, stantium ante ostium Ecclesiæ super duo pilaria lapidea; quorum vnum est Lupa, aliud Linguæ multæ: ad interpretationem siue significationem, quatenus Rex debet esse defensor regni; quemadmodum Lupa defendit suos iuuenes præ aliis animalibus. Etiam Rex debet præesse omnibus linguis.

Qua finita, intrauerunt Ecclesiam. Ibi erat vnum paruum scamnum in medio, supra quod erat tensus vnus pannus de veluto, cum similibus cussinis; in quibus Rex posuit se ad genua. Imperator cum ceteris Electoribus & Principibus steterunt, fundentes orationes eorum ante imaginem Beatæ Virginis, & Regis sancti Caroli. Tempore medio cantabatur, *Te Deum laudamus*, in organis. quo finito, Rex obtulit ad altare B. Virginis certas pecies auri.

Quibus cæremoniis completis, associauerunt Imperialē maiestatem ad hospitium. De post veniunt omnes Principes Electores cum Rege ad suam Curiam: & ibi primum portabatur gladius nudus ante Regem, per Ernestum Ducem Saxoniæ, Principem Electorem & Archimarschalcum Imperii &c. Deinde vnusquisque ad suum se transtulit hospitium.

Quinta die Aprilis Romanorum Rex & ceteri Electores Principes visitauerunt Imperialem maiestatem. Et prandio facto, venit Rex ad Domum Ciuitatis: ibi erant omnes Electores congregati habentes consilium. Quo peracto, fuerunt missi Archiepiscopus Moguntinensis & Archiepiscopus Colonienſis ad Ecclesiam, ad ordinandum & disponendum requisita pro coronatione Regis Romanorum, quæ nondū erat parata. quare prolongata fuerat pro tunc coronatio vsq; ad diem nonam Aprilis. tunc sexta hora omnia erant parata pro coronatione Regis. Item de Domo ciuitatis Rex visitauit Imperialem maiestatem. ipso ibidem existente, venit Magister Curiæ Domini Colonienſis, significans Imperatori & Romanorum Regi prolongationem coronationis, propter nullam dispositionem factam. Et de post Rex rediit, significando suis eandem prolongationem. Item Ciuitas Aquensis propinauit Regi sex boues, & sex plaustra vini; & totidem Imperatori.

Sexta die Aprilis, de mane venit Dux Guliacensis ad Regem; & de post simul visitauerunt Ecclesiam B. Mariæ

Virginis, in qua erat Imperator cum cæteris Electoribus, ibidem Missam audientes. qua finita, redierunt cum Imperiali maiestate ad suum hospitium, & vnusquisque ad suum locum. Post prandium Rex iuit ad domum ciuitatis. ibi erant omnes Electores, habentes consilium insimul cum Rege Romanorum, & de post ad sua se transtulerunt loca.

Septima die Aprilis, de mane Rex accessit iterum ad Domum ciuitatis: ibi iterum venerunt ceteri Electores habentes consilia simul.

Item finita Missa per cantores Regios in Ecclesia cantata, accessit & Imperialis maiestas ad Domum ciuitatis, consilium eorundem ineundo. quo peracto Electores iuerunt prandium. Cum Domino Colonienſi prandus est Dominus Moguntinus, Comes Palatinus Rheni, & Albertus Dux Saxoniæ.

Item post prandium Philippus Comes Palatinus visitauit Regem ceteri Electores iterato inierunt consilium in Domo ciuitatis. Et Dominus Palatinus post recessum à Rege, similiter accessit eos.

Item Rex Romanorum habuit publicum consistorium in sua Curia cum Consulibus omnium Electorum & aliorum Principū. ibi iudicialiter agebatur quædam causa ardua.

Octauo die Aprilis venerunt ceteri Electores ad Ecclesiam ad audiendam Missam ante B. Virginem. qua finita, iuerunt in Sacristiam, habentes consilium. Venit similiter Imperator, etiam audiens Missam, cantatam de Domina nostra qua finita, exiuerunt Electores Principes simul ad Imperialem maiestatem, & de post simul cum Cæsarea maiestate habuerunt consilium. Rex interim mansit in sua Curia.

Nona die Aprilis, de mane hora tertia ponebatur vnus integer bos, in valore septem florenorum Rhenensium, ad assandum ante hospitium Domini Regis, in quo erat vnus porcus, vna auca, & gallina simul assati; vt in coronatione Romani Regis moris & consuetudinis est. Postea hora debita & determinata venit vnus nomine Regis, scindens vnam peciem & partem illius bouis assati pro rege. quo facto, omnes vtriusque sexus homines accesserunt, & dilacerabant illum bouem assatum cum gladiis & fustibus, tãtum quantũ possibile fuit sumente vnoquoque. Tempore medio adplicuit Johannes de Horren Episcopus Leodienſis, cum ducentis equis

quis & vltra, in ordine bene armatis, & omnes in habitu Curialium Regis.

Item ante Palatium Regis Romani erat vnus fons in aere factus, in quo erat vna Aquila nigra habens arma Regis Romani; ex cuius pectore exiuit vinum Rhenense In latere Aquilæ dextro erat factus Leo aureus, tenens bannerium cum armis Brabanciæ; ex quo Leone similiter exiuit vinum Rhenense In latere sinistro Aquilæ erat Leo niger cum armis Flandriæ, simili modo emittens vinum Rhenense, ibi erat maxima pressura pauperum & aliorum hominum.

Item circa horam sextam de mane venerunt Imperialis maiestas, Comes Palatinus Rheni, Princeps Elector, Ernestus Dux Saxoniæ Princeps Elector, Dux Cleuensis, Albertus Dux Saxoniæ, Dux Guliacensis ad Romanorum Regem. Ipsis ibidem existentibus induebant se illi duo Electores quemadmodum ipsis, tanquam Electoribus, conuenit & eos decuit: transeuntes ad Ecclesiã isto ordine. Nobiles præcesserunt: de post Episcopi: post ipsos Albertus Dux Saxoniæ, Dux Guliacensis, Dominus Cleuẽsis, qui habuit vnã manicã cũ perlis preciosissimã; in pileo suo vnũ clinodium, etiã cum perlis & gemmis preciosis ornatum Demum Imperialis maiestas in veste aurea, cum torq; preciosissima, habente eleuationes vndiq; cum vna cruce preciosissima. Penes Imperatorẽ in latere dextro, Rex Romanorũ filius suus Maximilianus, cum mantello aureo foderato cũ hermelinis, pendente super humero suæ celsitudinis vsque ad medium brachiorum suorum; cuius clausura ante erat de perlis & gemmis preciosis. In capite habuit birretum aureum simili foderatura foderatũ, versum more Italico. Apud Imperialem maiestatẽ in latere sinistro Ernestus Dux Saxoniæ Princeps Elector, in simili cappa & veste de veluto rubeo, & magno birreto alto de scarlaca rubea, subducta simili foderatura hermelinis. Philippus Comes Palatinus Princeps Elector in latere dextro Regis, simili modo vestitus cum birreto de veluto rubeo, sic simul intrantes Ecclesiam. In ambitu Ecclesiæ venerunt eis obuiam Principes Electores spirituales, scil. Archiepiscopus Colonienſis, Archiepiscopus Moguntinensis & Treuirensis, in Pontificalibus, cũ mitris & croceis, seu Episcopalib. baculis eorũ Etiam Clerus cũ crucibus, turribulo, & textu Euangelii: etiam quam plures alii Prælati Episcopi & Abbates in Pontificalibus eo-

rum, recipientes eosdem Principes. In quorum receptione Archiepiscopus Colonienſis, tanquam celebraturus officium, dixit, *Adiutorium noſtrum in nomine Domini &c. Sit nomen Domini benedictum, &c.* cum ſequenti collecta: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum Maximilianum regni faſtigio dignatus es ſublimare; tribue ei quæſumus, vt ita in præſenti ſeculi curſu cunctorum communem ſalutem diſponat, quatenus à tua veritatis tramite non recedat. Per Dominum &c.* Qua collecta dicta Archiepiſcopus Moguntinenſis & Treuerenſis ſuſceperunt Regem Romanorum, vnus ex vno latere, alter eorum ex altero latere ducentes eum ad Eccleſiam. Et Archiepiſcopus Colonienſis præceſſit, & cum eo prædicta Proceſſio, cantantes vnam antiphonam, ſcil. *Ecce mitto Angelum meum qui præcedat te & cuſtodiat ſemper. Obſerua & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis: affligentes te affligam.* Et *præcedat te Angelus meus.* Verſus: *Iſrael, ſi me audieris, non erit in te Deus recens, neq; adorabis Deum alienum. Ego enim Dominus. Obſerua & audi vocem meam, &c.* Qua finita Rex proſtrauit ſe, ſuper tapetum ad gradus altaris, totus in longum. & Archiepiſcopus Colonienſis ſuper ipſum ſic proſtratum legit: *Domine ſaluum fac Regem.* Aſſiſtentes reſpondebant: *Exaudi nos in die in qua inuocauerimus te,* cum ſequenti collecta: *Deus, qui ſcis genus humanum nulla virtute poſſe propria ſubſiſtere, concede propitius vt famulus tuus Maximilianus quem populo tuo voluiſti præferri, ita tuo fulciatur adiutorio, quatenus quibus potuerit præeſſe valeat & prodeſſe. Per Dominum noſtrum.*

Alia collecta: *Omnipotens ſempiterne Deus, cœleſtium terreſtriumque moderator, qui famulum tuum Maximilianum ad regni faſtigium dignatus es prouehere: concede quæſumus, vt à cunctis aduerſitatibus liberatus, & Eccleſiaſtica pacis dono muniatur, & ad æternæ pacis gaudia peruenire te donante mereatur. Per Dominum, &c.*

Poſt hoc Rex Romanorum poſuit ſe in vna regia ſede ante altare Mariæ Virginis bene ornata: & modicum retro in vno paruo ſcamno in latere dextro Regis ſedebat Archiepiſcopus Moguntinus, in ſiniſtro latere Archiepiſcopus Treuirenſis: & retro illos ſtabant Epiſcopus Strigonienſis, Dux Gulichenſis, Albertus Dux Saxoniæ, Dux Cleuēſis, & Caſparus Dux Bauariæ, Comes in Feldentz. Item in latere dextero altaris

tatis erat Imperialis maiestas in vna sede alta trium graduum, honorifice ornata. Penes eum in latere sinistro erat Philippus Comes Palatinus Rheni, Princeps Elector, & Ernestus Dux Saxoniæ Princeps Elector. Et in continenti incipiebatur Missa solennis de die Epiphania Domini; scilicet, *Ecce aduenit Dominator Dominus, & regnum in manu eius, & potestas, & imperium, &c.* quæ cantabatur in cãtu Gregoriano Idem Sequentia cantata. Surrexerunt Archiepiscopi Moguntinensis & Treuirensis, & superiorem vestem Regi deposuerunt, & ab infra in vestitu deaurato incessit in medio illorum, & ante altare prostratus in modum crucis. Et cantabatur Letania à duobus Clericis. Depost Dominus Archiepiscopus Colonienſis erexit se, tenens baculum suum in manu sua, dixit: *Vt hunc famulum tuum Maximilianum in Regem eligere digneris.* Respondent Clerici; *Te rogamus audi nos.* Item Dominus Colonienſis dixit; *Vt eum benedicere, sublimare & consecrare digneris.* Respondent Clerici; *Te rogamus audi nos.* Item Archiepiscopus Colonienſis dixit; *Vt eum ad regni & imperii fastigium feliciter perducere digneris.* Respõderunt Clerici; *Te rogamus audi nos.* Deinde duo Clerici compleuerunt Lætaniam, *Vt Pontificem nostrum, &c.* Lętania finita erexit se Rex, & Dominus Archiepiscopus Colonienſis stans ante altare, habens baculum pastoralem in manu sua, interrogauit à Rege sex puncta sequentia: *Vis sanctam fidem Catholicis viris traditam tenere, & operibus iustis seruare?* Respondit Rex, *Volo.* Colonienſis: *Vis sanctis Ecclesiis Ecclesiarumque ministris fidelis esse tutor & defensor?* Respondit Rex, *Volo.* Colonienſis: *Vis regnum tibi à Deo concessum secundum iustitiam prædecessorum tuorum regere, & efficaciter defendere?* Respondit Rex, *Volo.* Colonienſis: *Vis iura regni, & imperii bona eiusdem iniuste dispersa conseruare & recuperare, & fideliter in vsus regni & imperii dispensare?* Respondit Rex, *Volo.* Colonienſis: *Vis pauperum & diuitum, viduarum & orphanorum æquus esse iudex, & pius defensor?* Respondit Rex, *Volo. Vis sanctissimo in Christo Patri & Domino, Romano Põtifici, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ subiectionem debitam, & fidem reuerenter exhibere?* Quibus dictis, Rex per Archiepiscopos Moguntinensem & Treuirensem ductus est ad altare, & positis duobus digitis manus suæ dextræ super altare, dixit, *Volo: & in quantum Dominico fultus fuero adiutorio, &*

precibus fidelium Christianorum adiutus valuero, omnia promissa fideliter adimplebo, Sic me Deus adiuuet, & omnes Sancti eius.

Hoc facto, per Archiepiscopos prædictos reducebatur iterũ ante altare cum baculo Episcopali, quæsiuitque à Principibus Alemanniæ & Clero & Populo circumstantibus; *Vultis tali Principi ac rectori vos submittere, ipsiusque regnum firmare fide & stabilire, atque iussionibus illius obtemperare? iuxta Apostolum Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, siue Regi, tanquam præcellenti?* Ad quã quæstionem Dominus Moguntinus & Treuirensis, Principes Alemanniæ, Clerus & Populus adsistentes responderunt, dicentes, *Fiat, fiat, fiat.*

Deinde adducunt Regem ad altare, qui prostrauit se ad terram in longum, & Dominus Archiepiscopus Coloniensis dixit super eum benedictionem istam: *Benedic, Domine, hunc Regem nostrum Maximilianum, qui regna omnia moderaris à seculo: & tali eum benedictione clarifica, vt Dauidica teneat sublimitatis sceptrum, & glorificatus vt in eius protixus reperiatur merito. da ei tuo inspiramine, cum mansuetudine ita regere populum, sicut Salomonem fecisti regnum obtinere pacificum. Tibi semper sit cum honore subditus, tibique militet cum quiete. sit tuo clypeo protectus cum Proceribus, & vbique tua gratia victor existat. Honorifica eum pra cunctis Regibus gentium. felix populis dominetur; & feliciter eum nationes adorent. viuat inter gentium caternas magnanimus. Sit in iuditiis aquitatis singularis. Locupletet eum tua prædiues dextra. frugiferam obtineat patriam; & eius liberis tribuas profutura, & præsta ei prolixitatem vitæ per tempora, & in diebus eius oriatur iustitia. A te robustum teneat regiminis solium; & cum iustitia ac iucunditate aterno glorietur in regno.*

Item Archiepiscopus Coloniensis adhuc super eum dixit: *Deus ineffabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperii, confirmator regni, qui ex vtero fidelis amici tui Patriarchæ nostri Abrahæ prælegisti Reges seculi profuturos; tu præsentem Regem hunc Maximilianum cum exercitu suo, per interceſſionem omnium Sanctorum vbera benedictione locupleta, & in solium regni firma stabilitate connecte. Visita eum sicut Moysen in mari rubro, Iosuen*

Iuen in prælio, Gedeonem in agro, Samuelem in templo; & illa benedictione eum considera, ac sapientiæ rore perfunde quam beatus Dauid in Psalterio, Salomon filius eius te remunerante percepit de cœlo. Sis ei contra acies inimicorum lorica, in aduersis galea, in improsperis patientia, in protectione clypeus sempiternus; & præsta vt gentes illi teneant fidem, Proceres sui habeant pacem; diligat caritatem, abstineat se à cupiditate, loquatur iustitiam, custodiat veritatem; & ita populus iste sub eius imperio pullulet; ita altius benedictione æternitatis, vt semper maneant triumphantes, & in pace victores. quod ipse præstare dignetur qui viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

Benedictione finita erexerunt Regem ad genua, & denudauerunt scapulas suas, & pectus, & iuncturas brachiorum suorum. Sedit cum deuotione iunctis manibus. Accessit Archiepiscopus Colonienſis; vnxit eum in capite, in pectore, inter scapulas, & ambas iuncturas brachiorum circa scapulas de oleo cathecuminorum; ita dicens: *Pax tibi.* Clerus respondit: *Et cum spiritu tuo.* Dominus Colonienſis iterum dixit: *Vngo te in Regem oleo sanctificato, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Interim cantauerunt in choro: *Vnxerunt Salomonem Sadoch sacerdos & Nathan Propheta Regem in Geon; & procidentes læti dixerunt; Viuat rex in æternum.* Postea Colonienſis vnxit palmas manuum Regis Romani, dicens: *Vngantur manus istæ de oleo sanctificato, vnde vncti fuerunt Reges & Propheta; & sicut vnxit Samuel Dauid in Regem; vt sis benedictus & constitutus Rex in regno isto super populum istum, quem Dominus Deus tuus dederit tibi ad regendum & gubernandum quod ipse præstare dignetur qui viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.* Interea Clerus iterum cantauit: *Vnxit te Deus, &c.*

Factis vnctionibus istis statim ab Archiepiscopis ducitur Rex ad sacristiam; & seniores Capituli detergentes cum lana mundissima loca inuncta, vbi Dominus Colonienſis oleum sacrum apposuit.

Item hoc facto Domini de Capitulo induebant eum sandaliis, alba & stola, in modum Crucis in pecto-

re;& rediens ante altare prosternit se in modum crucis. Tunc Archiepiscopus Colonienſis dixit: *Prospice, Omnipotens Deus, serenis obtutibus hunc glorioſum Regem Maximilianum: & ſicut benedixiſti regem Abraham, Iſaac, & Iacob. ſic illum largis benedictionibus ſpiritualis gratiæ, cum omni plenitudine tuæ potentiæ irrigare atque perfundere digneris. Tribue ei de rore cœli & de pinguetudine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei, & omnium frugum opulentiam, ex largitate diuini muneris longa per tempora; vt illo regnante ſit ſanitas corporis in patria, & pax inuiolata in regno. dignitas glorioſa regalis Palatii maximo ſplendore regiæ poteſtatis oculis omnium fulgeat, luce clariſſima clareſcat, quaſi ſplendidiſſima fulgura maximo perfuſus lumine videatur. Tribue ei, optime Deus, vt ſit fortiſſimus protector patriæ & conſolator Eccleſiarum atque cœnobiorum ſanctorum, maxima cum pietate regalis munificentiæ; atque vt ſit fortiſſimus Regum, triumphator hoſtium, ad opprimendas rebelles & paganas nationes; ſitque inimicis ſuis ſatis terribilis, præ maxima fortitudine regalis potentiæ. Optimatibus quoque atque præcelſis proceribus atque fidelibus ſui regni ſit magnificus, & amabilis & pius; vt ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis eius per ſucceſſiones tẽporum futurorum egrediantur, regnumque hoc valeant regere totum, & poſt glorioſa tempora atque felicia præſentis vitæ, gaudia æterna in perpetua beatitudine habere mereantur. quod ipſe præſtare dignetur qui viuit, &c.*

Adhuc alia collecta ſiue benedictio.

Spiritus ſancti gratia humilitatis noſtræ officio in te copioſa deſcendat; vt ſicut manibus noſtris indigens oleo materiali delibutus pingueſcis exterius: ita eius inuiſibili vnguento delibutus impinguari merearis interius; eiuſq; ſpirituali vnctione perfectiſſime ſemper imbutus, & illicita declinare à tota mente, & ſpernere diſcas, ſi valeas, & vtilia animæ tuæ iugiter cogitare, optare, atque operari queas: auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Deo patre & eodem Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſæcula.

Adhuc alia benedictio Regis.

Deus qui es iuſtorum gloria, & miſericordia peccatorum, qui miſiſti filiũ tuũ precioſiſſimo ſanguine ſuo genus humanũ redimere,

mere, qui conteris bella, & Pugnator es in te sperantium; & sub cuius arbitrio omnium regnorum continetur potestas; te humiliter deprecamur vt præsentem famulum tuum Maximilianum in tua misericordia confidentem benedictas, eique propicius adesse digneris, vt qui tua expetit benedictione defendi, omnib. sit hostibus fortior. fac eum, Domine, beatum esse & victorem de inimicis suis. corona eum corona iustitiæ & pietatis, vt ex toto corde & tota mente in te credens tibi deseruiat, sanctamque tuam Ecclesiam defendat & sublimet, populumq; à te sibi commissum iuste regat, nullis insidiantibus malis eum in iniustitiã vertat. Accende, Domine, cor eius ad amorem gratiæ tuæ, per hoc vnctionis oleum, vnde vnxisti Sacerdotes, Reges & Prophetas, quatenus iustitiam diligeres, per tramitem iustitiæ populum similiter ducens. post peracta à te dispositа in regali excellentia, annorum curricula peruenire ad gaudia æterna mereatur. Per eundem &c.

Quibus collectis siue benedictionibus dictis, cantabatur vna præfatio pulcra per Archiepiscopum Colonienſem, quæ sequetur. *Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus Deo nostro. Vere dignum & iustum est æquum & salutare nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine, sancte pater, omnipotens, æterne Deus, creator omnium, imperator Angelorum, regnãtium Rex, Dominusque dominantium; qui Abrahã famulum tuum de hostibus triumphare fecisti; Moysi & Iosuæ populo prælatis multiplicem victoriam tribuisti; humilemque Dauid puerũ tuũ regni fastigio sublimasti, & Salomonẽ sapientia pacisque munere ditasti, respice quæso ad preces humilitatis nostræ, & super hunc famulum hunc Maximilianum, quem supplici deuotione in Regem elegimus, benedictionum dona in eo multiplica, eumque dextera tuæ potentiæ semper & vbique circunda; quatenus prædicti Abrahæ fide fideliter firmatus, Moysi mansuetudine fretus, Iosue fortitudine munitus, Dauid humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibique in omnibus placeat, & per tramitem iustitiæ semper incedat: Ecclesiam tuam deinceps cum plebibus sibi annexis ita enutriat ac doceat, muniat & instruat, contraque omnes visibiles & inuisibiles hostes eidem potenter regaliterque tuæ virtutis regimine administret, & ad veræ fidei pacisq; concordiã eorum animos te opitulante reformet; vt horum populorum debita subiectione fultus, cum digno amore glorificatus, ad paternum decenter so-*

lium tua miseratione conscendere mereatur. Tua quoque protectionis galea munitus, & scuto insuperabili inguer protectus, armisque cœlestibus circundatus, optabilis victoriæ triumphum feliciter capiat, terroremque suæ potentiæ infidelibus inferat & pacem tibi militantibus latanter reportet. per Dominum nostrum, qui virtute sanctæ Crucis Tartarum destruxit; regnoque Diaboli superato, victor ad cœlos ascendit, in quo potestas omnis regum consistit & victoria; qui est gloria humilium, & vita salusque populorum. qui tecum viuit &c.

Adhuc alia præfatio.

Deus Dei filius Iesus Christus Dominus noster, qui à patre oleo exultationis vnctus est præ participibus suis, ipse per præsentem sacræ vnctionis infusionem Spiritus paracleti super caput tuum infundat benedictionem, eandemque vsque ad interiora cordis tui penetrare faciat; quatenus hoc visibili ac tractabili dona inuisibilia percipere, & temporali regno iustis moderaminibus exacto, æternaliter cum eo regnare merearis, qui solus sine peccato, Regum rex, viuit & regnat, & gloriatur cum Deo patre in vnitate eiusdem Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum.

Quibus præfationibus finitis, Dominus Rex Romanorum induebatur vna cappa per Archiepiscopos Moguntinensem, Treuirensem & Colonienſem, tradentes simul gladium nudum S. Karoli; Archiepiscopo dicente: *Accipe gladium per manus Episcoporum licet indignas (vice tamen & auctoritate sanctorum Apostolorum consecratas) tibi regaliter impositum, nostræque benedictionis officio, in defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ diuinitus ordinatum: & esto memor de quo Psalmista prophetauit, dicens: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime; vt in hoc per eundem vim æquitatis exerceas, iniquitatis violentiam potenter destruas, & sanctam Dei Ecclesiam eiusque fideles propugnes ac protegas: nec minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes execres ac destruas: viduas ac pupillos clementer adiuues ac defendas; desolata restaures, restaura-*

ta con-

tã conſerues ; vlciſcaris iniuſta, confirmes bene diſpoſita : quatenus hæc in agendo virtutum triumpho glorioſus iuſtitiaque cultu egregius cũm mundi Saluatore, cuius typum geris in nomine, ſine fine merearis regnare. qui tum patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus.

Quibus dictis, poſueruht gladium nudum in vaginam, & cinxerunt Regem eodem gladio. Et Archiepiſcopus Colonienſis tradidit ei armillos, pallium, & annulum, dicens : *Accipe Regiæ dignitatis annulum, & per hunc catholicæ fidei cognoſce ſignaculum : & vt hodie ordinaris caput & princeps regni ac populi ; ita perſeuerabilis auctor ac ſtabilitor Chriſtianitatis & Chriſtianæ fidei ſias ; vt felix in opere tuũ Rege regum glorieris per ævum : cui eſt honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.*

Quibus dictis, Colonienſis tradidit ei ſceptrum, & pomum regale, dicens : *Accipe virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios & terrere reprobos, errantibus viam pandere, lapſiſque manum porrigere : diſperdaſque ſuperbos, & releues humiles ; & aperiat tibi oſtium Ieſus Chriſtus Dominus noſter : qui de ſe ipſo ait : Ego ſum oſtium : per me ſi quis introierit, ſaluabitur. & ipſe eſt qui eſt clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſrael, qui aperit, & nemo claudit ; claudit & nemo aperit. ſitque tuus ductor qui educat vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris & vmbra mortis ; & in omnibus ſequi merearis eum, de quo Propheta Dauid cecinit : Sedes tua in ſæculum ſæculi : virga æquitatis, virga regni tui : & imitando ipſum, diligas iuſtitiam & odio habeas iniquitatem. quia propterea te vnxit Deus tuus ; ad exemplum illius, quem ante ſæcula vnxerat oleo exſultationis præ participibus ſuis, Ieſum Chriſtum dominum noſtrum.*

His finitis, Colonienſis, Moguntinus & Treuirenſis Archiepiſcopi omnes tres ſimul impoſuerunt Regi coronam S. Karoli ſuper caput eius, pariter dicentes : *Accipe coronam regiam ac regni, quæ licet ab indignis Epiſcoporum manibus capiti tuo imponitur, quamquam ſanctitatis gloriam & opus fortitudinis expreſſe ſignificare intelligas : & per hanc te Principem miniſterii non ignoras. ita vt ſicut nos, in interioribus paſtores rectoreſque animarum intelligi-*

mus; ita & tu in exterioribus verus Dei cultor strenuusque contra omnes aduersitates Ecclesiæ Christi, defensor, regnique tibi à Deo dati existas: & per officium nostræ benedictionis, vice Apostolorum omniumque Sanctorum suffragio, tuo regimini commissi, vtilis exsecutor, regnatorque proficuus semper appareas: vt inter gloriosos Athletas virtutum gemmis ornatus, & præmio sempiternæ felicitatis coronatus, cum redemptore ac saluatore nostro Iesu Christo, cuius nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris; qui viuit & imperat Deus cum Deo patre in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Omnibus his dictis, ductus est Rex ad altare per Archiepiscopos Moguntinum & Treuirensem. ibi ponens ambas manus super altare, faciens hanc professionem in vulgari: *Profiteor & promitto coram Deo & Angelis eius amodo & deinceps legem & iustitiam, pacemque sanctæ Dei Ecclesiæ seruare; populoque mihi subiecto prodesse, & iustitiam facere, & conseruare iura regni, saluo condigno diuinæ misericordiæ respectu: sicut cum consilio Principum & fidelium regni atque meorum melius invenire potero. Sanctissimo Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ, ceterisque pontificibus & Ecclesiis Dei, condignum & canonicum honorem volo exhibere. Ea etiam quæ ab Imperatoribus & Regibus, Ecclesiis seu Ecclesiasticis personis collata sunt & erogata, inuiolabiliter ipsis conseruabo, & faciam conseruari. Abbatibus & Ordinibus vasallis regni, honorem congruum volo portare & exhibere, Domino nostro Iesu Christo mihi præstante auxilium, fortitudinem & decorem.* Qua professione facta, ductus est Rex per Dominos Archiepiscopos Moguntinensem & Treuirensem ad solium suum seu sedem regiam, quæ est superius super altum monasterium, ante altare Apostolorum Simonis & Iudæ; Clero cantante responsorium istud: *Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.* Versus. *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Et voluntati.* Et Dominus Archiepiscopus Colonienſis sequebatur cum suis ministris Regem, cum ceteris Principibus, ponentes eum ad eandem sedem regiam Karoli lapideam. Ibi Colonienſis dixit: *Ita retine amodo locum Regium, quem non iure hæreditario, neque paterna successione, sed Principum, seu Electorum in regno Alemanniæ,*

tibi

tibi noſcas delegatum, maxime per auctoritatem Dei omnipotentis & traditionem noſtram præſentem; & omnium Epiſcoporum ceterorumque ſeruorum Dei. Et quanto Clerum ſacris altaribus propinquiorem proſpicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris; quatenus mediator Dei & hominum, te mediatorem Cleri & plebi in hoc regni ſolio conſeruet; & in regno æterno ſecum regnare faciat Ieſus Chriſtus Dominus noſter rex regum & dominus dominantium; qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus &c. Rege ſic in ſede regia ſedente, mox acceſſerunt qui ad militiã creari deſiderauerant, cum gladium S. Karoli extraxit Rex tenens in manu ſua: & acceſſit primo Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps Elector Imperii: deinde Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector Imperii; depoſt Dux Guliacenſis, Caſparus Dux Bauariæ Comes in Feldens, Carolus Dux Geldriæ, Marchio de Baden, Wilhelmus Landgrauius Haſſiæ in Caſſel, Wilhelmus de Egmond, cum quampluribus aliis, in numero ducentorum & vltra, facti milites. Et factus eſt ſonus tubarum.

Deinde deſcenderunt inferius in locum priſtinum chori. ibi cantauerunt, *Te Deum laudamus.* quo finito, legebatur Euangelium: *Cum natus eſſet &c.* Depoſt *Credo in Deum &c. Offertur. Reges Tarſis &c.*

Deinde Rex Romanorum ſceptrum in manu ſua portans, ibat ad offertorium, offerens quam plures pecies auri, &c. Deinde ibat Archiep. Moguntinenſis & Treuirenſis, & poſtea alii Principes Electores, &c. Sic proceſſum fuit in Miſſa vſque ad Pacem. Ibi Archiepiſcopus Colonienſis vertit ſe verſus populum, dando Regi & ceteris Principibus benedictionem, dicens: *Benedicat tibi Dominus cuſtodiatque te, & ſicut te voluit ſuper populum ſuum eſſe Regem, ita in præſenti ſæculo felicem, & æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem.*

Reſponderunt Amen. Item Miſſa finita vocatus fuit Comes de Chymay, & factus eſt per Imperatorem Princeps de Chymay. Item venerunt Capitulares Eccleſiæ Aquenſis, recipientes Regem Romanorum in Canonicum; qui ipſis præſtitit iuramentum, quoniam præbendam habet in eadem Eccleſia: & dederunt ſibi locum in choro. Ipſe quoque dedit ſtatuta & vinum admiſſionis, iuxta conſuetudinem Eccleſiæ. & habet duos vicarios in loco, qui capiunt integram præben-

dam,& supplent locum suum in Ecclesia. Sic coronatio Regis finem habet.

Istis sic peractis exiuerunt Ecclesiam ad locum prandii, scilicet Domum Ciuitatis, paratum isto ordine. Nobiles præcesserunt: postea Comites & Barones in magna multitudine: deinde tubicinatores & heraldi: postea Prælati, Episcopi & Principes; deinde Electores Imperii primo Archiepiscopus Treuerensis, secundo Ernestus Dux Saxoniæ cum gladio nudo ante regem. In latere eius dextro Philippus Comes Palatinus cum pomo aureo: in sinistro latere Electus Augustensis, habens penes se vnum deferens sceptrum, loco Marchionis de Brandenburg, qui obiit. Tunc Romanorum Rex cum corona regia & cappa, habens gladium in femore, & coronam in capite; in cuius latere dextro Archiepiscopus Colonienſis, in sinistro Archiepiscopus Mogunt inus, cum eorum vestimentis ac ornamentis, prout eis tanquam Electoribus conuenit & decens erat. Imperialis maiestas cum sua corona & cappa Imperiali, & suo heraldo.

Item in itinere transeundo vsque ad Domum ciuitatis nomine Regis seminabatur vel proiiciebatur ad populum pecunia, floreni scilicet Rhenenses, & moneta argentea in valore trecentorum florenorum. & populus magis sequebatur pecuniam quam Regem.

Ipsis sic existentibus supra Domum ciuitatis, in qua Rex fecit parari magnum conuiuium omnibus Principibus, &c. descendit Ernestus Dux Saxoniæ Princeps Elector, & sacri Romani imperii Archimarschalcus, ascendens equum veniens ad magnum cumulum auenæ positum in foro ante Domum Ciuitatis Aquensis; intrans auenam cum equo suo vsque ad pectus equi, habens vnum modium & hostorium siue baculum argenteum in manu sua, ad mensurandum auenam. Recipiens suum modium mensurandi argenteum, impleuit auena, mensurauit, & tradidit vni ex suis: & sic compleuit officium suum &c. Et post recessum suum incontinenti erat ibi tanta pressura hominum, residuum auenæ recipientium, quatenus seminabatur & proiiciebatur quasi per totū forum, &c.

Item ascendit Imperialis maiestas Domum ciuitatis, abstraxitque se in vna camera, exuens Pontificalia sua, & rediens ad mensam in capite aulæ transuersaliter factam & ornatam sex gradibus altam & eleuatam, in qua sedebat sua maiestas,

testas, & Rex Romanorum filius suus Maximilianus. Item mensa erat cooperta de panno aureo, cum armis Burgundiæ pretiosissime ornata. In sinistro latere erat vna credentia septem stadiis alta, ornata vasellis pretiosissimis, non paruas sed magnas, vltra ducentas, pecies aureas & argenteas connumeratas, demptis scutellis argenteis ac scyphis. Imperator vero, volens locum dare filio suo honoris, tanquam sponso Dei, nullam parari fecit credentiam, licet inter omnes Principes habeat pretiosissimam.

Et cum Imperator & Rex Romanorum ad prandium irent, venit Electus Episcopus Augustensis, de Hohenzorn dictus locum Marchionis Brandeburgensis suppleuit cum ceteris Comitibus, Ernesto Duce Saxoniæ præcedente cum baculo, aquam porrexit & manutergium. Aqua in peluibus argenteis erat. Item tres Archiepiscopi benedictionem & Benedicite dixerunt: & sigillum de Cancellaria Imperatoris ceperunt, ante Regem posuerunt cum vno baculo. Ipsis sic sedentibus, & Electoribus Romani imperii mensæ astantibus, Ernestus Dux Saxoniæ Princeps Elector, tanquam Archimarschalcus cum baculo nigro in manu, & Comes Palatinus Princeps Elector ac Dapifer Romani Imperii post ipsum, accesserunt ad coquinam Regis. Ibi Comes Palatinus equitando de coquina Regis, quatuor scutellas argenteas in manibus perduxit. descendens ante Domum ciuitatis de equo, ascendit Domum Ciuitatis Ernesto Duce Saxoniæ præcedente cum baculo, portauit scutellas argenteas cū ferculis in manibus. & ad mensam Regis collocauit. Et postquam Principes Electores sua officia exercuerant, quilibet Princeps Elector solus sedebat ad mensam sibi paratam, cum sua propria credentia.

Ordo sedentium in prandio.

In capite & in medio Aulæ vel Palatii, sedebat Imperialis maiestas. & Rex Romanorum filius suus Maximilianus, in mensa ipsis parata & ornata, sex graduum alta: quibus ministrando astabant Principes, Comites & Barones: inter quos Princeps de Chymay, & Dux Geldriæ erant primi. Vnicuiq; vero Principi Electori de sui ipsius familia ministrabant Comites Barones ac nobiles.

Item in latere dextro & loco procliuiore Palatii, sedebat primo Archiep. Colonienſis Princeps Elector imperii. Secũdo parata erat vna mensa pro Rege Bohemiæ, quæ erat vacua propter eius abſentiam Tertio Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps Elector ſedebat etiam ſolus in mensa ſibi parata. Quarto ſedebant Oratores Ducis Auſtriæ. Quinto loco Epiſcopi, Leodienſis, Wormacienſis, Sibicinenſis & Myſenenſis &c. Sexto ordine vel loco ciuitas Aquenſis. Septimo loco ciuitas Colonienſis. Itẽ Archiepiſcopus Treuerenſis Princeps Elector in propria ſibi mẽſa, parata in medio Aulæ, in faciem Imperatoris & Regis, cum ſua credentia ſedebat.

In ſiniſtro latere Dominus Archiepiſcopus Moguntinus primo loco in ſua propria menſa cum ſua credentia ſedebat. Secundo loco Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector ſolus etiam ſedebat in ſua menſa. Poſt hoc, pro Marchione de Brandeburg erat menſa parata quæ erat vacua propter abſentiam ſuam. Deinde Albertus Dux Saxoniæ, Dux Cluenſis, Caſpar Dux Bauariæ, Dux Guliacenſis, & quidam Orator Comitis de Wirtenberg ſedebant. Quinto loco Conſules ciuitatis Francfurtenſis. Sexto loco Conſules ciuitatis Norenbergenſis. Heic diſſenſio facta eſt Norenbergenſium. Marſchalcum Regis acceſſerunt, cur Francfurtenſes ſuper eos locum haberent? qui reſpondit, ſic ordinatum in ſuo regiſtro. Sed non contenti Regem acceſſerunt: qui pie reſpondit, quoniam in Francfurdia electi ſumus in Regem, ideo modo locum eorum ſic habere debent. Alio tempore de ſeſſionibus & locis cogitemus. Durabat autem prandium iſtud vſque fere ad horam tertiam. Quid vltra dicam? fuerunt ferculacitra quinquaginta, & ſemper ſcutellæ fuerunt repletiſſimæ: integer lepus, agnus, pauo, & de omnibus generibus auium & piſcium & ferarum &c. vina optima ac pretioſiſſima. In ferculis ſigna Principum pendebant. quis omnia enarrare poteſt?

Item in foro pauperes & famelici ſtabant, quibus per feneſtras carnes & panes integri, lepores & agni aſſati proiecti ſunt. Et factus eſt clamor magnus in foro. Sed in Aula ſeu Palatio iſto fuit ſilentium non clamor; niſi in quantum vnus cum alio ſubmiſſa voce loquebatur.

Et prandio facto, iterum aqua in peluibus argenteis adducta eſt cum manutergio ad menſam Imperialis Maieſtatis & Regis

Regis Romanorum. Deinde Archiepiscopi tres grates Deo referebant. Post hoc, quidam de numero Heroldorum clamauit voce magna, dicens: *Si qui sunt qui desiderant creari in milites, accedent Regem heic vel in domo: paratus est. & si qui accesserint hodie qui non sunt habiles, pro non creatis sunt habendi, & prohibendi ab aliis ne signa militum deferant. & qui de numero illorum velint permanere, Regem debent de hoc certificare &c.* Quibus dictis, omnes surrexerunt: Imperatorem & Regem ad hospitia sua perduxerunt, circa horam quartam: & in pace omnia requiescebant.

Item pauperibus omnibus datæ sunt eleemosynæ in abundantia. Sic à fine omnia sunt denominanda: pauperes Christi non sunt neglecti.

Decima die Aprilis, quæ fuit secunda post Dominicam *Misericordia Domini*; de mane Missa audita ostendebantur reliquiæ Aquenses in publico in præsentia omnium Principum præscriptorum, ac omnium Christi fidelium ibidem existentium. Quo facto, Consules ac tota communitas ciuitatis Aquensis fecerunt iuramentum vel homagium Romanorum Regi ante domum ciuitatis, in præsentia Imperatoris, Principum Electorum atque aliorum Principum; & Rex confirmauit priuilegia ipsorum. Illo facto, immediate recesserunt Principes versus Coloniam, scilicet Romanorum rex, Archiepiscopus Colonienſis, Comes Palatinus Rheni, Archiepisc. Treuirenſis. Imperialis autem Maiestas & Archiepisc. Moguntinus manserunt ibidem illa nocte. Vndecima die Aprilis quæ fuit quinta post *Misericordiam Domini*, applicuerunt omnes Principes simul cum Imperatore & Romanorum rege ante ciuitatem Colonienſem, introeundo in optimo ordine. Conuenerunt enim omnes Principes ante ciuitatem cum suis. Consulatus obuiam venit in vestitu nigro citra centum equos: & armigeri citra mille, manserunt prope portam quam Rex consueuit intrare post suam coronationē, & anteceſſerunt Regem à longe per ciuitatem: nam propriā habet plateam per quam intrat vsque ad Eccleſiam maiorem. Itē præmisit multos de familia Ducis Guliacenſis, Ducum Saxoniæ, Ernesti Electoris & Alberti, & Philippi Ducis Bauariæ Comitis Palatini &c. Deinde tubicinatores & fistulatores; & iterum aliqui de familia Archiep. Colonienſis: deinde tres armati, scilicet Dominus de Yselstein, & Dn. Wil-

helmus frater eius de Egmund,& Dn. Virus de Wolkēstein, quia armati erant cū equis armatis à vertice capitis vsque ad plantā pedis,qui anteceſſerunt Regē: deinde Electores Imperii,Philippus Comes Palatinus Princeps Elector; & Dux Cleuenſis.poſt eos Dux Saxoniæ Erneſtus Princeps Elector cum gladio nudo,& Archiep. Treuirenſis,iuxta ordinē ſuum: deinde Rex Romanorū,etiam armatus à planta pedis vſq; ad verticē capitis in medio Archiepiſcoporū Colonienſis & Moguntinenſis. Imperator ſtatim ſequebatur in curru ſuo & poſt ipſum multitudo magna. Sic intrauerunt ciuitatē in ſono tubarum,vſq; ad portam Curiæ maioris Eccleſiæ; vbi Rex de equo & Principes Electores & ceteri Principes deſcenderūt, Regem ad portas Eccleſiæ perduxerunt. Imperator in curru permanſit. Acceſſit autem Suffraganeus Colonienſis in Pontificalibus habens Crucem,oſculumque dedit Regi: & ceteri cum crucibus,candelis,vexillis;& Prælati omnium Eccleſiarum Regem Romanorum ad Tres Reges perduxerunt; vbi locus paratus erat pro oratione.

Qua completa inceperunt cantare, Te Deum laudamus, & intrauerunt chorum. Illo finito Suffraganeus benedictionem dedit, & Canonici Regem in Canonicum receperunt, iuxta conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ. Poſt hæc, Regem ad hoſpitium perduxerunt.

Item poſtquam Rex deſcendit de equo ſuo,tranſeundo ad Eccleſiam, Dominus de Neuwenar iure ſuo recepit equum Regis cum ornamentis ſuis aureis.

Item ſexta,quæ erat duodecima Aprilis, Principes ad conſilium venerunt & de receſſu Principum concluſum erat: ſed ſuperuenerunt Ambaſiatores Regis Poloniæ magnifice, & retardati ſunt Principes.

Sabbatho mane ſequenti,facto conſilio, Erneſtus Dux Saxoniæ,per Haſſiam via alia reuerſus eſt ad terrā ſuam. Albertus frater eius ibi cum aliis Principibus remanſit. Sic per dies quatuordecim magna conſilia habuerunt. Quid concluſum eſt, exſpectemus cum patientia. Etiam Principes haſtiludia fecerūt inter ſe;& poſt multa conſilia Principes ſeparati ſunt, quilibet ad terram ſuam.

Deſcriptum ex veteri libello, tunc temporis excuſo,ſine nomine Typographi,aut loco.

ELECTIO

AD CLARISSIMVM VIrum Dominum Doctorem Philippum Bucchemerum, illustriß. Principis Alberti Cardinal. & Archiepiscopi Moguntini Medicum,

Georgii Sabini præfatio.

CVm mihi se præstent faciles in carmine Musæ
Quæ nouæ sit forsan causſa Philippe rogas;
Cur magis historiæ, quam carminis, auctor, haberi
Posthabito tandem nunc Helicone, velim.
An, quia nulla manent hoc tempore præmia vates,
Me sacri titulum vatis habere pudet?
Non ita: nam dulces amplector, vt ante, Camœnas:
Et plus Aonia me nihil arte iuuat.
At modo plana dedi numeris quod scripta solutis,
Non leuis auctoris iussa verenda sequor.
Scilicet armipotens hoc me Germania vatem
Historico filio texere iussit opus.
Est gelidas inter valles, lucumq; silentem,
Herbidus ad Viadri rauca fluenta locus.
Hic ego dum sedeo nemoralibus abditus vmbris,
Blandaque consueto carmina more cano:
Ecce gerens frameam dextra, parmamq; sinistra,
Fœmina castrensi venit amicta sago.
Atque ita, pone metum: neque enim licet arma feramus,
Martia nos tecum bella geremus: ait.
Illa ego sum genitrix magnorum clara virorum,
Vrbs quibus imperium nunc Tiberina dedit.
Inclita Teutonicis qui gentibus indidit heros
Nomina, me natus matre Tuisto fuit.

Multa quidem gessi diuersum bella per orbem:
Multaq; sunt armis parta trophæa meis
Ipsa meos illuc deduxi inuicta colonos,
Qua rapido spumans amne Garumna fluit.
Ipsa Calidoniis incussi bella Britannis,
Anglorumque recens nomen habere dedi.
Quid loquar Hunnorum durissima regna? quid vrbes
Hesperias? nostræ quas domuere manus.
Hei sed iniqua mihi sors hunc inuidit honorem,
Clara voluminibus ne mea gesta forent.
Ecquibus Æneadum non viuit gloria chartis?
Gracia præcones est quot adepta suos?
At mea laude caret virtus: quia nemo notauit
Res, nisi scriptorum barbara turba, meas.
Haud tamen indignor, meritis fraudata quod olim
Laudibus, & nullo nomine clara fui:
Tam populus nostri de stirpe Tuistonis ortus,
Nil minus, eloquii quam studiosus, erat.
Non sacra Musarum, sed Martis castra, colebat:
Tempora non doctis artibus vlla dabat.
Culta sed hæc postquam studiis efflorvit ætas,
Quod merita careo laudis honore, queror.
Nanq; meos quamuis multi nunc inter alumnos
Facunda docta Palladis arte valent:
Quamuis eloquii præstantem dotibus aquant
Cecropium Latio cum Cicerone senem:
Nullus in his peragit nostra præconia fama:
Nec patriæ curat facta referre suæ:
Tu nisi quod tenero cecinisti carmine nuper
Pralia Cæsaribus facta Sabine meis.
Ergo per Aonii te fontis amabile nomen:
Te per Apollineas quas colis, oro Deas;
Vt patriæ dignas ad sidera tollere laudes
Primus, & historici munus obire, velis.
Quamuis impariter iunctos deducere versus
Aptius, inque pedes cogere verba, queas.
Aspice Pontanum, Sebetida cuius ad vndam
Nobilis historicum Musa recepit onus:
Nonne senis calamo Patauini bellica scripsit
Gesta? licet melior carminis auctor erat.

Nec

Nec tamen immensa rerum te mole grauabo:
Tantum clara tui temporis acta refer.
Quantas ediderit me Carolus auspice strages,
Gallica dum regnis expulit arma suis:
Egerit & capto quantum de Rege triumphum,
Aurea qui clypeo lilia trina gerit:
Vtq; rebellantem Tiberim superarit & Arnum:
Depulerit Libyca victor vt vrbe Scytham:
Duxerit Algera quantas ad littora classes,
Maurus vbi rapido sole perustus agit.
Denique quam celeri virtute subegerit hostem,
Freta Sicambrorum quo duce terra fuit.
Hæc precor intexas victuris gesta libellis:
Teq; sinas patria, quæso, mouere preces.
Si tamen aut precibus minus, aut pietate, moueris:
Acre tibi calcar fama perennis erit.
Nam bene si longa de posteritate merentur,
Condere quos patria non piget acta sua:
Hæc, quibus historiam referes patriæque triumphos?
Scripta tibi quantum sunt paritura decus?
Desierat. cepi: faciam matrona quod optas:
Et præstabo libens omne quod ipsa iubes.
Illud enim quanquam nostris est viribus impar,
Haud tamen impositum ferre grauabor onus.
Nec meus egregia conatus laude carebit:
Nam pius est patriæ facta referre labor.
Vix ea fatus eram: per opaca deuia syluæ,
In sua bellatrix illico castra redit.
Ergo opus aggrediens; primis exordia cepi
Regibus, extincto Cæsaris huius auo.
Gallus vt ipse sibi desponderit orbis habenas,
Mortuus Imperii cum moderator erat:
Carolus eximia virtutis & indole princeps,
Vt sit in Augusta sede locatus aui.
Hæc modo complexi paruo sumus acta libello,
Cætera quo referam, grande volumen erit.
Vnica nunc rerum tutela Philippe mearum,
Hoc opus auspicio nominis ede tui:
Qui mihi cum tali sis fœdere iunctus amoris,
Taurica vix nostram soluat vt ara fidem:

Inter honoratos merito tu primus amicos,
Ingenii debes munus habere mei.
Hoc igitur lato, quo conuenit, accipe vultu:
Hoc tibi ſinceri pignus amoris habe.
Quin & contigerint vbi mollia tempora fandi,
Fac tuus vt Princeps hæc monimenta legat.
Eius in hoc fiunt etiam præconia ſcripto,
Laudatique frequens nominis extat honos.
Nempe quod is fuerit ſuffragatoribus auctor,
Liligero Regi ne ſua ſceptra darent:
Tradere ſed mallent vt Cæſaris illa nepoti:
Teutona ne patrium perderet ora decus.
Quod niſi tam conſtans ac prouidus ipſe fuiſſet:
Publica res quantis nunc foret aucta malis?
Legibus orba ſuis Germania, turpiter eſſet
Iuſſa ſub externi principis ire iugum:
Quique fera Scythia cum gentibus impia iunxit
Fœdera, Cæſareas Gallus haberet opes.
Iſſius æternas igitur teſtantia laudes,
Exhibeas illi ſcripta legenda velim.
Sic triplices ducant tibi ſtamina longa ſorores:
Sic tua ſit fœlix ſoſpite prole domus:
Sic, alter veluti Podalyrius, arte medendi
Languida mortifera corpora tabe leues.

MAMERANVS LECTORI.

HVius te hic admonitum volo Lector, vt cum in Sabino legis Moguntinum ſimul & Colonienſem Cæſari impoſuiſſe coronam, intelligas parum explorate Sabinum retuliſſe: magiſque Mauro credendum, qui ipſemet ſui Domini Electoris conſiliarius interfuit, quam qui relatu vel abſens, vel non officiarius in ea accepit. Nam vere ſcribit Maurus, tres Archiepiſcopos Electores ſimul præſtitiſſe hoc officii. Quanquam ad ſolum Colonienſem ratione prærogatiuæ ſuæ Ditionis, in qua Aquiſgranum eſt, ſpectare perhibeant. Cuius tamen officii mirum eſt nullam prorſus in Aurea Bulla Caroli IV. expreſſam fieri mentionem, ſicuti nec de nonnullis aliis quoque non minus neceſſariis, vt opus reformatione aliqua habere videri poſſit. Cum autem in hoc primo quaternione poſterius impreſſo, paginæ duæ vacarent, libuit eas

eas epigrammate Comitis Nuenarii qui Electioni interfuit, implere: cuius quoque orationes in Electione habitas, cum quorundam aliorum, quod doctæ & graues sint & inuentu perraræ, seorsum dabimus.

HERMANNI COMITIS Neuenarii Præpositi Eccle. Colonien. epigramma in defectionem solis & Electionem Caroli Regis Ro.

Delituit nuper cœli sub vertice Phœbus,
Occuluitque suum Delius ipse iubar.
Emersit subito diuinum Cæsaris astrum,
Cumq; nouo rediit Cæsare Phœbus ouans.
Ergo hoc iam constat, quo pacto regnet vterque:
Phœbus apud Superos, Cæsar in orbe regit.

Eiusdem epigramma in Cæsarem & Atlantem.

Magnus Atlas humeris gestare putatur Olympum,
Quamuis Herculea sit releuatus ope.
Magnus item Cæsar terrarum sustinet orbem
Solus, & ex alto pectore cuncta gerit.
Fortior est igitur robusto Cæsar Atlante,
Ille capit socium, rennuit iste parem.

Eiusdem ad Carolum Regem Romanorum distichon.

Dent Superi sanum te vincere Nestoris annos:
Carole, iam nequeunt hi dare plura tibi.

DE ELECTIONE ET CORONATIONE Caroli V. Cæsaris Aug. historia.

CVm Maximilianus exemptus esset rebus humanis, & magno in luctu esset Germania: exteri reges quasi custode publicæ pacis à statione remoto, in tanta occasione rei bene gerendæ non cessandum sibi esse ducebant. Alibi Selymus Turcarum Imperator, pacato regno in Syria & Ægypto: magna fœlicitate adiecit animum ad Pannonias occupandas: eamque in rem omni cura & studio incumbebat. Alibi Gallus Mediolanum nemine iam aduersante tenens: & elatus clarissima victoria, cum triennio ante ingentes copias Heluetiorum profligasset: habere se occasionem optatam arbitrabatur decus ac nomen Imperii ad Gallos transferendi: & recuperandi regni Neapolitani quod aditum in Italiam, & eam partem teneret, quæ quasi domicilium fuisset Imperatorum. Itaque repente nouas res moliri cœpit: cõscribit exercitus fœdera cum Burgundis dissoluit, facit noua cum iis, quorum sibi profuturam amicitiam existimabat. Et in primis pontificem Leonem X sibi adiungere studet, vt petitionem Imperii adiuuet. Flagitat etiam sibi titulum Imperatoris Constantinopolitani decerni: Nam vt persuaderet, ex republica esse, vt Imperium sibi committeretur: pollicetur se moturum esse Turcicum bellum ad quod gerendum maxime profutura esset coniunctio Italiæ, Galliæ, & Germaniæ. Neque hæc Romæ tantum aguntur: inuitantur & Veneti ad societatem consilii. Mittuntur Legati in Germaniam, petituri Imperiũ apud Electores. Interea sollicitantur & ciuitates aliquæ in Germania, vt Gallicis exercitibus receptũ præbeant: quæ videbãtur arces belli futuræ, si armis possessio Imperii tuẽda esset. Tãli tẽpore maxime cõspici potuit, quantũ ad tranquillitatẽ & salutẽ orbis terrarũ conducat Electorũ in Germania consiliũ. Cum enim impenderet ingens rerũ mutatio: sapientia, constantia, concordia, & fide Electorum, dignitas Imperii & forma Reipublicæ conseruata est. Statim enim Archiepiscopus Moguntinus Albertus Marchio Brandenbur-

denburgensis, Cardinalis titulo diui Chrysogoni, intellecta morte Maximiliani, cum ipsius munus sit conuocare Electores: significat eis interitum Imperatoris, & Francofordiã eos ad deliberationem de successore, & ad electionem vocat. Quos etsi per sese mouebat officii ratio, vt electionem maturare studerent: tamen cum in tantis periculis quæ videbant impendere, magis etiam properandum esse intelligerent: ad dictum diem omnes Francofordiam ad Mœnum conueniunt: videlicet Albertus Cardinalis Archiepiscopus Moguntinus: Hermannus Comes de Vueda Archiepiscopus Colonienſis: Richardus Archiepiscopus Treuirensis: Lassa Dominus de Sternberga, Ludouici Regis Bohemiæ legatus: Ludouicus Comes Palatinus, Dux Bauariæ: Fridericus Dux Saxoniæ: Ioachimus Primus Marchio Brandenburgensis. Velut omen fuit faustæ electionis, quod nemo Electorum aberat: Sed conuenerant omnes, vt communi consilio atque animo rem tantam agerent, quæ ad salutem totius orbis terrarum, & ad vniuersam posteritatem pertineret. Ac die Iunii decimo septimo, Anni Millesimi, Quingentesimi decimi noni, in æde Diui Bartholomæi Francofordiæ, vt auspicia horum consiliorũ essent fœlicia, factum de spiritu Sancto celebratum est: in quo ad aram stantes Electores singuli trabeati, inspectante Ecclesia publice iusiurandum religiose dederunt: se bona fide seruaturos decreta de electione, quæ in aurea Bulla (sic enim Imperii constitutionem vocant) sancita sunt. Et articuli ea de re in aurea Bulla publice lecti sunt. Mox ab ara in sacratium interius eius tẽpli, vbi veteri more solet electio fieri, Principes Electores ingressi sunt. ibi Moguntinus vt deliberationem auspicaretur, hanc ad Collegas orationem habuit. Vt in publico sacro vota fecimus, vt Deus gubernet consilia nostra de re omnium maxima, videlicet de eligendo Imperatore: ita nunc postquam auspicato ad hanc difficillimam deliberationem inchoandam, inter ipsas aras congressi sumus: iterum precor Deum optimum Maximũ, vt mentes nostras regat, ad retinendam inter nos concordiã: & flectat, ad eligendum Principem salutarem vniuerso Imperio Romano, ac præcipie vtilem Ecclesiæ Christianæ. Nec dubito quin vos omnes magna solicitudine & pietate, assiduis votis idem à Deo petatis: Nulla enim difficilior deliberatio de vlla re humana incidere potest, quam de Imperatore

eligendo. Nam cæteri Reges, non sustinent hoc ingens onus externa regna propugnandi. Noster Imperator eligitur, vt sit Dux publici consilii inter omnes Reges: vt propugnet Italiam: vt tranquillitatem Ecclesiæ præcipue custodiat. Itaque cum tantarum rerum cura Imperatori commissa sit, non vt in cæteris regnis, nascuntur successores: sed grauissimo consilio constitutum est, vt iudicio atque auctoritate nostri collegij quæratur successor, qui molem tantarum rerum sustinere possit. Equidem agnosco huic tam difficili deliberationi, nullam humanam sapientiam parem esse: sed me in his curis præcipue hæc consolatio erigit, quod cum Imperia diuinitus constituta sint, non dubito, & nostrum collegiũ à Deo gubernari: qui, si nos legibus nostris obtemperabimus, si pietatem, fidem, & diligentiam, quantum prospici hominum mentibus potest, præstiterimus: aspiraturus est consiliis nostris, vt electio sit fausta ac fœlix patriæ, ac vniuersõ nomini Christiano. Deinde ea quæ in tali Senatu & summo consilio orbis terrarum requiri possunt, video in vobis esse; rerum vsum, sapientiam, pietatem erga Deum, fidem erga rempublicam, studium tranquillitatis communis. Cumque præcipue nobis concordia opus sit, declarastis ea in re aliqua ex parte voluntatem vestram, quod sine contumacia omnes in tempore conueniſtis. Quamobrem vobis publico nomine gratias ago. Et modo iusiurandum dedistis, cum in cæteris articulis obtemperaturos vos esse legibus: tum vero in eo qui ad retinendam communem tranquillitatem præcipue pertinet, vt illi qui plurium suffragiis Rex creatus & renunciatus fuerit, omnes obediant. Quare satis prouisum est iureiurando, ne qua publica in Imperio discordia oriatur. Hic aditus ad causam nostram, bonam mihi spem facit, de cæteris quæ restant agenda. Sed tamen vt magis muniatur concordia, duxi initio vos cohortandos esse: vt priusquam in suffragium itur, inter nos re disputata, demus operam, vt omnium suffragia consentiant. Multa in hac natione bella ciuilia, plena crudelitatis, & pernicioſa toti orbi terrarum, & antequam concilium Electorum constitutum est, & postea, propter successionem aut suffragiorum dissimilitudinem, in electione, exarserunt. Ludouico Pio filius Lotharius conatus est regnum eripere. Capto patre postea Lotharius conflixit cum fratribus, tam atrocitér,

trociter, vt in eo prælio Francorum vires adeo afflictæ sint, vt postea decus imperii tueri non potuerint. Saxones deinde rerum potiti sunt, quos exercuerunt aspertimæ seditiones. Aduersus Henricum primum, dux Bauariæ Arnoldus bellum mouit, quod tamen moderatione Henrici cito sedatum est. Sequens bellum quod Lotharingus mouit aduersus Othonem, vt Francico nomini Imperium restitueret, annos durauit sex: estque Germania fœde igni ac ferro vastata, donec ad extremum in acie interfectus Lotharingus pertinaciæ suæ pœnas dedit. Othonis Secundi tempore, Galli armis conati sunt ad se transferre Imperium. Othoni tertio eripere conati sunt Imperium Henricus Bauarus, & quidam Romæ Crescentius. Hæc certamina vt caueret ad posteritatem Otho Tertius, grauissimo consilio & comprobante Romano pōtifice, collegium Electorum instituit: cuius collegii sapientia & fide, iam annos quingentos Imperii possessio in hac natione rētinetur. Quod non modo Germanico nomini gloriosum est, sed etiam toti Europæ multis modis salutare fuit. Sæpe enim nostri Imperatores ex Italia barbaros depulerunt, & pernitiosas mutationes magna virtute prohibuerunt: Sed tamen aliquoties contentio de regno, grauissime afflixit Germaniam atque Italiam aduersus Henricum Quartum, virum fortem & impigrum, multi Principes in Germania atque Italia conspirarunt: qui Rodolpho Duci Saxonum, & Sueuorum, tribuerunt nomen Regium. In hoc bello cum essent duæ fortissimæ nationes coniunctæ, Saxonica & Sueuica, nec posset Henricus sine acerrimis dimicationibus dignitatem suam propugnare: ita ab vtrisque dilacerata est patria, nunquam vt postea pristinam maiestatem recuperauerit Imperium nostrum. Dum enim ciuilibus bellis domi conflictamur, interea Galli bonam Belgici partem & Sequanos inuaserunt. Denique multis vbique præsidiis atque ornamentis amissis, postea cæteris nationibus opem ferre potuimus vt antea, nec Regibus aliis formidabiles fuimus, vt olim. Potest & inde æstimari, quam funestum & luctuosum bellum patriæ fuerit, quod in eo non solum profani Principes interfecti sunt, Rodulphus Dux Sueuiæ, Otho Dux Saxoniæ, & Gerardus Lotharii pater, Egbertus Marchio Misnensis; sed etiam trucidati sunt aliquot Episcopi, quos religio aduersus bellorum iniurias defen-

dere debebat. Sunt enim occisi Episcopi, Magdeburgenſis,& Vuormatienſis. Ad hæc mala acceſſit & perturbatio religionum,& Schiſma. Secutum eſt aliud bellum ortum ex diſſimilitudine ſuffragiorum in electione , inter Conradum Sueuum , & Lotharium Saxonem : quod, poſtquam multæ vrbes in Imperio vi captæ ſunt : auctoritate diui Bernhardi ſedatum eſt. Exarſit multo crudelius bellum inter Philippum & Othonem Quartum, propter Electorum diſcordiam. Aliquot præliis victus Otho fugit ex Germania in Angliam. Poſtea aduerſus Fridericum Secundum à quibuſdam electus eſt Henricus Landgrauius Thuringiæ, qui in obſidione Vlmæ ex vulnere periit. Secutum eſt interregnum, quod duravit annos ferme octodecim : in quo nonnulli Electores accerſiuerunt in Germaniam ad Imperium Richardum fratrem Regis Britanniæ. Interea cum ſine rege eſſet Reſpublica, non ſolum defecerunt in Italia ciuitates, ſed etiam in contemptum venit apud omnes Germanica natio. Aliquando poſt diſſenſio in electione Ludouici Bauari,& Friderici Auſtriaci, bellum ingens excitauit, quorum alter Bohemos, alter Hungarica auxilia in Germaniam adduxit. Ita vtrinque à Barbaris Germania crudeliter vaſtata eſt. Deinde aduerſus Ludouicum, electus eſt Carolus Lucēburgenſis. Neque hæc electio habuit omnium ſuffragia, & ſtatim nonnulli ex Electoribus expetiuerunt Eduardum Angliæ Regem. Alii deinde Comitem Suarceburgenſem. Toties inciderunt certamina in hac natione de ſucceſſione, quibus & domi maieſtas Imperii grauiter concuſſa eſt, & interea foris neglecta eſt Reſpublica. Dum enim occupati ſumus ciuilibus bellis, aut fracti domeſticis cladibus, non potuimus reprimere Turcas : quorum potentia nemine obſiſtente, quantum creuerit, videtis. Tot igitur exemplis triſtiſſimis moniti, pertinaciſſime tueri concordiam debemus : præſertim hoc tempore, cū Turcæ nobis bellum denunciant: comminantur ſe non modo Imperium, ſed libertatem & religionem erepturos eſſe. Etſi autem iureiurando veſtro proſpectum eſt, ne qua ſeditio oriatur, etiamſi ſuffragia non conſentirent: tamen vos ipſi intelligitis, plurimum referre, vt prorſus conſentiant ſuffragia. Nam quālibet leuis diſſenſio, ramen multas in Rebuſpublicis deliberationes impedit : & ſæpe horribiles motus parit. Nec deſunt, qui captant omnes occaſiones diſtrahendæ Germa-

niæ

nias in diuersas partes. Multum autem ad illos deterrendos, profuturus est consensus noster. Plurimum etiam afferet momenti, ad voluntates Principum ac populi Germaniæ, ad nostram sententiam adiungendas. Cogitate omnium Regum ac Principum oculos in nos esse coniectos: qui non modo de eo, quisquis electus fuerit, sed de nobis etiam iudicium facient: an grauitatem tantam præstiterimus, quanta in hoc summo consilio orbis terrarum requiritur, an saluti orbis terrarum consulere voluerimus, aut priuatis cupiditatibus morem gesserimus. Et nos quidem non modo hominum iudicia, sed multo magis Deum testem atque arbitrum harum nostrarum cogitationum vereri decet, qui cum Imperia constituerit ad defensionem pacis, iuris, & religionum, nequaquam vult ea discordiis non necessariis labefactari, aut dissipari. Nec dubiū est cultum Deo gratissimum esse, studiū concordiæ publicæ, præsertim quæ ad Imperiorū conseruationē pertinet. Quam opinionem, etsi omnibus hominib. oportuit infixam esse, tamē viros Principes ita amplecti decet, vt in publicis consiliis nunquam ab ea deflectant, vt omnes deliberationes atque actiones referant ad communem concordiam retinendam. Ego quidē mori malim, quam auctor esse publicæ inter Electores discordiæ. Quare sententiam meam re disputata libenter cum vestra coniungam, vt consentientibus suffragiis, id quod optimum erit, Deo adiuuante, statuamus. Velim igitur prius nos de vniuersa Republica colloqui, quam in suffragia eatur. Est enim disputandum etiam quarum rerum curam Imperatorem maxime suscipere velimus: quas imperii partes sanari initio necesse sit: quomodo constituenda iudicia in Imperio, & pax munienda sit. Et sunt alia multa, de quibus expedit nostras opiniones conferre. Locus imposuit mihi necessitatem dicendi, & inchoandæ huius deliberationis. Cæterum meum iudicium non ante fero: vosque pro excellenti sapientia & grauitate vestra scio venire huc paratos & meditatos. Quare sententias vestras audire maxime cupio: vosque rogo, vt orationem meam profectam ab animo & amante Reipublicæ, & de vobis amanter & honorifice sentiente, boni consulatis. Etsi autem fortasse, non necessaria fuit hæc cohortatio (noui enim voluntates vestras, ac sæpe comperi vos concordiæ publicæ cupidissimos esse: & multa nos fœdera coniungunt, cognatio, societas religio-

nis,& huius noſtri ampliſſimi Collegii) tamen huic tempori videbatur apta hæc oratio. nunc enim toti orbi terrarum maxime opus eſt noſtro conſenſu.

Hæc cum dixiſſet Moguntinus, congreſſi reliqui Electores, breuiter colloquuntur: & cum adhortationem de retinenda concordia in tanto publico periculo, gratiſſimam ſibi fuiſſe, oſtendunt: Tum vero ſapientiam Moguntini laudant, quod & dux publici conſenſus eſſet, & monſtraret viam, qua diſſentio equeretur, ſeque omnes profitentur aſſentiri dictæ à Moguntino ſententiæ, & ſummo ſtudio daturos operam, ne ſuffragia diſcrepent. Hæc iubent communi nomine omnium dici à Ioachimo Primo Marchione, cui libenter hás dicendi partes tribuebant cæteri Principes, propter excellentem eloquentiam. Erat enim tum quidē ea virtus & grauitas Principum, vt ſine inuidia ſingulis concederentur ſuæ laudes, nec parum ad communē ſalutem tum quidem profuit, quod adhuc priuatim magna inter ſe beneuolentia deuincti erant, quam & Reipublicæ cauſſa diligenter tuebantur: & quia veteri Germanorum more ſentiebant bona fide amicitias colendas eſſe. Et erat ea magnitudo animi non ſolum, vt priuatas ſimultates nullas afferendas eſſe ad publica conſilia ducerent: ſed etiam vt nullas admitterent in animos aduerſus cognatos, præſertim in Rep cōiunctos. Sed ab hac virtute quātum degenerauerit ſequens ætas, non libet hoc loco cōmemorare. Videmus. n. in multis magnis Rebuspublicis cōſilia priuatis odiis impediri. Sed redeo ad hiſtoriā. cum Ioachimus Marchio, Moguntini frater, dixiſſet cōmuni omnium nomine, aſſentiri omnes dictæ ſententiæ, vt prorogato die ſuffragationis, poſtridie ad deliberationem conueniant: interea venerant Moguntiam legati Caroli Archiducis Auſtriæ & Burgūdiæ, & Regis Hiſpaniæ: Matthæus Epiſcopus Gurcenſis Cardinalis: Fridericus Comes Palatinus Dux Bauariæ: Caſimirus Marchio Brandeburgenſis: Henricus Comes Naſſauenſis; & his adiuncti cōſiliarii aliquot. Hi nomine Regis Caroli modeſte petebant, vt eius in electione ratio haberetur: quoniā & indole ad virtutem egregia eſſet, & religionē aciuſtitiam ſummo ſtudio coleret. Natura vero à crudelitate, & ab obſcœnis libidinib. abhorreret: & iā ſpecimē dediſſet induſtriæ, fortitudinis, & fœlicitatis ſuæ in occupandis Hiſpaniæ regnis. Cumq; de eius ingenio ſpes eſſet optima;

ma: pollicebantur potentiã qua cæteris Principib. antecelleret, futurã esse præsidio Germaniæ, & vniuersõ nomini Christiano. Admonebant etiã Electores, ã Maximiliano Imperatore, nepotẽ ipsis cõmendatũ esse: cuius memoria ipsis propter excellentẽ eius virtutem & sapientiam, gratissima esset. Tanta autem in Maximiliano grauitas fuit, tantus amor patriæ & communis salutis, vt nisi probasset ingenium nepotis, & iudicasset profuturam orbi terrarum electionem ipsius, nõ fuerit eum cõmendaturus Electoribus. Hæc cum legati Austriaci Electorib. significassent, postea Moguntiæ cum summa modestia euentum electionis expectabant: nulla præsidia cõparabant, ne quid cõtra Electorum libertatem in interregnõ moliri viderentur. Erant & Confluentiæ Gallici Legati, qui priuatim ingentib. promissis, animos non Electorum tantũ, sed etiam aliorũ Principũ, & ciuitatum, conciliare Regi Francisco conabantur: disputabantq;, nihil contra leges facturos Electores, si Francorum Regem designarent Imperatorem; quod Francorum Reges à Germanica stirpe orti sint. Addebant olim tantam fuisse coniunctionem vtriusque gentis Gallicæ & Germanicæ, non vt distractæ in duo regna fuerint, sed velut vnum regnum sub iisdem signis, sub eodem Rege Frãcorum, socia arma gesserint: domi iisdem legibus, eodem iure, gubernatæ sint: eamq; coniunctionem primũ gloriosam fuisse Germanico nomini: deinde etiam salutarem vniuersæ Europæ ac præcipue Ecclesiæ. Nam Imperii decus initio partum vtriusq; nationis virtute, postea Germanos, quasi vsucapione retentum, possedisse. Quantum vero profuerit cõiunctio Galliæ & Germaniæ initio, inde æstimari posse, quod cum Italiam alibi Saraceni popularentur, alibi vero Longobardi non contenti finibus suis, Romam ipsam, arcem & caput Christiani nominis in Europa, in barbaricam seruitutem redigere conarentur: diu quassatæ Italiæ, hæc vna res, videlicet coniunctio Galliæ & Germaniæ, optatam pacem attulerit: quæ durauit annos fere centum, quoad familia Pipini & Caroli Imperiũ tenuit. Defensas esse, aut pacatas à nobis cõmuniter, & alias regiones in Europa: Saracenos ex Hispania effusos in Galliam, fuisse repressos, liberatam Germaniã terrore Hunnorum. Sed si vnquam, nunc maxime optãdam esse coniunctionem Galliæ & Germaniæ, ad reprimendam

barbariem Turcicam. Tenere autem Regem Franciſcum etiam bonam Italiæ partem, & habere ſtudia reliquorum Italorum. Semper Gallicos Reges Romanam ſedem ſingulari pietate veneratos eſſe. Quare & erga Regem Franciſcum, & Gallicum nomen, optimam eſſe hoc tempore Romani Pontificis voluntatem: nec vero aliam vllam oſtendi poſſe expeditam rationem belli aduerſus Turcicam nationem gerendi, quam ſi communibus opibus Italiæ, Galliæ, & Germaniæ res ſuſcipiatur. Has regiones propter oportunitatem locorum, propter copias & exercitus, etiam antea viſas eſſe in primis idoneas, ad hoc bellum gerendum. Nam & Sigiſmundi Imperatoris tempore, exercitum contractum fuiſſe, ex Italis, Gallis, & Germanis. Adhæc quod claſſem ita inſtructam habeat Gallia, vt ſi Veneta claſſis adiuncta fuerit: non dubium ſit, mari toto, quæ velint littora, quas oras, inſulas, portus, tuto petere & oppugnare poſſent. Porro ſi tanto bello Dux quærendus eſſet, Rempublicam ipſam flagitaturam eſſe Regem Franciſcum: quia non ſolum auctoritate reliquos Principes anteiret, ſed etiam vſu & peritia rei militaris. Nec deeſſe eius virtuti fœlicitatem. Quantas enim res geſſiſſet, dum recuperaret Inſubriam, omnibus notum eſſe: quanta fœlicitate maximas hoſtium copias profligaſſet: quoties toto triennio dimicaſſet acie. In his rebus cum fœlicitas eius conſpici potuerit: tum vero virtus, magnitudo conſilii atque animi, laborum tolerantia, diligentia in omnibus rebus prouidendis, quæ ad imperatoris curam pertinent, tanta fuerit, vt peritiſſimorum confeſſione nemo ei Ducum hoc tempore anteferendus ſit. Etenim quod hoc bellum non tantum auſpiciis ipſius, ſed etiam conſiliis & ductu geſtum fuerit: ipſe loca caſtris cœperit, intentus fuerit in occaſiones pugnandi: prouiderit, vt non hoſtis arbitrio, ſed ſuo dimicaret: rationem inierit, quarum artium oppugnatio tentanda eſſet: vbi hoſtis elici poſſet. Quia vero in Imperatoribus, non minus fœlicitas, quam fortitudo ſpectanda ſit, hactenus Deum fauiſſe inceptis Regis Franciſci: & in ſpem omnes adduci, propter cæteras eius virtutes hanc fœlicitatem diuturnam fore. At nihil eſſe, quod Germanici Principes, accerſito Rege Galliæ metuant veteri ſuæ libertati, cum & Rex ſua voluntate, leges & inſtituta maiorum, libenter obſeruet. Et electoribus permiſſurus ſit vt conditiones ferant, quas eum in accipien-

do Imperio seruare velint. Quia Rex nō aliā ob causam petat Imperiū, nisi quod toti nomini Christiano hanc Galliæ, Germaniæq; coniūctionē maxime profuturam esse iudicet. Quę coniunctio non esset diuturna & stabilis futura, si alterutri nationi libertas eriperetur. Eamque ob rem promittebatur, Regem non collocaturum esse Gallica præsidia in Germania, sed Germanicos exercitus suo stipendio conducturum esse, quibus de consilio Principum, Duces Germanici, quorum virtus & fides probata esset, præficerentur. Ostendebatur etiam quas commoditates allatura paullatim esset Principibus hæc nationum coniunctio, cum Rex etiam Gallicis ditionibus donaturus esset Germaniæ Principes: Sicut olim sub Carolo magno, aliqui Principes tenuissent amplos Principatus, in vtroque regno. Hæc fere summa fuit Gallicæ orationis: cui erat adiecta adhortatio, vt Electores non amitterent hanc occasionem coniungendæ Germaniæ cum Gallia: quod ea res Germanis esset futura gloriosa, qui hac viriū accessione facta, multo essent futuri ad res maximas gerendas instructiores. Et quod ad defensionem Europæ, & ad Christiani orbis tranquillitatem, nihil hac coniunctione posset vtilius cogitari ac reperiri. Recitatis legatorum literis, breuiter responderunt Electores: gratam sibi esse beneuolentiam Regum, erga nomen Germanicum, sed de electione se, Deo adiuuante, optima fide facturos esse id, quod postularent leges, & instituta maiorum, & religio iurisiurandi, quod dedissent. Miserat autem Gallus paullo ante Legatos in Heluetiam, petieratque indici conuentum, quod pro veteri amicitia, quæ Heluetiis fuit cum Gallico regno, quædam ad vtilitatem Europæ pertinentia, ad ipsos referre cuperet. Indicto conuentu, exposuerant Legati, Regem Franciscum re deliberata cum summis Principibus Christianis: adhortatione etiam quorundam, quorum præcipua sit auctoritas & voluntas erga Rempublicam Christianam optima, constituisse petere ab Electoribus, vt designetur Romanus Imperator. Commemorant, nihil vi, nihil per seditionem facturum esse contra Germanorum libertatem, sed Electorum suffragiis, & auctoritati Pontificiæ rem permissurum esse. Sed ad hoc consilium, initio adiungendos duxisse Heluetios, vt si Electorum suffragiis fuerit electus, ipsi non aduersentur, sed po-

rius sint in partibus, & hanc electionem vna defendant. Quod vt faciant, non modo vetus cum Gallis amicitia, mutuis vtriusq; gentis beneficiis confirmata, eos hortetur: sed etiã salus totius Christiani orbis. Quia hæc petitio præcipue hanc ob causam instituta sit, quod ad pacem in Europa constituendã, & ad depellendos Turcas, nihil cogitari accõmodatius possit, quam coniunctio Italiæ, Galliæ & Germaniæ: quæ si procederet, bellũ terra, mariq; aduersus Turcas, Rex moturus esset. Est autẽ Heluetiæ situs oportunus, primũ ad Italiæ tranquillitatẽ defendendam, deinde ad expeditiones ad vicina Italiæ loca suscipiendas. Itaq; ferebant Regem, adiunctũ esse Gallico equitatui, Helueticũ peditem, idq; robur ac neruos Christiani exercitus fore. Non enim dubitabat Rex libenter venturos in societatẽ periculi generosos Heluetiorũ spiritus: quia nulla ætate iustius, aut magis necessarium bellum vnquã gestum sit. Depellendus est à nostris ceruicib. hostis, qui non de gloria Imperii, vt veteres Monarchæ, bella gerit, sed vt religionẽ Christianam deleat: vt vniuersam disciplinã ciuilem, vt iura matrimoniorũ tollat: vt ad stupra nostras coniuges ac liberos rapiat. liberandę sunt hac miserrima seruitute gentes vicinæ, quæ nobiscum religione, & aliis multis fœderib. antea coniunctæ fuerunt. Hæ sunt causæ graues & iustæ viris fortib. arma capiendi. Quare non dubitare se aiebant, quin Heluetii huius militiæ decus, maxime expeterent. Cum autẽ electio illa his tantis rebus gerendis opportunitatẽ allatura esset, debere Heluetios quoque suis studiis ac significatione voluntatis, eam adiuuare. Postremo pollicebantur, Regem, si eligeretur, gentis Helueticæ libertatem nulla in re labefacturum esse, sed potius confirmaturum, & multa additurum esse commoda, atque ornamenta: si Heluetiorum virtus & fortitudo non esset communi saluti nominis Christiani defutura.

Hæc cum Gallici Legati commemorassent, quanquam priuatim multos ingenti pecunia & nouis largitionibus obligatos, tenebant: tamen honesti viri delecti ex ciuitatibus modeste responderunt: se non impedituros libertatem Principum Electorum, nec significatione aliqua voluntatis suæ, aut terrore vllo, præbituros occasionem turbandæ tranquillitatis Germaniæ, quam agnoscerent patriam. Deinde cum

cum nominatim Heluetico fœdere exceperint Romanam Ecclesiam, & Romanum Imperium, profitebantur se nihil contra Romani Imperii Maiestatem facturos esse. Pertinet autem ad Maiestatem, libertas Principum Electorum. Ita Gallis dimissis, scribunt Heluetii literas ad singulos Electores, in quibus commemorant, se scire quam vehementer ambiat Gallus Imperium, & quod multorum animos ea de re solicitet. Narrant etiam quæ apud ipsos petiuerit, quidque ipsi responderint. Deinde exponunt, se fugere omnia consilia, quæ videantur esse contra Germaniæ tranquillitatem. Et negant se vlla in re libertatem Principum Electorum impedituros esse. Adiiciunt dehortationem, ne ad Gallos transferatur Romani Imperii decus, neue moueantur Principes, opibus aut viribus Gallicis: quia adhuc in Germanica natione tantum sit consilii, & virium, vt nihil opus sit exteros Reges accersere. Postremo hortantur, vt aliquis eligatur ex Germaniæ Principibus, & pollicentur, sua arma non defutura esse defendendæ tranquillitati Germaniæ. Scribunt & ad Leonem X. Romanum Pontificem, & petunt, ne sit auctor Electoribus eligendi Regis Francisci, quod Gallorum dominatio in Germania paritura esset ingentia bella, & futura exitiosa vtrique nationi. Nec impliciti Galli Germanicis bellis, Italiam defensuri essent, aut alias res vtiles nomini Christiano moturi. Ad has literas Romanus Pontifex respondens, narrat in fœderibus, quæ Romana sedes habeat cum Regibus Neapolitanis: cautum esse, ne quis simul Romanum Imperium teneat. Cum autem sibi Romanæ sedis priuilegia religiose & summa ope tuenda sint, ea de re certiores factos esse Electores, ne quid fieret contra libertatem & commodum Romanæ sedis. Quod autem alium quendam Principem euehendum esse ad fastigium Romani Imperii magis tenserit, adductum se non priuata beneuolentia, sed certo iudicio: quod cognouerit eum excellenti ingenio, industria, & magnitudine animi præditum esse, & cupere potentiam suam ad communem salutem conferre. Hanc excusationē scripsit ad Heluetios Leo Pontifex, omissis Regum nominibus. Etsi autem intellexerant Electores, quæ omnium Regum vbique terrarum vel studia essent, vel exspectatio de hac electione, &

quo singulorum voluntates inclinatæ essent: ipsi tamen summa cum grauitate cauebant, ne ad vllum inflectere se quisquam videretur, ante suffragationem. Nemo vllas aluit factiones, nemo parauit sui suffragii defensores, sed integris animis conuenerunt in colloquium Electores, è quibus Moguntinus, vnus omnium grauissimum onus sustinebat. Nam cum primus sententiam dicturus esset, laborandum ei fuit, non modo vt suffragio suo aliquem nominaret, sed etiam causas suæ suffragationis exponeret, vt reliquos ad suam sententiã adiungeret. Itaq; prius cũ Friderico Duce Saxoniæ de vniuersa Republica Christiana, & omnib. Imperii Germanici partibus colloquitur. Et his congressibus totas impertit noctes: ac re diligenter disputata, huic ostendit maxime è Republica sibi videri vt Carolus Archidux Austriæ eligatur. Idem cum videretur Duci Saxoniæ, iubet eum constanter in sententia manere, vt consensu suo dubitantes inuitarent, & repugnantes vincerent. Cum igitur constituto die ad deliberationem Electores in Curiam Francofordiæ (quæ dicitur Romana) conuenissent: Moguntinus bene paratus, orationem habuit in hanc sententiam. Non dubito equidem, Principem orbi terrarum diuinitus dari: tamen cum nostra suffragatio requiratur, primum oro Deum optimum Maximum, vt mentes nostras gubernet: deinde censeo nobis quoque diligentiam & fidem præstandam esse, vt quantum à nobis prouideri potest, maxime idoneum eligamus, qua in re primum habenda est ratio legum nostrarum, & iurisiurandi. Et quoniam hic congressus institutus est, non vt suffragia feramus, sed vt libere colloquamur, cum de vniuersa Republica, tum de electione: dicam quid mihi maxime videatur è Republica esse. Et si autem mirifice angor animo, de euentu electionis: tamen hæc res nonnihil leuat animum meum cura, quod antea polliciti estis, vos non commissuros esse, vt suffragia dissentiant. Disputabo igitur liberius, vosque vt idem faciatis, adhortor. Deinde collatis opinionibus sine priuatis affectibus, vt decet Principes, quorum sapientiæ & virtuti res omnium maxima commendata est: vnam sententiam eligemus, quæ videbitur vtilissima vniuersæ Reipublicæ Christianæ. Existimo vos omnes de tribus sententiis disputare: an Rex Galliæ sit ad Imperium accersendus, aut Carolus Rex Hispaniæ: an vero satius sit, aliquem eligere ex

cæteris

exteris Germaniæ Principibus, qui virtute & potẽtia aliis antecellere videatur. De his omnibus exponam breuiter meam opinionem. De Gallo, arbitror nos impediri nostris Legibus & iureiurando. Est enim diserte constitutum, ne extero, sed Germanico Principi Imperium commendemus, ne hoc tantum decus ad exteras nationes transferatur: & non modo Germania veniat in seruitutem, sed etiam in Italia, aut statu Ecclesiæ, mutatio sequatur. Nec vero dubium est, Regem Gallicum esse peregrinum Principem, & eo appetere hoc fastigium, vt ad suos transferat: sicut idem maiores ipsius sæpe armis ad se retrahere conati sunt. Nec sine acerrimis dimicationibus, Carolus Crassus, & Othones, possessionem Imperii in Germania retinuerunt. Quod autem aliqui referant vetustam originem Francorum Regum ad Germanos, hæc leuiora sunt, quam vt Principes, tanta sapientia & grauitate præditos, mouere debeant. Constitutio postulat talem eligi, qui vere sit hæres alicuius ditionis, quæ huic nostro Imperio paret. Alioqui si illæ veteres fabulæ Gallis patrocinantur, perinde poterunt à Turcis Troiam repetere, atque à nobis Imperium: quia perhibent se ab Hectoris filio ortos esse. Cum igitur constet, excludi Gallicum Regem cõstitutione publica, quam iurati in electione sequimur: nihil opus est longa disputatione. Quanquam etiam si Natio nihil impediret, dissuaderem hanc electionem. Primum enim in Germaniam adducendus erit Gallus. Quantum ea in re periculi erit, cum exercitus peregrinus distribuetur in vrbes Imperii? An superbiam & libidines equitum Gallicorum, ciuitates ferent? Sed aliud impendet grauius malum. veniet inimicus Carolo, quod ne cui dubium sit, iam bellum denuntiatum est: antiqua fœdera Burgundionum & Gallorum rescissa. bellum etiam Neapoli inferre decreuit, itaque cum detrectabunt Imperium Gallorum Austriaci & Belgæ, & habebunt alii aliorum Principum studia, atque auxilia: videbitis arsuram ciuili bello vniuersam Germaniam. Porro cum alia nobis prospicienda sunt: tum hoc natura primum est, ne nostra electio ciuile bellum in Germania accendat. Iam si Gallum elegerimus, oportebit nos suffragia nostra tueri. Vbi si incidet discordia cum Austriacis, num arma geremus ad opprimendam domum Austriæ? nec nos vetus necessitudo, nec sanguinis coniunctio, nec merita & nobilitas domus Austria-

cæ: denique non Maximiliani manes à tanto scelere deterrebunt? Deinde oppressis Austriacis, an putatis libertatem cæteris Principibus in tuto fore? Vt Mediolanum non reddet vnquam Germanis, ita, vbi poterit, Gallorum potentiam augebit. Nihil me illa magnifica promissa mouent, quæ audistis. Non pacta, non Leges plus valent quam iracundia, superbia, ambitio victoris. Scimus Gallum in patria, quam natura amare debebat, quosdam iam Principatus rapuisse: breuique orbatam videbitis Principibus vniuersam Galliam. Est omnino Gallus excelso animo præditus, sed nimis cupidus Monarchiæ. Nos autem nisi Aristocratiam Principum, in Germania omni consilio, omnibus viribus ac neruis tuebimur, male consulemus vniuersæ posteritati. Minus etiam mouent me, illa gloriosa promissa de bello Turcis inferendo. Equidem agnosco coniunctionem Germaniæ, Italiæ, & Galliæ, magnum ac salutare præsidium Europæ esse: si quis teneret pacatas & obedientes. Sed Gallus nihil gerere aduersus Turcas, aut volet, aut poterit: nisi prius domitis in Germania Belgis: in Italia vero recuperata Neapoli. Has ad res armare Gallum, hoc est, ad crudele bellum in ipso imperio excitandum; nostra auctoritas nequaquam debet. Nec est, quod mihi quisquam obiiciat, vaticinari me de rebus ambiguis. Ego vero certa & explorata commemoro. Iã enim vt dixi, bellũ denunciatũ est: conscripti exercitus: quos tamẽ fama nostræ electionis, si aliũs fuerit electus, facile reprimet. Quare vt finiam hanc disputationẽ primũ lege & iuramento impediri nos censeo, ne Regem Gallicũ Franciscum ad Imperii fastigium euehamus. deinde etiam, si eligere eum liceret, censeo id non esse è Republica, sed futurum exitiale Germaniæ & fortassis vniuersæ Europæ. Quare profiteor me suffragio meo nequaquam accersere Gallum ad Imperium. Restant duæ deliberationis partes, an Carolus sit eligendus, aut alius quispiam Germanicus Princeps. Hæc deliberatio multo mihi difficilior est. Nam de Carolo, opinor plerosque vestrum, propter multa graues causas dubitare, quæ etiam meum animum non leuiter mouent. Primum Hispania longe dissita est à Germania, quod vt libertati nostræ tutius videtur; ita si Carolum detinebunt Hispaniæ, interea sine præsidio, & sine custode publicæ tranquillitatis erit Germania: & vel Turcici belli caussã, vel propter

pter domesticos Principum tumultus, necessitas publica flagitat, vt velut in statione adsit Imperator. Quid? si etiam subito de Imperio, aut de religione, exarserit aliqua seditio? Equidem perhorresco, cogitans quantū tunc habitura sit periculi hæc natio absente Imperatore. Fateor huius periculi cogitatione angi animū meum. Aliud leuius est, sed tamen non cōtemnendum. Si enim iratus aliquando in Germaniā veniret, & Hispanos adduceret, libertas nostra non esset in tuto. Fortassis & Hispani difficulter nobis restituent Imperii decus, postquā semel in hanc possessionem venerint: præsertim cum aditum ad Italiam eis patefaciat. Et cum suo sanguine recuperabunt Mediolanum, non sine certamine inde nobis cessuri sunt. Videretur igitur tutius, omissis exteris Regibus, eligere aliquem, prudentia, iustitia, fortitudine, & fide præstantem virum, ex reliquis nostris Principibus, vt sæpe maiores nostri fecerunt: qui plerunq; virtutem in electione magis spectasse, quam potentiam videntur. Agnosco id quidem, sed tunc populi Germaniæ minus erant contumaces. *Facile erat* (vt dicitur in prouerbio) *Imperium in bonis.* Nunc autem quid fieret, si electo Imperatore infirmo, nec Belgæ, nec Austriaci parerent? Et vt futurum non dubito, si bellum inter duos Reges, Gallicum & Hispanicum, in Belgico, aut in Italia orietur: an imperator, velut otiosus spectator, sineret duas exteras nationes diripere bonam Imperii partem? Quid? quod ipsi Principes Germaniæ, vt nunc sunt mores, spreto suo Imperatore, alii secum Austriacis, alii cum Gallis coniungent. Vt igitur lepores dicuntur frustra concionari leonibus, ita sedebit noster Imperator, velut lepus, edicta componens leonibus, videlicet istis Regibus: quæ edicta derideant omnes exteræ nationes. Minus periculi fuit, cum regnaret Fridericus Tertius: & tamen dedecori nobis fuit, tunc Burgundum ferre signa per bonā Germaniæ partem: Philippum Mariam impune grassari in Italia: alibi etiam circūsederi Imperatorem in ipta Austria: nec sibi Bohemicis auxiliis liberari: postremo ab Hungaris pelli Austria, & eiici ex suis laribus, cum quidem ea ætate haberet coniunctos Principes, meum auum Marchionem Albertum, fortem & sapientem virum, & Albertum Saxoniæ Ducem. Quid nunc fieret, cum exteri Reges haberent alii

alios Principes stipendiis obligatos ? Et quam multæ causſæ incidere possunt, vel Principibus, vel ciuitatibus detrectandæ obedientiæ ? Videntur etiam de religione impendere horribiles tumultus. Sunt enim semina iam sparsa de indulgentiis, de potestate pontificia, de auctoritate Ecclesiasticarum traditionum : quæ etiamsi adhuc sanabilia existimantur, tamen paulo post, magnam mutationem vniuersæ Ecclesiæ afferent. Nullum enim doctrinæ genus maiore applausu exceptum est, quam hoc. Et quotidie plura dogmata mouentur, irritantur ingenia ferocissimarum gentiũ in Germania. Saxonicæ & Helueticæ. Nec poterit sine Synodo tranquillitas Ecclesiæ restitui. Quæ autem erit infirmi Imperatoris auctoritas, vel in petenda Synodo, vel in defendenda : præsertim si cæteri Reges aduersabuntur. Nihil enim de Turcicis bellis dicam, etsi nostrum est, non modo de defendendis finibus nostris, sed etiam de liberanda Græcia cogitare. Quam ad rem opus est multarum Nationum copiis, & viribus : quas contrahere Imperator, si parum habeat auctoritatis, non poterit. Hæc atque alia multa meum animum adducunt, vt in hac electione potentiæ rationem ducendã esse iudicem : nisi Imperatorem velimus habere, qui titulum & vmbram Imperii, sine auctoritate, sine viribus gerat. Itaque antefero Carolum Archiducem Austriæ cæteris Germaniæ Principibus : & incommoda, quæ de illius electione colligi possunt, leuiora iudico omnibus, quæ alterius cuiusquam electionem secutura essent. Primum origo est vere Germanica : nec dici potest, nos re transferre Imperium ad exteros, titulo tenus Principem habere Germanicum. Possidet enim in Germania ditiones plurimas, quæ parent nostro Imperio : & quarum aliquæ antea pepererunt Imperatores. Nec credibile est, hoc animo esse Carolum erga patriam, vt velit Austriam, aut Belgas, opprimi seruitute, ab vlla extera natione. ergo de origine Caroli nulla disputatione opus est. Et si quis scrupulus est, ne transferatur Imperium ad exteros, habemus solennem formulam iurisiurandi : iuxta quam fidem dabit Carolus, se non labefacturum, aut mutaturum iura electionis nostræ, & Imperii statum. Cum igitur & origine vere sit Germanus, & tempora flagitent potentem Imperatorem : censeo Carolum Austriacum euehendum esse ad Imperii fastigiũ. Quod ipsum tamen nõ facerem, nisi indoles eius nobis nota &

nota & probata esset. Omnium maximarum virtutum, præsertim in Principe, fons est, amor religionis Christianæ. Hæc virtus in primis eminet in Carolo. Quare pactorum, & iurisiurandi violationem, tanquam summum scelus detestatur. A crudelitate eum abhorrere natura, multis certissimis indiciis comperi. In controuersiis diiudicandis, in coërcendis improbis, iustus est. Ingenii vis, prudentia ac diligentia, iam conspici potuerunt. In tyrocinio Regni Hispanici magnos motus compescuit. Et constat eum suo ingenio multa grauiter & dextre respondere & constituere. Magna laus in iuuene & hæc est, & signum multarum aliarum virtutum, quod pudicitiam amat: quod nullis libidinibus obnoxius est. Quare religionis, iustitiæ, & pudicitiæ custodem fore credibile est. In tali natura nihil tyrannicum exoriri potest. Regent enim eum illæ virtutes: vt seruet pacta, vt nulla moueat bella iniusta, vt non mutet veterem & constitutam Imperii formam. Excitabunt eum etiam ad liberandum orbem terrarum impietate Turcica: ad propagationem Ecclesiæ Christi: ad tuendam & muniendam disciplinam: vt homines ad pietatem & cæteras virtutes assuefiant. Ac ne ingenium eius mihi inexploratum esse putetis: prudentissimorum hominum, qui eum familiarissime norunt, & acutissime de ingeniis iudicare possunt, exploraui sententias. Hi probant ingenium, ac mirifice eius bonitatem laudant. Postremo si de ingenio coniectura facienda est ex natura maiorum (quia quædam similitudo propagari solet) meminimus quanta vis animi, prudentia, iustitia, fortitudo, continentia, in Maximiliano fuerit. In patre Philippo dexteritas, & industria singularis erat. Non dubito autem, quin maiorum naturam Carolus referat. Nec ætas est asperuanda, quæ iam matura est rebus gerendis. Nec enim quærendus est senex Imperator, vt cum biduum aut triduum imperarit, postea de electione noui tumultus oriantur. Videtis in hoc nostro consensu, quam varia sint multorum Regum certamina de electione: quid futurum est aliquando, vbi dissentient Electores? Vtinam quidem electorum concordia perpetua sit: sed multa incidere possunt, præsertim in hac disciplina, ac morum corruptione, & gliscentibus Ecclesiasticis discordiis: quæ animos eorum disiungant. Quare interregna plena periculorum futura sunt. Accedit & illud, quod Carolus vtetur consiliariis aut: & leget

in senatum Principes Germanicos, sine quorum consilio, nihil de maximis rebus decernet. Exposui causas, quare Carolum eligendum esse statuam: ac meo iudicio, ita multę graues causæ concurrunt, vt hanc electionem sperem Germaniæ ac toti Europæ salutarem fore. Quod autem initio disputabam, quantum foret incommodi, si Imperator perpetuo abesset extra Germaniam, moueor equidem hac difficultate: sed de ea re in formula constituendi & regendi Imperii, cũ Carolo agendum erit. Cumq; habeat amplissimos in Germania & in Belgico Principatus, tribuet hoc necessitati earum gentium, tribuet patriæ, vt sæpe in Germaniam veniat. Non ad ociosa spectacula se accersi intelligit, cum ad Imperium vocatur: res magnæ ei gerendæ erunt. Galli depellendi ex Italia: Turcæ arcendi ab Austria liberandæ & vicinæ regiones: Ecclesia emendanda & constituenda. Harum maximarum rerum curam, vt suscipiat, ipsa eum Heroica natura & virtus exsuscitabit. hæc non sinet eum domi languescere ocio & voluptatibus. Et facilis aditus est in Germaniam ex Italia, quæ ei multis de causis sæpe adeunda erit. Sicut Carolus Magnus, Othones, Henrici, crebro in Italiam venerunt: alias, vt Ecclesiasticos tumultus sedarent: alias, vt depellerent barbaros: alias, vt ciuitatum seditiones opprimerent. An existimatis eũ non venturum esse, vt Austriæ, quæ vere ei patria est, opem ferat? cum vel in Pannoniis, vel in ipsa Austria Turcicas legiones vagari audiet? Ille vero magno animo accurret, vt & patriæ & toti orbi Christiano, opem ferat. Quare de absentia cum cogito, qua mente præditus sit, quæ eum pericula exuscitatura sint: etiam minus sum solicitus. Fata etiam his temporibus promittunt Imperatorem, qui maiores, magnitudine potentiæ, superaturus sit. & addunt alteram laudem, multo gratiorem: futurum vt bonitate & clementia præter cæteros Reges excellat, nec alium nisi Carolum, vaticinor. Quare opto vt Deus Imperium ipsi committat, eumque gubernet, ad salutem orbis terrarum. Dixi quæ in præsentia de electione colligere potui. Sed quia communis est hæc deliberatio nostri amplissimi senatus, & vos pro vestra sapientia, plura etiam de Republica cogitasse existimo: quæso, vt singuli suas sententias exponant, vt deinde eligamus eam, quam omnes collatis opinionibus maxime è Repub. esse iudicabunt.

Hæc cum dixisset Moguntinus, & hortaretur cæteros, vt

suo

suo quisq; ordine exponeret suã deliberationem: cõgressi alii, ac pauca collocuti; Treuirum iubent dicere, qui pollebat ingenio, doctrina & vsu rerum. nam & Romæ in Iudiciis & negociis publicis diu versatus fuerat, & in Germania propter domesticã administrationem. & dexteritatẽ in publicis negociis, vel Imperii, vel aliorũ Principum, magnã prudentiæ laudem erat consecutus. Nec vlli ex nostris Principib. res Gallicæ erant notiores. Is, quia in priuatis congressib. aliquoties oppugnauerat Caroli Electionem, videbatur paratus ad dicendum venire. Cæteri, vt liberius suam sententiã exponerent, initio audiendum eum esse censuerunt. Sic igitur exorsus est.

Audio in hac ipsa vrbe, cum patres vestri ad eligendum Maximilianum conuenissent: adfuisse vatem qui dixerit, vltimum Germanicorum Imperatorum fore Maximilianum. Cumq; initio fabulam, sine certo auctore natã, existimarent: diligenter inquiri auctorem iussrunt. Quem cum ad se vocassent, & ex moribus & sermonibus hominis, iudicarent non temere eum has fatidicas voces edere: valde hoc vaticinium admirati sunt, multaque de posteritate, mutatione Germaniæ collocuti feruntur. Meminit hæc sine dubio Dux Saxoniæ Fridericus, qui tunc vna cum patre Ernesto adfuit. Propemodum autem respondet illi prædictioni, euentus. Audiui enim attente eloquentissimum Principem Moguntinum, qui cum diligentissime collegerit omnia, quæ nobis in hac deliberatione prospicienda sunt: tamen ad extremum hoc censet vtilissimum esse orbi terrarum, vt peregrinum Imperatorem accersamus. id si fatale est, frustra repugnamus. Sed illud miror, cur ipse Hispanum anteferat Gallo: Qua in re primum mihi deploranda est Germaniæ conditio. Nihil nobis externis præsidiis, nihil peregrinis Ducibus opus esset si maiorum suorum virtutem nostræ ætatis Principes imitari vellent. Otium & seruitutem quærimus, dum externum Principem adducimus. An putatis, aut Auos vestros, Albertum Marchionem, aut Fridericum Palatinum, aut Albertum Saxonem fuisse vnquam externum Dominum adducturos? ipsi militabant, res gerebant. Nec vnquam exercitus, pecunia, arma, nostris defuerunt, quandocunque vel mediocres Duces habuerunt.

Verum omitto querelam. Si omnino peregrinus Imperator habendus est, causſæ ſunt plurimæ, quare Gallicus Rex anteponendus ſit omnibus. Ac priuſquam dicam huius mei iudicii rationes, primum de lege & iureiurando diſputabo, vnde exorſus eſt Moguntinus. Opinor maiores noſtros hac lege cauere voluiſſe, ne Germania amitteret Imperii decus: eoque peregrinos Reges eligi noluerunt, hoc eſt tales qui non haberent in Germania domicilium: ne externa natio paulatim vſu caperet imperium. Hæc ſi eſt voluntas legis, nihilo magis licebit Hiſpanum eligere, quã Gallum. Hiſpanicus Rex longius à nobis abeſt. & natio ipſa dominationis cupida & bellicoſa, poſtea ſibi Imperiũ extorqueri non ſinet, vt poſtea iterum dicendum erit. Et ſi hoc ſatis eſt cauſſæ, cur Carolum eligimus, quia tenet quaſdam ditiones ad Imperium pertinentes? Valeat idem in Gallo, qui Mediolanum, & Regnum Arclatenſe, veterem noſtrorum Imperatorum ſedem, in poteſtate ſua habet. Denique prorſus ita ſentio, quod ad electionem attinet, non minus accerſi peregrinum Imperatorem electo Hiſpanicõ, quam Gallico Rege: etiamſi aliqua ſubtili interpretatione iam inſeritur Hiſpanus Germaniæ, eamque totam deliberationem in vtramque partem diſputari poſſe iudico: & penes nos declarationem legis eſſe ſentio. Quærendum igitur eſt, vtrum ſit vtilius. Ego cum cogito illam auream ætatem noſtri Imperij, cum eſſent coniunctæ Francorum temporibus, Germania & Gallia: ac reputo quantum ea coniunctio ad tranquillitatem vniuerſæ Europæ contulerit: mirabiliter afficior, noſque beatos ducerem, ſi eum ſtatum reſtituere poſſemus. Diuinitus autem nunc oblata eſt occaſio eius rei efficiendæ. Quare nihil dubito vos adhortari, omni ſtudio, vt occaſione vtamini, nec ab hoc meo iudicio diſcrepat Italia. Idem optare ſcio Romanum Pontificem, Venetos, Italiæ Principes, ac ciuitates omnes. Cum tot iudicia congruere videatis hominum ſapientiſſimorum, nolite exiſtimare leues cauſſas eſſe, cur idem tanto conſenſũ probent, & omnibus votis expetant omnes. Gallica gens, vt eſt vere cognata Germanis, ita opinionibus, ac moribus, liberalitate, clementia, pietate, literarum cultura, Germanis ſimillima eſt: &, quod conſtat, vna eſt exteratum nationum maxime amans noſtrorum hominum: vt veſtigia quædam cognationum in hac ipſa benevolentia

agnoſci

agnosci possint. Vicinia vero quam est opportuna, ad defensionem vtriusque Regionis, si quis subitus tumultus inciderit. Nec ad Italiæ pacem tuendam reperiri vtilius consilium potest, coniunctione harum duarum gentium: quarum vtraque exercitus ingentes equitum ac peditum conficere, & Gallia suppeditare belli neruos: videlicet ingentem vim pecuniæ potest. Et quia non solum Germaniæ, sed toti nomini Christiano, in hac electione consulere debemus, quærendum est præsidium aduersus Turcica arma. Cum enim teneant iam pacatam Asiam, nihil dubium est rursus in Europa bellum molituros esse. Inuadent Pannoniam, & Italiam. In tali discrimine, quid erit optatius, quam Imperatorem habere instructum, copiis ac viribus Germaniæ, & Galliæ? At contra, vt de ingeniis ac natura gentis Hispanicæ nihil dicam, quæ etiam si est bellicosa, tamen non tam viribus pugnat, quam arte. Itaque nulla magna res ab eis in Italia sine auxiliis Germanicis gesta est. Sed cogitate, quam procul dissita sit: certe in subitis tumultibus non poterit nobis, vel Italiæ, vel Pannoniæ, opitulari. Patria est Caroli Austria, ne hanc quidem Hispani tuebuntur: & vt volent, non poterunt. Non enim nisi exiguas copias domo mittunt, eiusq; rei causa est, quod nauigationibus Hispania exhauriatur: nec cœli nostri grauitatem satis ferre possunt. Est & illud commodi, si cum Gallis militemus: vestro ductu omnia gerētur: vos in gloriæ societatem admittent Galli, etiam si sunt glorioſi. At vbi cum Hispanis militabitis, illi vos tanquam mancipia regent: ipsi laborib. ac victoriis vestris fruentur: præripient honores: præerunt prouinciis. Vos tum sero deplorabitis seruitutem vestram. Sed gentium collationem omitto: de ipsa Electione dicam. Tenet hoc tempore Gallus Mediolanum, qui si erit Imperator, ne causa quidem belli in Italia futura est. Nam quod Gallus existimatur Neapolim petiturus, vestra eum auctoritas facile ad alias res vtiliores auertet, si habebitis obligatum beneficio vestro. A Belgis etiam abstinebit, si quiescant ipsi: vt facient certe, conterriti Germaniæ consensu, præsertim si non fuerint irritati. Nec ego velim illos irritari. Vicinos enim habuimus Belgas longo tempore, non socios Imperii. nostra edicta nihil morantur: nostris periculis nihil afficiūtur. Suum quoddam Regnum ibi habent, nihilo magis coniunctū cum Imperio, quam sunt Angli aut Scoti. Quare quod verentur

aliqui futurum, vt Germania bello implicetur, si Belgæ non obtemperarent, qui Imperia nostra multis iam sæculis contemnunt: nihil periculi est: nullum sine vestro consilio bellum Gallus mouebit. Et quia Insubriam tenet pacatam, & hoc tempore optime instructus est omnibus rebus ad bellum necessariis: vnam hanc laudem, vnum hoc decus petit, vt à nostris ceruicibus depellat Turcas: vt Selymum ingentibus successibus, ac minitantem Italiæ exitium, adoriatur omnibus viribus. Quare nihil dubito pollicen, electionem Galli allaturam esse Germaniæ tranquillitatem, Pannoniæ atque Italiæ salutem. At contra si elegerimus Hispanum, quam atrox bellum accendetis in Italia, ad recuperandum Mediolanum. Etsi autem incerti sunt exitus bellorum: tamen vt tandem sit fortuna Imperii superior, diu trahet bellum Hispanus, vt solet assiduitate vincere, non Achillæo more properās, vt totis viribus dimicet. Interea Italia vastabitur crudeliter. Nos occupati rebus Italicis, Turcam non poterimus arcere. Hæc pericula nescio cur extenuentur, quæ ad totum orbem terrarum pertinent: cum è regione tam diligenter colligantur & amplificentur pericula, quæ Galli electionem comitari videntur: quæ tamen & leuiora & incerta sunt. Illud certum est, Italiæ horribilem vastitatem denunciari electione Hispani: futurum etiam, vt Turci interea opprimant Pannonias. Nihil dicam de exitu belli Italici, in quo si Gallus vincet, tum vero appetet Neapolim, & fortasse Romæ coget Pontificem, vt nostram electionem improbet. Qualem tragœdiam ea res paritura esset? Sed vincat Imperii fortuna, quid accidet? Hispani tenent Italiam, nunquam nobis reddituri. Noui eam gentem, cupidam Dominationis: Polypi sunt, quod semel prehenderunt, extorqueri sibi non sinunt Et eum Italiæ possessione retinere Imperium haud dubie volent. Non diuino equidem, sed de rebus futuris coniecturas colligo probabiles. Nulla est tam ignaua natio, quæ si Italia potiretur, vltro cessura esset: tantum abest, vt genus hominum bellicosum, gloriæ atq; imperii auidum, cessurum nobis existimetis. Omnibus temporib. creuit hoc modo Regnum, & populorum potentia. Carthaginenses semel accersiti in Siciliam, postea multis sæculis depelli non potuerunt. Sed vetera omitto. Illi ipsi Turcæ, quos iam tantopere formidamus, postquam semel in

mel in Europam traiecerunt, accersiti à Constantinopolitano Imperatore; progredi, non regredi, postea statim conati sunt. Ipsi Hispani infinitas ærumnas perferre maluerunt, quam deserere Neapolim, quam accersiti specie societatis, & Italorum ope adiuti, redegerunt in suam potestatem. Ita nunc inuitati, adiuti à Germanis, potiétur Mediolano Quare censeo; non esse in Italiam adducendos Hispanos. De ipsorum Regum ingeniis pauca dicam. Etsi enim existimo indolem in Carolo ad iustitiam & bonitatem esse dignam isto genere: & audio, modestum ingenium esse, tamen si quis existimet in adolescente conspici posse eas virtutes, quæ in summo Principe orbis terrarum ac Duce præstantissimo requiruntur: errat. Opus est orbi terrarum primum tali Principe, qui sapientia & moderatione sua emendet Ecclesiam. Sapienter enim Moguntinus de Religione, & de impendentibus Ecclesiæ tumultibus locutus est, quorum sparsa sunt semina. Scio autem Regem Franciscum non modo singulari dexteritate ingenii, & prudentia in iudicando præditum esse: sed etiam de Religione cum doctissimis hominibus multa solere disputare, multa ipsum legere. Et intelliget hanc esse summam laudem magni Principis, si non desit recte constituendæ Ecclesiæ. Deinde hæc tempora requirunt Ducem peritum; acrem, & fœlicem in armis. Hac in re non indolem in Francisco, sed spectatam iam industriam prædicare possumus. nemo enim Regum Gallicorum, aliquot sæculis res gessit maiores: & quidem exiguo tempore. Cumque vulgo tribuatur Gallis quædam animi mollities, quod inchoata negocia cito abiicere dicuntur, si initio non responderit eorum spei euentus: hic Rex constantiam suam in rebus gerendis declarauit; eumque diuturnum & varium bellum in Insubria gesserit, res tantas præcipue suis consiliis gubernauit. Nec defuit ei fortuna: nemo enim profligauit vlla memoria, inde vsque à Iulio, maiores aut firmiores Heluetiorum exercitus. In his negociis, cum fortuna pene indulgens in eum fuerit, sperandum est, & in posterum eius consiliis Deum affuturum in Imperii pace tuenda, & in defensione totius Reipublicæ Christianæ. Quid igitur anteferemus adolescentem, cuius indoles nondum satis explorata est huic Regi? cuius

sapientia, virtus, & fœlicitas, in toga & in armis cognita est. Postremo addam hoc vnum argumentum, quo etsi fatetur se moueri Moguntinus, tamen nos bene sperare iubet. Nullis verbis dici potest, quantum periculi sit Imperatorem abesse extra Germaniam, & ita abesse, vt nõ statim cum opus est, accurrere possit. Quid fiet, si vel Turcæ subito irruptionem fecerint in Germaniam, vel seditiones aliquæ orientur inter Principes? Vt in sæuis tempestatibus nauis sine gubernatore, ita Respublica sine Imperatore, tali tempore seruari non potest. Accedit aliud perpetuum incommodum: non aspiciet res Germanicas ex propinquo. Itaque multa nescíet, multas falsas fabulas credet: leuius afficietur nostris rebus. Nullos habebit secum Principes Germaniæ, qui cum eo libere de Repub. loqui possint. Sedebit circumfusus ab Hispanis, quorum de multis reb. iudicia & voluntates à Germanis discrepant. Mittet edicta in Germaniam, nec causis, nec temporib. congruentia, quæ tranquillitatem perturbatura sunt. num hæc incommoda leuia ducitis? Quid? si ipse etiam incensus artificiis aliquorum, veniet iratus in Germaniam, & adducet Hispanos? qui vt Campaniam, vt Apuliam inter se partiti sunt, ita vestras ditiones prædam suam esse arbitrantur. Prouidendum est autem ne talis aliquis error Germaniæ vastitatem & huic imperio interitũ afferat. An illas maiorũ vestrorũ sedes vultis Hispanorum colonias fieri? vestros posteros à summis ortos Heroibus, venire in seruitutem? & aboleri ornamenta Reipublicæ, à vobis sapienter & sancte instituta iura, iudicia, disciplinam? hæc enim omnia in seruitute mutantur. Sed de hac re plura dicere ominis caussa nolo. Si igitur est habenda potentiæ ratio in electione, vt ego quoq; arbitror: & fatale est horum Regum alterũ eligi, ego Gallum antefero: & nequaquam censeo Hispanum eligendum esse. Sed si lex impedit, ne Gallus accersatur, magis etiam impediat, ne Hispanus eligatur, cum eius electio, quantum prospici humanitus potest, minime salutaris futura Germaniæ videatur. Ac decurramus ad maiorum nostrorum exempla, & vere, non callida interpretatione, legem seruemus. Ac vere Germanicũ Principem, qui non aliud domicilium, nisi in Germania habet, qui origine, ingenio, lingua, moribus Germanus est, eligamus. Nec me vsq; adeo mouet quod ait Moguntinus, leporẽ leonibus imperaturum esse: magis illud videndum, ne Ciconiã

ranis, seu

ranis, seu coruis vulturem, præficiamus. Potentia Germaniæ satis magna est, si quem eligemus, qui virtute auctoritatem sibi cõparare poterit. Accepit hoc Imperium & pene funditus collapsum, Rodolphus mediocris Princeps, tantum propter virtutem electus: ac breui ita erexit, vt regibus vicinis omnibus formidabilis esset. Audio Ludouicum Regem Franciæ proximum, cum essent de Imperio Germanico sermones: & quidam Maximilianum per iocum vocasset *consulem Augustanum*, significans eum paucis ciuitatibus imperare, duriter increpuisse illum, & respondisse: *Imo vero nequaquam Germanici Imperatoris potentia contemnenda est, cum ille Consul tympanum pulsat, tota Francia tremit.* Honeste Ludouicus: Noluit enim in Regum Maiestatem iocos, aut conuicia dici. Sed tamen illud etiam ostẽdit, se Maximilianum propter virtutem, cuilibet potentissimorum Regum parem ducere. Nec adeo videtur extincta esse virtus in familiis vestris, nemo vt reperiri possit, hoc fastigio dignus. Tres sunt familiæ, Bauarica, Saxonica, & Marchica, quæ quadam mediocritate potentiæ auctoritatem in Germania tueri possunt. Et sunt in his aliquot Principes, qui ingeniis & virtute sustinere magnitudinem huius administrationis queunt. Ex his si quem elegerimus, consentientib. suffragiis, eumq; nos defensuros esse ostendemus, vt æquum est: omnes Principes & populi erunt in officio. Vt igitur habeat auctoritatem, virtute opus est: vt accedant vires formidabiles exteris omnibus, vna re opus est, videlicet Electorum consensu: quem inter nos quidem perpetuum spero futurum esse. Nemo est enim inter nos, qui sibi potentiam aliquam quærat: quem ambitio, aut vlla cupiditas incitatura videatur aduersus communem imperii tranquillitatem. Tali sapientia & grauitate præditos esse Electores, cũ salutare est Reipublicæ, tum vero ad omnem posteritatem Germaniæ glorioſum. Itaq; mirifice delector recordatione huius vestræ virtutis. Omittamus igitur Hispanum, & virtute cum exteris certemus. Non quæramus alios qui nobis imperent ociosis. Nihil enim indignius est natis Heroico genere, quam inertia fugitantes laborem, aliis cõcedere Imperii gloriam, & seruitutem accersere. Quoties in Germania mediocres Principes cõtraxerunt Regios exercitus, & res præclaras gesserunt? Fuit recens Dux Saxoniæ, Albertus, qui suis sumptibus magna ex parte bellum in Belgico gessit. Quid?

ante hunc quantos exercitus sæpe contraxit Marchio Albertus? Patri tuo, Friderice, Duci Ernesto, bellum denunciarat Rex Pannoniæ Matthias: quantas copias, quantum robur ex vicinis Regionibus subito contraxerunt, pater & patruus tuus? Itaque cessit vobis Pannonius sine dimicatione: quod non feciſſet, si duorum fratrum ingenia & vires contempsiſſet. Quare non dubito posse iniri rationem, electo Germanico Principe, ne ei vires, copiæ, arma desint ad tuendam auctoritatem domi & apud exteros. Exposui meæ opinionis causas, non vt postulat magnitudo negocii: sed vt in præsentia potui, maximeque cupio audire, quid iudicent cæteri Electores, qui diu Imperii consiliis interfuerunt, qui Germaniæ statum & vires, qui omnium Principum ingenia & facultates norunt: qui Maximiliani consilia de rebus his meminerunt: denique qui longum in administratione Imperii vsum habent: quorum cum audiero orationes, de tota re diligentius disputare potero.

Cum dicere desiiſſet Treuir, taciti aliquandiu sederunt Principes, tanquam defixis animis in cogitatione vtriusque orationis. Exaggerata enim magnitudine periculorum in vtraque parte, quorundam animos nonnihil impulerat Treuir, vt ad illud decurrerent, vt omissis Regibus quærerent aliquem alium ex Germanicis Principibus. Sed hunc quærentes, animis magis etiam dubitabant. Iubent igitur tandem Fridericum Saxoniæ ducem, natu maximum, suam sententiam exponere: qui pauca præfatus de lege, dixit: Interpretationem Treuiri, subtiliorem esse quam qua vti ipsos deceat. Addiditque non dubitandum esse, quin lex impediat Galli electionem. planum & illud esse, Carolum vere Germanicum Principem esse: & in Germania domicilium habere. Et opus esse his turbulentis temporibus Principe, qui auctoritatem virtute & potentia tueri possit. Ideo se non dubitare, quin omnibus anteferendus sit Carolus Archidux Austriæ. Sed tamen prius conditiones quasdam ei ferendas esse, vt in tuto sit Germaniæ libertas, & vt pericula, de quibus disputatum est, quantum prouideri potest, caueantur. Eadem sententia dicta est à cæteris Electoribus. Treuir cum videret omnium animos ad Carolum inclinare, agnoscere se, inquit, Germaniæ fatum, & impendentem

Imperii

Imperii mutationem. Quanquam igitur non desinit hortari, vt diligentius hæc res deliberetur, tamen affirmat se publicæ concordiæ causa, suum suffragium cum illis coniuncturum esse. Hac acerrima contentione eius diei in multam noctem producta, tandem ita discedunt, vt postridie conueniant de conditionibus deliberaturi, quas Caroli legatis propositurus erant, qui Moguntiæ euentum expectabant. Fuit igitur de conditionibus illis postea per aliquot dies non minus contentionis: quæ præscriptæ & Moguntiam ad Legatos missæ, cum essent receptæ, dies constituitur, eundi in suffragium solenni more. Itaque rursus sacro publice facto, ingressi in sacrarium interius templi Diui Bartholomæi suffragia ferunt hoc ordine. Cœtus Electorum reliquus interrogat Moguntinum, quem eligat Regem Romanorum & futurum Imperatorem: is respondet, se eligere Carolum Archiducem Austriæ. Deinde & Moguntinus reliquos interrogat. Hoc modo omnium consentientibus suffragiis Carolus electus est Imperator. Deinde suffragia relata sunt in literas, & confirmata singulorum sigillis. Postea accersita Nobilitate ac multitudine vniuersa, publice facta est renunciatio, tum in hanc sententiam habuit Moguntinus orationem.

Quod fœlix, faustumque sit Ecclesiæ Christanæ, Imperio nostro, & patriæ, renuncio vobis electum esse Regem Romanorum, & designatum Imperatorem Carolum Archiducem Austriæ & Burgundiæ, Regem Hispaniæ. Qua in re primum agendæ sunt Deo gratiæ, quod summa concordia & consentientibus Electorum Principum suffragiis res tanta perfecta est. Sæpe enim antea cum dissentientibus Electorum studiis & voluntatibus diuersi eligerentur, orta sunt inter Germanos bella ciuilia, plena impii furoris & crudelitatis, in quibus domi mutua cæde flos Nobilitatis extinctus est: absumptæ Imperii vires, ac pene vniuersa Germania in solitudinem, vastitatemque redacta est. Foris autem nomen Imperii nostri contemni cœpit: Italia deficere, & alios Reges accersere: Turcæ impune grassari, dum nos impliciti domesticis bellis, reprimere eos non potuimus. Porro quantum mali hoc tempore discordia Electorum paritura erat? cum nō solū Germaniæ Principes, sed fortassis etiam exteri Reges in media Germania de Imperii pos-

sessione dimicaturi fuissent. Nec leuiter tentata res est, vt cõsensus noster dissolueretur. Quare ego quidem non minus propter cõcordiam nostram, quam propter electionẽ ipsam, lætor: Deoq; gratias ago, qui mentes omnium ad cõcordiam retinendam flexit & gubernauit. Qua incolumi speramus huic nationi non defuturum consilium ad defendendam patriam & Imperii dignitatem. Etsi diuinitus potius, quam humana prudentia perfectum est, vt voluntates nostræ cõgruerent, tamen hac in re etiam vestra virtus ac sapientia Electores, maximam gloriã vobis apud exteros Reges pariet: conciliabit & beneuolentiam nostrorum Principum, qui vobis tantæ rei arbitrium solis cõmiserunt, vt dominum ipsis, vt custodem publicæ salutis, vt Ecclesiæ, orbis terrarum propugnatorem elegeritis. Apud hos eo plus admirationis hæc vestra diligentia grauitasque habet, quod ipsi norunt quosdam non modo variis artificiis, sed etiã propositis minis ac terroribus, conscripto exercitu hoc ipsum conatos esse, vt nostras mentes distraherent ac dissociarent. Vtinã nostrum exemplum & posteris prosit, qui quantis laudibus vestram celebrabunt sapientiam, & virtutem? quod cauistis ne discordia inter vos orta, bellum æternum & exitiale patriæ excitaretur. Sed vt ante dixi, Deum agnoscamus auctorem esse huius consensus: eũq; ardentib. votis precemur, vt sit perpetuus. Deinde postquam electus est Carolus, non dubitemus quin Dei consilio & voluntate ad hoc tãtum fastigium euectus sit: Nam haud dubie fato & voluntate Dei Imperia dantur. Agamus igitur Deo gratias, quod Principem nobis optimæ atq; amplissimæ spei dederit: ac peramus, vt auspicia Imperii sint fausta ac fœlicia, & vt Deus gubernet Regis Caroli animum, consilia, actiones, ad gloriam Christi illustrandam, ad Ecclesiæ tranquillitatem cõstituendam, ad patriæ atq; Imperii pacẽ defendendam, ad Religionis, legum, iustitiæ, disciplinæ, conseruationem. Hæc ingẽtia bona cogitemus vere esse cœlestia beneficia, quæ generi humano per bonos Principes Deus impertit. Quare à Deo piis & assiduis precibus petenda sunt. Quemadmodum ille, cum inquit de Deo, *Qui dat salutem Regibus*: admonet ita esse fœlicia Imperia, si Deus det salutem, si gubernet atq; adiuuet eos, qui respublicas administrant. Omnes igitur inuocate Deum & Dominũ nostrũ Iesum Christũ, & hãc Psalmi vocẽ pio pectore ingeminate, quę precationẽ pro Rege continet:

tinet: *Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te.* Publico etiam nomine postulamus, vt Carolo Regi Romanorū, & electo Imperatori, ac Domino vestro obediatis. Quod quidem vos pro fide, virtute, ac sapientia vestra, facturos esse, non dubitamus: præsertim cum ille tanta modestia, iudicium nostrum ac suffragia expectauerit. Et quemadmodum nos in electione præstitimus, ne qua inter nos discordia oriretur: ita vos propter publicam Imperii tranquillitatem imitamini nostrum exemplū & communi animo electo Imperatori obtēperate: quem iure ac legib. scitis iam esse nostrum Dominum. Nam electio iure ac legibus facta est. Nullius noui exempli auctores sumus cōtra leges. Est autem officium necessarium, & præsertim sapientibus ac magnis viris dignum, iuri ac legibus obtemperare, parere Dominis, cauere omni studio, ne contumacia dissipentur Imperia. Ac tamen vt libentius huic Domino pareatis, eædem vos rationes hortētur, quæ animos nostros in Electione mouerunt. Etenim non solum nihil cōtra leges fecimus, sed etiam quantum prospici à nobis potuit, Deo gubernante nostras mentes in designando Principe, cōmuni saluti orbis terrarum consulere conati sumus. Quare, vt sancitum est, Germanicum Principem, & quidem in familia Imperatoria natum elegimus, quem indole ad virtutem egregia præditum esse cognouimus. Eminent autem in eo duę virtutes quæ in sumo Principe maxime necessariæ, salubres, & gratæ sunt, videlicet, amor Religionis, & bonitas eximia. quarum altera eum ad fugiendas libidines, ad vitandas temerarias mutationes, in Ecclesia & Repub. ad fidem seruandam constantiamq; in promissis, ad defensionem Religionis & Imperii, excitat. Vtraq; vero prohibet sæuitiam, crudelitatem, iniustam cupiditatem vindictæ. Etsi enim iudicauimus optus esse potente Principe, qui auctoritatem etiam virib tueri posset: tamen prius ingenium, & mores cōsiderauimus. Potentia enim non salutaris, sed pernitiosa esset orbi, si ingenium leue aut malum esset. Est autem ea iam ætas pene, quæ fuit Alexādri Magni capescentis Imperium: in qua vires corporis propemodum maturuerunt & ingenii vigor, industria, sagacitas, & mores se proferunt, vt iudicari, qualis sit natura possit. Itaq; cum sciremus, Regem Carolum suo iudicio multa honeste & grauiter respondere, & non solum non hebetem, sed etiā singulari industria & diligentia in obeundis negociis, aut prouī-

dendis, aut iudicandis, præditũ esse: & cæteras virtutes habere, bono & magno Principe dignas, statueremusq; tali præditum natura, opes & potentiam suam collocaturum esse, non ad nocendum, sed ad salutem humani generis: potius duximus tantis instructum viribus eligendum esse, quam alium his necessariis præsidiis destitutum. Hoc consilio censuimus boni Principis potentiam auctoritate armandam esse. Et quoniam nos non tantum Germaniæ, sed vniuerso orbi terrarum consulere debemus; vires comparandæ sunt, aduersus valentissimos hostes, non modo Germaniæ, sed totius Christiani nominis. Tantis incrementis, & tam subitis, annos iam ferme centum auctæ sunt res Turcarum, vt nemini dubium esse possit, eos Imperium orbis terrarum sibi polliceri, non modo propter virium magnitudinem, sed multa magis propter inusitatos atque admirabiles successus. Et vt omittamus priora, Selymus nuper non minori virtute, quam fœlicitate Persas, antea inuictos, ingenti prælio superauit, & ex Armenia eiecit. Deinde duobus amplissimis regnis Syria & Ægypto potitus est. Et in oriente Imperii Turcici limitem cum constituit, qui quondam Romani Imperii fuerat. Ac tantam gloriam consecutus est, vt maiores suos non solum regni amplitudine, sed etiam fœlicitate superare videatur. Nam & pater & auus Machometes, cum quidem Dux esset vnus omnium eius ætatis acerrimus, & fœliciſſimus, cum tentassent Syriam, acceptis magnis detrimentis inde sunt repulsi. At Selymus, velut in eodem cursu, profligato Persico exercitu, Syriam atque Ægyptum non sine acerrima dimicatione in potestatem suam redegit. Hunc, cum natura gloriæ & immensæ cupidus sit, non accessio virium, non magnitudo successuum incitaret ad res maiores suscipiendas? Ille vero iam classicum cecinit, & exercitus in Pannoniam misit. Videmus autem fato quodam hoc tempore duas bellicosissimas Nationes coniunctas esse, Germanicam & Hispanicam: ac tenet Carolus magnam Italiæ partem. Itaque si omnium gentium consiliis Dux aduersus Turcas legendus esset, haud dubie omnium votis expeteretur, & omnium suffragiis designaretur Imperator Carolus. Quare & vos & plerasque alias gentes, quæ cum Imperio nostro societate, aut fœderibus coniunctæ sunt, speramus iudicium nostrum summo studio

dio probaturos esse : præsertim cum omnes norint Carolum singulari moderatione naturæ præditum esse, maximeque a superbia, sæuitia, cupiditate iniustæ Dominationis, abhorrere. Esset enim formidanda liberis tanta potentia, essent metuendæ Imperii & orbis terrarum graues mutationes, nisi naturæ bonitate & timore Dei potentiam moderaturus videretur : Quod vt speremus, grauissimis argumentis adducimur. Indoles enim ipsius penitus nobis perspecta est, cognouimusque eum habere infixam animo mirificam reuerentiam erga Religionem, fidem pactorum constantissime præstare, & à crudelitate quam maxime abhorrere. Sunt autem omnium reliquarum virtutum nutrices, religio, veritas, & mansuetudo. Deinde familiæ natura mouemur, quæ Imperium iam annos plus octoginta ita tenuit, vt nondum pœnitere nos Austriacorum Principum debeat. in primis enim enituit in vtroque & auo & proauo, eximia moderatio & lenitas : quæ quidem in Maximiliano Cæsare non poterat segnities videri. nemo enim erat illo in armis acrior. Quoties armis dimicauit ipse ? quoties paruis copiis, ingentes fudit exercitus? Nunquam fortunæ succumbebat eius animus. Rursus in victoria, in toga mitissimus erat. & quod singularis erat prudentiæ, præcipuo studio cauebat ne iracundia incitatus, præberet occasionem mutationibus Ecclesiæ aut Imperii. Ab hoc prognatum Carolum, referre auitam moderationem animaduertimus : & ea esse grauitate præditum scimus, vt intuens in maiorum exempla non sit commissurus, vt ab illis degenerasse dicatur : vt alienos mores, indignos maioribus, accersiuisse, vt primus laudatissimæ familiæ notam superbiæ, & crudelitatis inussisse feratur. Meminit etiam aui præcepta, de timore Dei, de cura tuendæ Religionis, de clementia : quæ vt decet, velut oracula obseruat. Quanquam quid opus est longa oratione ? Iam specimen industriæ & virtutum aliarum dedit in Hispania. Auo eius materno extincto, magni motus in regno, & ciuiles discordiæ erant exortæ. has aduentu suo repressit. Cumque eius nationis ingenia bellicosissima sint, & exteros Dominos non facile patiantur, tamen ipse non tam armis, quam virtutis, ac præcipue bonitatis admiratione, totam Hispaniam nunc ita retinet in of-

ficio, vt nemo Regum vnquam tam pacatam tenuerit. Quare quantum humanitus prouideri potuit, elegimus Imperatorẽ, in quo cum virtute potentia coniuncta est, vt eius vires præsidio essent Religioni, Imperio, & vniuerso nomini Christiano. Proinde vos auspiciis Imperii ipsius læta & fausta precamini: eiq; libenter obedite, vt decet Principes & populos amantes publicæ tranquillitatis. Postremo cum ingentem luctum & mœrorem, interitus Maximiliani attulerit, decet vos vim fati æquiore animo ferre: postquã nepos, quem ille charissimum habuit, & nobis aliquando cõmendauit, ipsi succesfit, vt non omnino extinctus videri possit. Deinde ipsius manib. hoc officium tribuite, vt maiori studio nepoti pareatis, & consiliis vestris & copiis, suscipientem grauissimam Imperii molem, summa cõcordia adiuuetis. Quod eo etiam vobis faciendum est maiore curã vt Imperii possessionem retineatis, quam sine concordia tueri nequaquam possumus. Cogitate autem quantum decus sit, vnam hãc nationem delectam esse, quæ non tantum suos fines defenderet, sed custos esset etiam cæterarum gentium: & pro cõmuni salute Christiani nominis præcipuam stationem teneret. Hoc decus magna virtute partum à maioribus, & annos fere iam octingẽtos in hac Natione conseruatum, sapientia & concordia Principum: nolite nunc per discordiam amittere, eaq; in re cum vestræ gloriæ & tranquillitati, tum vero saluti orbis terrarum cõsulite. Idq; officium Principes & eos qui præsunt Reipublicæ, maxime debere Deo statuite, vt cõmuni saluti omnibus virib. consulant. Hæc renuncianti, populus cum plausu acclamabat. Nihil enim omnibus ordinib. erat optatius, quam eludi expectationem Gallorum, qui Imperium sibi desponderant. Itaque audito Caroli nomine, omnes vna voce & consensu Electionem approbabant. Agunt gratias Deo Opt. Max. primum, quod metus ciuilium bellorum sublatus erat consensu suffragiorum: deinde, quod omnes iudicabant diuinitus orbi terrarum salutarem Principem datũ esse. Omnes iam tum ominabantur huius Caroli virtutem & fœlicitatem præsidio futuram toti Europæ: omnes vota faciebant, vt auspicia essent fausta & fœlicia. Secundũ hæc, Legati ipsius Caroli Moguntia euocantur: qui magno honore excepti, atq; in comitium introducti, cum ex ipsis electorib. cognoscunt, Diui Maximiliani nepotem, cuius ipsi Legatos agebãt, cunctis suffragiis rite

rite electum & renũciatum esse Romanorum Imperatorem. Deinde adhibiti in consilium ab iisdem Principibus, consulũtur de gubernanda Imperii administratione, donec rebus in Hispania constitutis, Carolus in Germaniam veniret. nam ipso procul absente efficiendum erat, vt Germania tranquilla esset: neue Gallicæ factiones, motus in Germania excitarent. Delectus est igitur Casimirus Marchio Brãdeburgensis, qui legiones certis in locis collocatas haberet in præsidiis: & duceret exercitum si qua belli gerendi necessitas incideret. Adiuncti sunt Electores certi, quorum consilio vteretur. His rebus cõstitutis, legati dimittuntur: quos discedentes prosecuti sunt Principes Electores vsq; Moguntiam. Inde Francofordiam reuersi, suos & ipsi Legatos cum literis ad Carolũ mittunt: cuius legationis, Fridericus Palatinus Rheni, principem locum obtinebat. Interea electionis nuncii magnis, diurnis, nocturnisq; itinerib. in Hispaniam contendunt: è quib. vnus eximia celeritate cæteros anteuertens, nono die Barcinũ (vulgo Barsellonã vocant) peruenit, ex eo quo Francofordia profectus est: cumq; lætum, exoptatumq; nũcium illuc attulisset, à Rege, quem in cubiculo mane adhuc quiescentem inuenit: magno auri pondere donatus est. Nec Fridericus Palatinus longam in itinere moram fecit. nam pridie Calendas Decẽbris eodem peruenit: cumq; ad vrbem accederet Barsellonã, Rex cognito eius aduentu, ad tria ferme milliaria obuiam ei processit. Legatis benigne & comiter exceptis, inq; oppidum introductis; literæ Regi ab electorib. scriptæ reduntur. In literis primum inerat commemoratio beneuolentiæ Principũ erga Carolum, & officii. Cum autem Imperia fato regantur, narrabant diuinitus hanc electionem gubernatam esse: vt suffragiorum concordiam, & vniuersæ Germaniæ vota consentientia ostenderent: etsi ipsi etiam iudicio suo de familia, deq; ipsius virtute, neminem putarint ipsi anteferendũ fuisse. Huic orationi grauiter scriptæ, adiecta erat petitio: vt Imperium sine recusatione acciperet: & constitutis reb. in Hispania, maturet iter in Germaniam. Carolus, acceptis & lectis literis, cũ existimaret se quasi diuina voce, tãto cõsensu totius Patriæ vocari: etsi videbat quãta rerum moles sibi imponebatur: tamen & Deo obtemperandum, & patriam non destituendam esse censebat. Respondit autem Legatis per Mercurinũ Oratorem: huic enim summa laus eloquentiæ tribuebatur. Vsus

est igitur Mercurinus luculenta Oratione, atque huiusmodi verba fecit. Iure lætatur Rex Carolus, cum beneuolentia, tum vero etiam grauissimo iudicio summi Senatus, Germaniæ Principum: qui tam dubio tempore, Imperii gubernationem ipsi vni, tuto commendari censuerunt. Quid enim aut gratius ei accidere potest? quam quod ab vniuersa Patria se vere amari intelligit: aut honorificentiius? quam quod sapientissimi Principes tantam ipsi virtutem tribuunt: & quasi diuinantes, eam spem de ipsius fide & fœlicitate conceperunt, neminem vt ad hoc Imperii fastigium, quam ipsum, euehere maluerint. Vicissim igitur & patriæ pietatem, & cognatis Principibus beneuolentiam perpetuam pollicetur. Deliberantem autem de Imperio accipiendo, diuersæ curæ diu exercuerunt. Etsi enim magni animi est, non deterreri mole rerum, & magnitudine periculorum, quæ videntur impendere; intuēti nunc Italiā quæ à Gallis tenetur, nunc Turcas denuntiantes bellum Pannoniis: tamen cum vere sit diuina res gubernatio, nec nisi aspirante Deo, fœlix esse possit, contanter & religiosè Imperia accipienda sunt. Hæc etiam Hispania, etsi vires suas, quæ non sunt exiguæ, ad societatem rerum gerendarum offert; tamen ipsum Regem domi, velut in specula regni, assiduum esse mallet. Sed è regione durum videbatur: patriæ opem ab ipso imploranti deesse. mouit etiam animū, gentilitium decus, atq; honestum esse iudicabat, aui & proaui exempla sequi. Et cum auus collapsas res rursus erexerit, cūque huic familiæ potitæ hoc fastigio, tantæ accesserint opes; arbitratur diuinitus hanc familiam ad Imperii defensionem vocari. Postremo etiam Principum Electorum votis & iudicio permouetur, vt rem omnium difficillimam, Imperii gubernationem, suscipere minus recuset. Tam multæ graues causæ cum concurrerent; cumq; diuinitus se vocari ad Imperium, Patriæ consensu, statueret: tandem, quod fœlix faustumque sit, Imperium accipere Rex Carolus decreuit: & hanc voluntatem suam, Dux Friderice, à te exponi Electoribus; & perferri in totam Germaniam postulat. Principio vero quod Regum sapientissimus Salomon vnum optabat, id ipse quoque optat: cum humana sapientia non sit par tantæ gubernationi, vt Deus pectus & consilia ipsius in toga, & in armis regat: ac perficiat, vt Ecclesiæ & toti generi humano, hæc ipsius gubernatio salutaris sit. Meminit Rex Carolus, ex hac ipsa

Hispania

Hispania duos Principes ad Imperium vocatos esse, Traianū & Theodosium: quorum alter optimus appellatus est: alter non solum bonitate & armis Traiano par fuit, sed etiam hac laude excelluit, quod vere Deum coluit: ac perfecit, vt Euangelium latius propagaretur: & concordiam Ecclesiæ, pie, diremptis dissidiis, constituit. Hi duo Principes ex Hispania euocati, cum fuerint salutares orbi terrarum; lætatur omne. horum exempla sibi proponet: & annumerari laudatissimis Imperatoribus volet. Summa virtus maiorum fuit in vtraq; familia, Austriaca & Hispanica: horum similitudo in Regis Caroli natura & indole iā præclare lucet. Comitatur autem fœlicitas cum cæteras virtutes: tum vero præcipue pietatē erga Deum quæ in Rege Carolo eminet. Quare spes est eius gubernationē faustam, fœlicē & salutarem fore orbi terrarum: & vt sit, omnes boni toto pectore vota facere debent. Tu vero dux Friderice, ito, & Principibus Electoribus gratias agito, quorum cognouit eximiā erga se beneuolentiam esse, ac voluntates eorum confirmato: & Imperatorem Carolum petere dicito, vt ipsi tanquam custodes publicæ pacis, sua fide, concordia, virtute, Germanię tranquillitatem tueantur: donec Imperator in Germaniam veniet: qui quidem aduentū maturare quam primum decreuit. Hæc cum Mercurinus dixisset, tota curia lætitiæ plena, Regi Carolo & Imperatori omnia fausta precabatur. Postea scriptæ sunt literæ ad Electores, in quibus Rex se Imperium accepisse profitetur: & de constituendo statu Imperii, nihil sine consilio Electorum, facturum esse profitetur. Commemorat sibi beneuolentiam ipsorum iucundissimam esse: & volūtates eorum confirmat. postremo pollicetur etiam breui se in Germaniam venturum esse. Vt igitur sollicitis Electoribus quam primum voluntas Caroli Imperatoris significaretur, Fridericus Palatinus amplissimis muneribus ornatus, statim dimissus est. Cæsar autem initio veris ex Hispania soluens, traiecit in Angliā, vbi à Rege Hērico Octauo, non solū comiter, pro ipsorū necessitudine & hospitii iure, sed etiā splendidissimo apparatu, exceptus est. Cumq; fœdera inter duos Reges confirmata essent, Anglus pollicitus est, se Caroli coronationi interfuturum esse, honoris ipsius caussā. Post paucos dies inde venit in Belgicum, vbi magna frequētia omnium ordinum, faustis eum ominib. excepit. Gratulantur reditum eo maiore veneratione: quia iam virum cerne-

bant Principem, qui in Hispaniam ante annos aliquot admodum adolescens profectus fuerat. Optant læta & fœlicia Imperii auspicia. Cõmoratur autem Rex Carolus aliquantisper in Belgico, tum vt ciuitatum suarum statum cognoscat: tum vt Angli aduentum expectet. Sed hunc facile Rex Franciscus perpulit, ne Carolum comitaretur: ac sibi Anglum nouis pactionib adiunxit, quæ deinde magnas rerum conuersationes attulerunt. Tandem igitur Aquisgranum venit Rex Carolus, florem secum Burgundicæ & Belgicæ nobilitatis ducens. Et quanquam in oppido & vicinia grassabatur lues pestilens, tamen ne noui exempli auctor esset, mutare locum coronationis noluit. Aduenienti obuiam processerunt Electores, & fere omnes reliqui Germaniæ Principes. Aderat & cœtus sacerdotum, Caroli Magni monimenta gerens. Postero die, qui fuit dies duodecimus mensis Octobris: coronatus est in æde maiori Aquisgrani, veteri ritu. Moguntinus & Colonienſis indutum trabea ad aram adduxerunt. Dux Palatinus orbis figuram præferebat: Dux Saxoniæ ensem: Marchio Brandeburgensis sceptrum; Treuirensis vero, more à maioribus accepto, Regem vnxit. Hic ad aram iusiurandum prælectum est. deinde corona à Mogũtino & Colonienſi imposita. postea tradita, sceptrum & ensis. His ceremoniis peractis, regiũ conuiuium apparatur: in quo Electorum distributa sunt ministeria. Astat Moguntinus codicillos & sigillum manu gestans: Marchio Brandeburgensis sceptrum: Regis Bohemici Legatus, Pincernæ munere fungitur: Palatinus, Dapiferi. Interim in foro Dux Saxoniæ auenam equitibus distribuit. Assatur & taurus integer, refertus altilibus omnis generis: vnde primum coronato Regi Romanorum apponitur ferculum. Post coronationem Cæsar cum Principibus Coloniam venit, vt de futuro conuentu colloquerentur: in quo de veteri more post coronationem lex de pace communi renouatur, & de summa Reipublicæ deliberatur. Decretum est igitur, vt ad Calendas Ianuarias indiceretur conuentus Vuormatiæ. His actis & Carolus in Belgicum rediit: & cæteri Principes in suas ditiones discesserunt.

CORO-

CORONATIO CAROLI V. CÆSARIS AVG. apud Aquisgranum,

PER

HARTMANNVM MAVRVM HERmanni Archiepiscopi Colonienſis Conſiliarium, qui ei coronationi interfuit, deſcripta.

SABINVS ELECTIONEM ET conſilia: hic rei geſtæ in coronatione, ac pompæ, celebritatem continet.

SERENISSIMO, ILLVSTRISSIMOQ. Principi, atq; Domino, D. Ferdinando, Hiſpaniarum Principi, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, &c. Cæſareq; Maieſtatis per Germaniam ſupremo Vicario, gratioſiſſ. D. ſuo Hartmannus Maurus, legum Profeſſor, offert immobilem fidem, voluntariamque ſeruitutem.

SEreniſſ. atque Illuſtriſſ. Princeps, gratioſiſſime Domine, aliquanto ante fauſtiſſimam coronationem inuictiſſimi Hiſpaniarum Regis Catholici, fratris Serenitatis tuæ amantiſſimi, in Romanorum Regem Principum Electorum conſiliarii vocatu, Regiæ Maieſt. cum generoſo atque præſtrenuo viro Florentio de Yſelſtein, Comite de Egmunda, Regio tunc Magiſtro equitum (Aquiſgranum ad apparandum cuncta, ne qua res Cæſarem moraretur) præmiſſo; de carimoniis tantæ celebritatis rite exequendis, aliquandiu ſimul commentati; ob in medium exhibitas diuerſas ſchedas olim ab imperitis annotatas, non parum difficultatis atq; moleſtiæ; antequam in vnam ſententiam conuenirent, habuere. Quapropter viſum eſt Domino Laurentio operæ pretium fore, tanti ſacri ritus (quos non, niſi ordine tractari conueniret) aliquando ſimpliciter, atq; vere literis ſigillatim quemadmodum oculis ſubiecti fuerunt, commendare: vt ea

re, tum populi abs eo, in quo hactenus versati errore, liberentur: tum posti futurorum quoq; quieti (præcisis tam ineptis altercationibus) consuleretur. Tametsi vero iussu eiusdem hanc tam magnificam festinationem vtcunque iam pridem tumultuario profecto studio, ubiq; plane castrensibus obiter, aliaque iuxta agendo consarcinassem: imbecillitatis tamen meæ conscientia deterritus, constitui primum has meas qualescunque ineptias sic comprimere, vt nunquam emanarent. Sed cum interim multi multa de mis rebus temere scribere, rerumq; ex confesso falsarum admixtu, hanc tam illustrem atq; splendidam dignationem commaculare non erubuere; nec gentes, quibus aquilæ acerbitati, nomenq; Germanum sempiterno odio diuinis illis honoribus suo more maligne interim detrahere veritæ sunt: non potui me vlterius continere, quin has meas pertenues lucubratiunculas (pro perenni paruitatis meæ erga Cæsaream Maiestatem deuotissimæ fide) rursus descriptas, tuæ Serenitati (ob hoc potissimum, quod eo tempore, quo Regales honores impendebantur, Serenitas tua Bruxellis subsistens, fraternaq; vt opinor Mariæ statu cedens, aut ne vno loco orbis salus periclitaretur, fraternos honores coram (quod vnicum tantum mœstitiæ, exoptatissimaq; congratulationis defuit) spectare non potuit, humillime offerrem. Vellem nihil magis, quam quod dignæ lectu forent. Sed cur hoc haud satis cogitata ratione vobis exposco? cum nō debeam animo præsumere propter meam impolitam scriptionem tanto fulgori, vnde manantibus radiis terra mariaq; illustrantur, quicquam lucis atq; splendoris accessurum, cum eius generis res sint, quæ proprio suo rutilante iubare absq; submissitiis collectitiis igniculis satis exsplendescant, & sine orationis phaleris atque pigmentis, eo ipso quod nuda solum veritatis respectus habitus satis digne qua legantur. Proinde studii mei certissimum iudicium tua Serenitati, quam ingeniolum probari malim. Foueor tamen bona spe, hunc meum laborem dupliciter tuæ Serenitati acceptum fore: cum quod coniunctissimi fratris diuinos honores (quibus eadem Serenitas tua ob effusissimam fraternam beneuolentiam non secus quam propriis delectatur quasi ob oculos præscriptos (vbi per aliarum rerum occupationes licuerit) legere poterit: tum quod tuæ quoq; Serenitati perbreui (si modo communita omnium pene mortalium vota fœlices (de quo non ambigo) procursus habuerint) vsui aliqua ex parte esse poterunt. Sed vt finem faciam, optime Princeps, si hunc succisiuum laborem meum lato, sereno-

que

que vultu benigne susceperis, neq; officiosam sedulitatem meam penitus improbaueris, & laborum præmium me abunde cepisse putabo & maiora pro gloria tua Serenitatis omnibus ingenii, corporisque neruulis multo alacrius conabor. Hilarem te atque fœlicem, optime Princeps (vt ille olim Traianum iustissimum Cæsarem) & priuatim & publice opto.

DE CORONATIONE CAROLI V. Imperatoris, per Hartmannum Maurum Consiliarium Archiepiscopi Colonienſis.

POMPAM proximæ Coronationis, qua haud scio, an nostra ætas magnificentiorem vnquam videbit, rudi, castrensiq; Latinitate scribere statui, ne de tam celebri festiuitate apud succesſiuam posteritatem, inepta aliqua disceptatio, quemadmodum in præsentia ob diuersissimas adnotationes tempore coronationis Diui Maximiliani factas, vsuenit, suboriatur. Accedit, quod non desunt, qui ea ipsa, quæ proxime omnium pene mortalium oculis subiecta fuere, aliter longe modo atque gesta sunt, in publicum temere incogitataque ratione edere non erubuere, permulta quæ non contigere referendo. Verum non tantum mihi sumo, vt non arbitrer, perplures hanc tam splendidam relatu materiam, pro illustrissima sua dignitate inquisitius, expolitiusque literis mandare, æternitatique consecrare posse. Sed quia omnibus pene præhabitis consultationibus à Reuerendissimo Domino Archiepiscopo Colonienſi, vocatu Cæsaris Aquisgranum præmissus cum aliis Principum Electorum consiliariis, allatis antiquis monumentis interfui: propterea citra arrogantiam (vt opinor) polliceri possum, rem me totam ex fide simpliciter vt gesta est, verissime traditurum, enixurumque, ne quicquam à me prætermissum videatur. Illis autem qui forte me operam non satis vtiliter collocasse putant, hoc tantum respondeo: æquissimum mihi videri, dare nos diadematibus Imperatorum (penes quos infinitus cuncta gubernandi labor consistit) veniam, si modo laureis, hederariis, gramineisque tantopere celebratis coronis eandem impetrare voluerimus.

Quanquam destinasset Imperator post fœliciſſimum in Belgas aduentum die Sancti Michaelis coronari, Principesq; vt præsto adessent, seq; ad præstitutam diem Aquisgrani sisterent, per epistolas hortatus esset, ob vrgentes tamen (quæ inciderunt) causas, res primo in sextam diem mensis Octobris aliis literis dilata; quibus licet Imperator certam quoque spem faceret, præscripta die sese omnino Aquisgranum venturum, petetetque, quo omnia maturius peragerentur, vt quisq; Electorum consiliarium commentandi causa de cæremoniis coronationis ex more perficiendis ad generosum & perstrenuum virum Florentium de Iselsteyn, Comitem de Egmunda, Regium magistrum equitum, Aquisgranum præmitteret, ne rebus inappatatis Regia Maiestas in loco pestilentiæ obnoxio, longiorem moram trahere cogeretur. Increbrescente autem interim desæuientis in Aquisgrano pestis rumore, auctoque (vt fit) in maius, Archiepiscopus Moguntinus, Comes Palatinus Rheni, & Dux Saxoniæ, Regis aduentum in Colonia Agrippina præstolantes, missis continuo literis; magnis precibus petiere; vt Imperator ob tam probatam, euidentemque causam, tam sui quam Principum respectu habito, alium coronationis locum indiceret. Cum autem parum moræ antequam Principibus responderetur, intercessisset, ciuesque Aquisgranenses Colonam ad Principes oratum missi, impensissimis precibus nihil profecissent, statuerunt Principes Electores commun consilio, missa solenni legatione prius petita instatius flagitare. Nobis autem in itinere existentibus, ad priores literas Regia Maiestas rescripsit, quod ad causam tantæ necessitatis desideratis Principum annueret, atque Nicolaum Zegler Vicecancellarium post factum ad eos cum mandatis destinaret. Sed legatio Principum Electorum actarum rerum ignara, cœptum iter continuauit; quæsitoque frustra Rege in oppido Hoy apud Eburones, ditionis Episcopi Leodiensis, cuius ibidem munitissima arx visitur, in sequenti die Louanij Regiam Maiestatem conuenimus: postridieq; bene mane potestas dicendi quid petitum venerimus facta consilio introducti; mandata quibus accepimus verbis peregimus, locutusq; est D. Sebastianus de Rothenhan eques germanus, Iurisq; professor, lingua Alemana in hanc ferme sententiam.

Principes quidem Electores ad Regia beneplacita semper paratis-

paratissimos fore, sed vereri, ne dum studeant obsequi suæ Maiestati, & Regem & se in manifestum, periculosumque ignem coniiciant, indies magis magisque pestem digrassari. Ideoque ob eam qua Regiæ Maiestati astringerentur fidem atque deuotionem Principes consulere, rogitareque, ne se temere cum Principibus tanto periculo committeret, sed etiam suæ Maiestati, vnde totius orbis, quam Principum Electorum saluti consuleret. Comes Wilhelmus de Nuenar & nos, qui à Domino Archiepiscopo Colonienſi, missi eramus, licet eadem ex animo postulassemus, tamen præter ea petitum, oratumque nos destinatos diximus, vt videlicet Regia Maiestas, in hac si qua visa loci commutatione, rationem iuris atque eximiæ prærogatiuæ de non commutando, neque nouando quicquam ex his, quæ ad coronationem, locumque eius spectant, Principe nostro inscio, habere dignaretur: cuestigioque exhibuimus vberrimas archetypas nobiscum allatas diui Ruperti Romani Regis Coloniæ coronati literas, quæ documento essent, inter alias inclitæ Ecclesiæ Colonienſis hanc quoque prærogatiuam competere, vt Colonienſis Archiepiscopus quocunque loco suæ prouinciæ suo arbitratu coronationi locum præfinire posset. Dominus Florentius quoque (vir, vt omnibus virtutibus, ita humanitatis quoque laudibus instructissimus) vbi resciuit, quamobrem legati Principum amandati essent aduocatione ciuium susceptâ, ne qui suo incitatu supra vires pro expediendis hospitiis, comparandisque edulis impendia fecere, irrecuperabiliter damnificarentur: neue apparatus per eum summo labore, vt tantæ multitudini pateret receptus irritarentur, citatis equis postridie quam Aquisgranum egressus, festinato itinere Regem Louanij assecutus, aliquanto ante aduentum legatorum Regiæ Maiestati omni ratione affirmauit, pestem non tam vehementem esse, neque tam late desæuire, sicut supra fidem veri disseminatum esset. Ea igitur admonitione, etiam quia a Regibus Romanis (vt vulgo persuasum) quasi pro dono vrbi Aquisgranensi, olim Gallicanarum prouinciarum capiti assignata sedes Regia, & ab hac gente velut hæreditaria semper obtenta, effectum est vt mox vbi hæc comperta, in diuersum demutata sententia, legatis Principum haud diu dilata consultatione, ad hunc modum respondere-

tur per D. Georgium Lamperter Iurisperitum, à cuius ore velut beato quodam eloquentiæ fonte idioma Germanicum manabat, Imperatoriam Maiestatem antiqui moris respectum habere, constanter decreuisse, mentique sedere, nullibi, nisi in antiqua Carolorum sede, regni diadema assumere: non consultum esse, ob leuem momentaneamque causam ritum coronandi priscum, aduersum præscripta bullæ aureæ Caroli, nouari. Et quia Maiestati suæ compertum, morbi vim non tam late vagari, sicut falso rumore ad Principum aures delatum, ideo ob expertam Principum erga suam Maiestatem beneuolentiam, se nō dubitare, quin Principes Electores eo conuenirent, quo Maiestatem suam tendere viderint. Et quia aureæ bullæ mentio facta, addam hic non intempestiue vnum, vt opinor non vulgo cognitum. Quanquam Carolus quartus Imperator bulla aurea statuerit, Regum Romanorum designationes Franckfordiæ apud Moganum celebrari debere, idem tamen Carolus, aureæ bullæ conditor, ea quæ de Electionis loco statuta, contraria sanctione ad prætextum, quod tantam Electionem loco restringi perabsurdum foret, anno à Natiuitate Domini M. CCC. LXIII. palam rescidit; summa (vt meum est iudicium) ratione Non enim è Maiestate tanti Imperij est, vt Principes semper circum Rheni margines hæreant immobiles, fierique potest, vt Imperator cum Electoribus procul in hostili solo degat adeo diffito, vt intra præfinita bullæ tempora nullo pacto Franckfordiam attingere possint ad eligendum, si Imperator forte occumbat, aut in fata concedat. Hæc non scribo, quod putem temere maiorum morem mutandum. magni enim Prouinciales faciunt, teste Iurisconsulto, seruari ipsis antiquas consuetudines: sed quod non sit Principibus necessitas imposita, solum Franckfordiæ electionem celebrare. Nō me tamen latet olim extra Romanum agtum, qui Italia terminabatur, non potuisse dici Dictatorem. Vix audeo asserere, quod hæc reuocatio omnes Principum Consiliarios, aliis maioribusque rebus intentos latuerit. Sed de his satis. Licet Legati hæc responsa referre iussi, tamen absque mora generosus Dominus Max milianus de Siebenbergen, magnæ ob integre ad ministratam tumultuantem Sueuiam auctoritatis Colonam ad Principes responsum operientes missus, qui hortando monendoque nunc singulos,

nunc

tunc vniuersos tandem effecit, vt Principes se in potestate Regis futuros esse dicerent, morem voluntati Regis gestu-ros, imperataque obedienter facturos, sequuturosque quo-cunque Rex voluerit, etiam Aquisgranum: magis profecto dissimulato quam spreto periculo, rati hanc solicitudinem non plus tridui futuram. Solus Dux Saxoniæ Fridericus (cui inclita gloria integritatis nihil vnquam charius) ob aduer-sam valetudinem Coloniæ manere cogebatur. Die igitur qua conuenerat, XXI. Octobris Colonia Moguntinus atque Treuirensis Archiepiscopi, Legatus Marchionis Ioa-chimi, Aquisgranum ingressi, ciues inter spem metumque dubios (plures enim hebdomadæ interceserant, cum res parum certa videbatur) maximopere exhilararunt. Statim atque Principes equis descendissent, Mareschalci siue Ma-gistri equitum singulorum Principum in hospitio Marchio-nis Casimiri conuenerunt, consultaturi, præsente Domino Florentio de Yselstein, cæterisque Regiis Consiliariis, quo ordine proxima luce agmina Principum ingrederentur: ne ob contentionem antelationis aliquis tumultus atque dissen-tio oboriretur. Et licet diuersitas antiquarum annotationum difficultatem peperisset, omnium tamen vna atque inuaria-bilis sententia fuit, atque ita conuenit, vt Principum Elector-rum agmina iunctim & ex ordine absque aliorum admixtu, per debita interualla ingrederentur.

Cœna peracta, primarij Regis Consiliarij, principes, viri, amplissimis honoribus vsi, inter quos erat Episcopus Leodi-ensis Princeps fidei, pietatisque immobilis erga Cæsarem, Dominus Florentius, Dominus de Siebenbergen, accesse-runt Archiepiscopum Colonien sem coronatorem, deque ratione Coronationis communicarunt. Inter alia autem dis-ceptabatur, an die Sancti Seuerini, quæ instabat coronatio rite expleri possit, ex quo is dies apud incolas non foret cele-bris. Præsul Leodiensis (in cuius diœcesi Aquisgranum con-sistit) asserebat, omnis dubitationis præscindendæ causa sese iussutum proclamari, vt pro celebri vel in foro feriaretur. Complacitumque omnibus, vt is dies festus haberetur. Nec hoc cuiquam absurdum videri debet, tametsi enim Episcopo-rum consecrationes ex more solum diebus dominicis fiant: Hoc tamen in vnctione Regum (quę nihil significant: quam

quod datam cœlitus potentiam leuiter placideque eos exercere conueniat) haud opus fuit seruare, hoc potissimum tempore, & in tanto contagionis metu atque trepidatione, nihil minus expediebat; vbi etiam ex diligenti temporum supputatione liquido constat, neque Fridericum Cæsarem, neque qui eum præcessit Sigismundum, die dominica fuisse coronatos.

Postera die Principes Electores, præter Archiepiscopum Colonien sem, qui aliis rebus intentus in hospitio mansit, ascenderunt domum Senatoriam inferiorem, habitaq; consultatione de singulis, vlterius ascenderunt ad videndum ordinem mensarum: reliquumque apparatum: deferebanturque ante eos dum ascenderent descenderentq; publice ex iure Regalium vaginis exempti enses: nondum enim suprema potestas aduenerat.

Prandio facto, omnis ætas sexusque vltra Italicum miliare sese ad spectandum effudit, Principesque cum armatis agminibus Cæsari obuiam prodierunt: & cum haud longe processissent, apparuit Regia Maiestas cum ornatissimo equitum peditumque exercitu: quæ cum peruenisset ad locum editiorem, ad instruendum explicandumque ordines militum, atque componendum agmina, opportunum ad hoc à Domino Florentio Maresealco præmeditatum (per viam quippe quam Regiam incolæ nominant difficilis in vrbem aditus patebat) aliquandiu Regia Maiestas subsistit è conspectu in loco eleuatiore interiacente patente atque equitabili campo. Principum Germanorum agmina similiter exspectabant, donec Marchio Casimirus, & D. Florentius ordines disponerent, agminaque explicarent. Cum autem Regia Maiestas sese mouere cœpisset, atque iam in conspectu Principum Electorum esset, singuli Principes assumptis duodecim Comitibus cæterisque subsistere iussis, Regiæ Maiestati obuiam properarunt, desilientesque de equis singuli cum quatuor consiliariis Regiam Maiestatem equo etiam descendere nitentem, permanere coegerunt. Deinreuerentissime honorificentissimeque per Archiepiscopum Moguntinum exceperunt, qui in hunc ferme modũ lingua Teutonica verba fecit: Illustrissime, inuictissimeq; Rex, gratiosissime Domine, fratres mei Principes Electores, ẽt Legati illustriũ Principũ Ducis Saxoniæ, Marchionisq; Brãdenburgẽsis

fratrum

fratrum meorum, & ego, venimus vocatu vestræ Maiestatis eidem obuiam. Quantum autem nos omnes de fausto fœliciq; aduentu vestræ Maiestatis in sacrum Romanum Imperium & Germanicam nationem gauisi sumus, haud dubie vestra Maiestas partim à nostris personis, partim ab ambasiatoribus nostris gratiose sufficienterque didicit. Nunc vero magis exhilaramur, eo quod datur vestræ Maiestatis optatissimam desideratissimamque personam videre, colloquique. Cum eadem paratissimi ergo adsumus, ad ingrediendũ cum vestra Maiestate vrbem Aquisgranum, operam studiumque nauare ad explendum laudabilissimũ vestræ Maiestatis propositum, exsequendumque munus coronationis. Denique ad agendum, pertractandum, conficiendumque omnia, Deo adiutore; quæ ad eam rem aliquo modo pertineant, atque requirantur, nos, statusque nostros vestræ Maiestati, vt Domino nostro gratiosissimo obsequentissime commendantes.

Dominus Cardinalis Salisburgensis, homo pro anxia sua diligentia atque virtute dignus, quod tam fidis eum fortuna vberibus aluerit, iussu Regiæ Maiestatis hortatus, Principes reascendere equos, nomine Regis Principes resalutauit: eorumque beneuolentiæ gratias agens, dixitque Regiæ Maiestati, ob perspectam erga se Principum amicitiam, gratulationem eorum probatissimam esse: nec minorem voluptatem de amicissimorum Principum suorum conspectu cepisse. Post mutuam salutationem, continuato familiari colloquio extrahebant tempus in Palatini aduentum, qui eadem die, absque eo quod descendisset equos, ciuitatem pertransiens, Regi ante portas obuiam venit, qui similiter Regem excepit, & rursum equum ascendit. Dumque hæc agebantur, parum erat vltra horam secundam post meridiem, sic, quod nisi inepta altercatio atque concertatio, inter Legatum Ducis Saxoniæ, Principem de Anholt, & Ducem Iuliacensem, vter eorum præequitaret, incidisset, potuisset ornatissimus splendidissimusque exercitus Regius (ad quem visendum, die opus fuisset) summa luce, die serenissima lucidissimaque ciuitatem ingredi, quod magnopere Regia Maiestas cupere videbatur, eo quod pridie quam ingrederetur, in arce quadam non vltra sesquimiliare dissita, pernoctauerat. Dux etenim Iuliacensis, quia prope quadringentos equites instructissimos in campis habebat, non tam aurata atq; discolori veste, quam

ferro atque ære fulgentes, non sustinuit suos inter Germanos equites nullis secundos, nouissimo loco ordinari. Saxones vero ad antiquum morem, repertasque schedulas, quæ eis suffragabantur, prouocantes oblirmatæ vrgebant, asserentes, se quidem permissuros, vt Iuliacensis cum viginti quatuor modo equitibus, in fidei publicæ eo loci ex iure præfecturæ dandæ, siue salui conductus atque commeatus signum, præcederent, quemadmodum retroactis temporibus omni ratione affirmabant factum iniuriosque esse Iuliacenses, si vltra hoc pergerent, Principi eorum Archimarscalco Imperii (cui statibus, in campis Imperii, & expeditione existentibus, competeret prærogatiua præcedendi, ordinesque instruendi (contra irrefragabilem, vetustissimumque morem) petita denegare. Nec potuit hæc pertinax plusculis verbis habita contentio, quæ rem interturbauit, diu sedari. Multa igitur desuper colloquuti, hanc vnam viam (vt materia tumultus subduceretur) tandem inuenere, quod Dux Iuliacensis cum suis copiis, euestigio ciuitatem, absque eo quod hospitia subintrarent, ante omnes pertransiret.

Itaque post innumeros pene, qui variis armis, vestitu atque moribus, partim armati, equis insidebant, partim vero vestibus holosericis induti, mulis inhærebant, venit Marchio Ioannes Brandenburgensis, ille, qui Reginam vxorem duxit Arragoniæ, in veste aurea, cum aliquot equitibus leuiter armatis. Circum eum currebant sex expeditissimi pedites, serico diuersicolore induti. Post Marchionem venit D. Ioannes Ausburger, cum xxx. equitibus vexilliferis, clipeatis, gestantibus oblongos pileos.

Sequebantur inde tria millia delectissimorum peditum, ornati Germanicis securibus, hastis atque bombardis qui pagatim distributi, non longe ab Aquisgrano venientem ex Eburonibus Cæsarem aliquādiu expectauere. habebant signa militaria, si memini septem: magna pars probe thoracibus armata fuit. Hi in quadrato agmine consistentes, primo in campo, dum exercitus eliuum ad vrbem ducentem descenderet: deinde ciuitatem septem & septem pertranseuntes, cum ad medium forum peruentum fuisset, simul quasi signo dato, adeo formidabilem sonitum, terrificaque tonitrua suis bombardis fecere, vt etiam inhorrescerent, qui spectarent ex tuto. & absque mora, sine eo quod dilaberentur, aut vsquam subsisterent,

sisterent, ciuitatem recta egrediebantur. Intrarunt postea Senatores ciuitatis, & qui in Magisteriis municipalibus constituti, cum albis bacillis, comitiua quadraginta equorum. hi ex vsurpato more, Regiam Maiestatem, vbi ad fines eorum peruenisset, summa cum obseruantia deuotissimeque exceperunt. Reges quoque Romanorum coronandi, decretum electionis Magistratui ostendunt, antequam patiuntur, Regem electum in solium Regale sublimari. Ideo cum tam Pontificis iussu, quam Principū electorum vnanimi consensu, Vuetzelaus Imperator, ob socordiam atque nequitiam, scripta sententia, quam vidi atque legi, depositus, & in eius viuentis locum Rupertus, Comes Palatinus suffectus fuisset, in sedem tamen Regiam eum collocari nequaquam permisere: prætexentes præstitam fidelitatem. in pœnam tamen contumaciæ, paullo post multo ære mulctatos luisse, non ignoro. Sed redeo ad describendum ordinem equestrium agminum. sicut ante fuit conuentum, sequebatur Dux Iuliacensis cum quadringentis prope equitibus, grauis, fortisque armaturæ, decorisque armis, conspicuis continentibus signis: duo habebant vexilla, quorum vnum altero minus: nigri coloris vestitus instar omnes ferme. quemadmodum conuentum fuit, vrbi excesserunt, perpaucis ad hospitia contra depacta diuertentibus. Saxones vero querebantur aduersum habitam collocutionem actum, & aliquandiu subsequi abnuerunt, sicque redintegrata altercatio (ob antelationis ineptam contentionem) rem in serum protraxit, multorumque oculos gratissimo, iucundissimoq; spectaculo orbauit.

Tandem post longum interuallum, equites sexaginta Ducis Saxoniæ nigro vestiti, sagittarii insigniter geminis ornati subsequuti sunt.

Exigua intercapedine (præeuntibus duob. cum tibia atq; tympano quib. Germaniæ pedites vtuntur) sequebantur copiæ Domini Palatini, equites haud pauciores septingentis, in nigris vestibus cum tubis & ferreis tympanis, horū perpauci sagittarii, reliqui omnes hastati: & inter eos multi cataphracti, hoc est vndequaq; perarmati fuere. Equitib. enim equisque tegmenta, aut ex laminis chalibeis, serie inter se connexis, aut ex præduro corio depicto, siue auro sericoue obducta fuere: galeæ quoque atque capitum gestamina, gemmis,

margaritisque distincta adornataque, multum splendoris attulerunt. Licet autem hastæ eorum fuere breuiatę habiles, neque tantæ longitudinis, quantæ illæ sunt, quibus inferiores Germani vtuntur, nec reliqua armatura tam grauis fuerit, iucundissimum tamen de se spectaculum præbuerunt. Præter fratres germanos, ferunt Dominum Palatinum plures alios Principes, Comites atque illustres, in sua comitiua habuisse. Deinde quadraginta equites sagittarii, qui in ministerio Episcopi Brandenburgensis legati Marchionis Ioachimi, erant induti vestibus, sagisque diuersi coloribus: hos comitabantur centum xxx equites Archiepiscopi Moguntini pari armatura, leui videlicet, atque sagittarii rubeis vestibus induti.

Post equites Archiepiscopi Treuerensis ducenti, in nigris vestibus hastati, probe expediteque armati, cum vno æneatore.

Post Treueros, immediate ante Regios satrapas, equitatus Archiepiscopi Colonienſis proximo loco intrauit, cum tibicinum cantu, inter quingentos equites hastatos; grauis armaturæ nonaginta. tres cataphracti fuere apparatissimæ armaturæ. viri enim atque equi insigniter ornati iuxta splendebant, honoratioremque locum ob hoc obtinuisse crediderim, quod Episcopus Colonienſis coronator legitimus sit, & Aquisgranum in sua prouincia situm. Treuiros vero autumo Moguntinensium concessu, eo quod instructiores fuere, proximum ante Colonienses locum obtinuisse.

Post agmina Electorum incedebant Regii aulici ditissimi, purpuratorum maximæ amplitudinis, viri preciosissimis vestibus induti, insignesque excellentissimo cultu. Tam abundanti enim auro, gemmis, atque purpura vsi, vt licet iam præceps in noctem diei tempus erat) tamen in dubia luce enitebant, cultusque eorum regalem plane opulentiam præ se ferebat; nulla profecto ab eis impensarum ratio habita. Fuere enim maiores Satrapæ curiæ, atque magistri curiæ interiores cubicularii, præsides, rectoresque prouinciarū, ductores turmarū, & illi qui aurei velleris dignatione honorati, Hispaniæ Germaniæ, Burgūdiæq; Principes. Et quia Regiorū equitū pene duo milia fuere, ideo non vno, sed diuersis agminibus turmatim ingrediebantur, illatis per interualla decem vexillis, singula digesto numero equitum subsequēte.

Horum

Horum equitum pars sub Henrico Comite de Nassau militabat, pars ductu Marchionis de Schiueren regebatur, alii D de Rabenstein, item D. de Fenis. suberant nonnulli quoq; D. de Emmeri. Nobiles adolescentes, qui in Regia educantur, Regius equis gradariis insidebant, omniumq; pene gentium vestitum, habitumque repræsentarunt. horum respectum Regius magister stabuli habuit. Dominus insuper de Roy, magnus magister curiæ turmam ductabat ornatissimam. Nec Hispani pro eximia sua in Regem charitate atque obseruantia quicquam, quod ad magnificentiam pertinet, omisere Sed maximo cultu paratuque rerum Regi affuere, Nobiles adolescentes post Principes suos. validas, prælongasque hastas auratas, argentoque exornatas ferebant. horum equi tegmina (vnde plura aurea, argenteaque tintinabula propendebant) è solido auro habuere. Aliquorum equi nedum instrati auro, verum auro aurum subductum radiabat, atque squalebat. Itaque haud credo ornatiorem apparatum, proximis seculis oculis mortalium subiectum fuisse vnquam.

Pene in medio Regiarum turmarum. xii. tubicines, ad ferrea tympana alacrem sonitum fecere.

Proxima his quoque turba Monachorum, atque cucullatorum, tam incerta mendicitate, quam alio modo viuentium.

A tergo Monachorum aliqui maiores purpurati Regis, genere, famaque longe clarissimi, præualentibus equis vehebantur vndequaque tam rutilantibus armis, quam auro argentoque perspicui.

Deinde duodecim alii æneatores Regii, tubis grauius horridiusq; insonuere taratantara. Sequebantur eos tres viri Regia Aquila, triumphalibusq; insignibus ornati, qui equis insidentes, missilia variorum numismatum non mediocris summæ ex more in plebem, quo clero, principibusque pateret facilior transitus, continuo sparserunt. Proximi ibant Canonici, ante quos processit, arte fabricata Caroli Magni effigies, mitræ prodigiosæque magnitudinis, gestans in manibus templum. Portabaturq; à Canonicis in ferculis propitiatoriis caput Diui Caroli Magni, & quædam aliæ reliquiæ. Circum caput discurrentes vigiles ciuitatis, æneis cornib. satis rudem inconditumque sonitum fecere. Vigilum quoq; vnus Regio

equo, qui ipsis ex veteri consuetudine cessit, insidens præcessit. Mos est antiquitus introductus, quod vbi Regia Maiestas peruenerit ad portam exteriorem, quæ hoc tempore fuit Diui Iacobi, quod equo descendat: atq; sanctam cruceam, à Canonicis Regem expectantibus illuc delatam reuerentissime exosculetur: factaque reuerentia diui Caroli capiti, dimisso equo priore, in alium subinde transiliat, ciuitatemque ingrediatur.

Tam Canonicos procedentes, quam Principes, atq; Regem cingebant vndique Regii Satellites atque stipatores, turbamque submouerunt: hi sunt ducenti numero, quorum præsidio salus Cæsaris custoditur: quorum centum, perpaucis demptis, Germani superiores, cum securibus Germanicis, pedibus Regiam Maiestatem sequuntur; Reliqui vero Regis populares, Flandri, Burgundiones, atque Hannonienses, dum Rex in expeditione fuerit, hastati equis Regem comitantur. Dumque Cæsarem in aliqua celebri vrbe morari contigerit, ornati tunicis argenteis, auro distinctis atque in modum loricæ contextis, vtuntur, grauibus gesis Gallicis, quæ dum Rex in itinere est cum sarcinis vehuntur. Simul tamen distributis noctium vicibus, proximi foribus ante ædes, in quibus Cæsar acquiescit, excubias agunt. Præter hos Regiæ quoq; Maiestati, cum equum ascendit descenditque, XII. expeditissimi, velocissimiq; Hispani cursores præsto sunt. Reliquias delatas Herholdi cum insignibus Imperii, Regnorumque Hispaniæ sequebantur. Hoc hominum genus, olim cum virtuti maior locus esset, vnde ipsis lingua Germanica nomen inditum constat, vitiaque liberiore palam censura, absque personarum respectu coargui, detestariq; poterant, maiore in precio apud Germanos atque Gallos fuit, quemadmodum Pius Papa (cui res Germanorum, plusquam Nationi forte vtile, exploratæ fuere) in quadam epistola testatur.

Maior natu, sceptrum Regnorum Hispaniæ ante Regem præferebat. Herholdos, amplissimi Principes Germaniæ, atq; Galliæ Duces, atque Marchiones sequebantur.

Principes deinde Electores hoc ordine Regem præcessere: Comes Palatinus dextro, Legatus Marchionis sinistro latere, medium Archiepiscopum Treuerensem accepere.

Loco Domini Ducis Friderici Saxoniæ, qui excusatione aduersæ

aduersæ valetudinis Coloniæ mansit nullo mediante, Vdalricus Pappenheim, minor Mareſcalcus Romani Imperii, exertum, euaginatumque gladium ante Regiam Maiestatem vibrabat. Tandem illuxit *rerum certa salus, terrarum gloria* Cæsarea Maiest. equo nobiliſſimo, flexibiliſſimoque insidens, quem auro, argentoq; distincta arma, desuperq; fulgentiſſima argentea vestis maximo opere honestabant. Caput Regium tectum erat birreto argenteo, plumula exornato, gaudiumque, quantum dinosci poterat, præ se moderatum ferebat.

Parum post, neque ita longo interuallo, & quasi iuxta Regem adequitarunt latere dextro Archiepiscopus Colonienſis, sinisteriore vero, Moguntinus Archiepiscopus. Quod cum adhuc fixum sit in recentiſſima memoria: demiror quod nonnulli contra ea, quæ ab omnibus visa fuere, publice scribere non dubitauerunt. Sequebatur Regem Legatus Regis Bohemiæ. Sed neque nuncius Apostolicus, neq; legatus Regis Angliæ pompæ adesse sustinuere, ne ordinarentur post Principes Electores, rati per hoc Principum suorum dignitati derogari.

Subsequi tamen non fastidierunt, Cardinalis Sedunenſis, vir acerrimæ prudentiæ, inque excitandis ad alacritatem animis fœliciſſimæ facundiæ, Cardinalis insuper Salisburgenſis, & Cardinalis de Croy, Archiepiscopus Toletanus, qui post tempore conuentus Vuormacenſis in præuiridibus annis, in magna animi & corporis ægritudine vita excessit, vnde non secus quam par erat, Dn. Marchio de Artzot grauiter motus atque affectus fuit. Regem quoq; de subita morte nepotis Dn. Marchionis mœstũ fuisse, permolesteque tulisse inde apparet, quod funeri magnifico apparatu exquisitiſſimis honoribus, cum maximo luctu, planctu, atq; lamentatione, pompaque elato cum Principibus adfuit.

Deinde perplures alii honorariſſimi viri, qui Legationis nomine Regum, Ducum Marchionum, cõmunitatum Regiam Ma. comitabantur: item tam veteres Maximiliani, quam Regiæ Ma. consiliarii, & qui à secretis erant.

Nouiſſime claudebatur totus exercitus instructiſſimis Satellitibus atque stipendiariis equitibus Regis, cõsimili modo armatis, vestitisque; videlicet rubeo colore, albo, flauoque distincto, sicut priores Regii equites fuerant: numeruſque

vniuersorum instructissimorum equitum quatuor milia & amplius.

Cum iam se intendentibus tenebris, ad porticum Diuæ Virginis ventum, Rex equo, quo introiuit, descendisset, Comes de Riffersheit, tanquam Archimarescalcus Archiepiscopatus Colonienſis, Regium equum pro suo iure ex vsurpata consuetudine sibi vendicauit, multisque stabulariis (præsertim Regiis) pertinaciter renitentibus tandem traduxit. Obortа vero ob hoc inter eundem, & D. de Schuartzberg, qui eundem sibi ob ius præfecturæ (cuius hypothecam habet) deberi affirmabat, alia quædam concertatio, in Coloniam reiecta fuit. ibidem de hac controuersia actum quidem, non autem (quantum ego scio) excussum.

Regiam deinde Maiestatem eo loci, quo oportuit Colonienſis atque Moguntinus Archiepiscopi templo introduxere. Licet autem aliquæ antiquæ annotationes documento sint, id iuris abbati Sancti Cornelii aliquando competiisse, eoque tunc vsum, cum Sigismundus coronabatur: Moguntinus tamen Archiepiscopus pernegauit hoc, præsentibus Archiepiscopis, Principibus Electoribus, locum habere. Ante fores ædium sacrarum stant duæ structiles quadratæ columnæ, vni vulgus impositã æneam lupam arbitratur: mihi ex effigie magis vel vrsa, vel leæna videbatur: quę suscepto in pectore latissimo vulnere, nihilo secius pro catulis, siue vrsulis inde tamen ablatis, moribunda depugnare videtur. Volunt incolæ loci designari, non secus Imperatorem, subditorum suorum curam gerere debere.

In altera cernitur quasi Pyramidalis, siue orbicularis ænea figura acuminata, & in varias quasi linguas dissecta: ea contendunt Imperatorem mundi Dominum, cunctis gentibus imperitare debere significari: fides vtriusque rei penes auctores sit. Nullum enim vestigium alicuius certę antiquitatis, quamuis percurioſe inquirerem, inuestigare potui. Et ideo ea, quæ incomperta, vulgariaque traditione dicuntur, vera, an falsa sint, non laboro.

In media templi area, Rex sub pensili corona paullulum super tapetis, atque stragulis prostratus iacuit, donec per Archiepiscopum Colonienſem certæ preces dicerentur: deinde stabat erectus, donec absolueretur canticum gaudii:

Te

Te Deum laudamus. Post genu vtroque nixus ante aram Diuæ virginis, toto orbe celeberrimam, humiliter, deuotissimeque Deum orauit, oblatoque dono secessit in Sacrarium, remotisque arbitris, cum solis Principibus Electoribus semihoræ spacio, quædam secretiora pertractauit: Principibusque priuilegia sua, ex more, vt autumo confirmauit, ratificauitque: quod coronandi Reges, olim Rhenum à Franckfordia deuecti, super saxeam sedem Regiam sub diuo, inter crebras nuces, in amœnissimo Rheni littore, prope oppidulum Reensz positam, facere consueuere. Cumque fuissent inuicem collocuti quæ voluerunt, desideriumque Principum expletũ, Rex post diuinam venerationem, omnibus solenni more rite peractis, subsequentibus Principibus Electoribus palatium suum acquieturus introiuit, hora fere noctis secunda.

Proxime, & quasi vnis ædibus illustrissima domina Sabaudiæ Margareta (quæ pridie coronationis curru, quem albentes equi trahebant, inuecta fuit, cum virginibus facie inclitis, atque admodum venustis: quę candidis pariter gradariis cum ingrederentur, insidebant) hospitium habuit. Marchioni quoque de Artzot, Principi maximæ apud Regem auctoritatis & gratiæ, hospitium in proximo præparatum fuit. Carolum enim, non vt Regem suum modo, verumetiam vt alumnum eximia charitate semper coluit.

QVAE CEREMONIAE IN TEMPLO seruatæ sint.

DIe sancti Seuerini, Principes Ecclesiastici ordinis, cum administris suis Episcopis suffragantibus cæterisque Christianæ religionis Heroibus diluculo templum ingressi, in Sacrario decentibus ornamentis Pontificiis sese induere. Licet autem in templo ex more asseribus, tabulatisque, duplicia interstitia distincta fuere, vt separatis, discretisque locis, quisque iuxta suum ordinem atque conditionem spectaret, edictumque ex instituto antiquo fuerat, vt Principes, Comitesque absq; discrimine, & aliorum Electorum quatuor modo primores Consiliarii, cæterorum vero Principum duo tãtum ad Chorum, interioraque septa intromitterentur, & reliqua Nobilium multitudo exterius, atque de templi testudine

desuper, è sublimi prospectaret : prouisum insuper Regia ordinatione fuisset, vt singuli Principes suorum Nobilium nomina, Regio Mareschalco annotata traderent, eidemque suos magistros equitum adiungerent, vt militibus positis ante valuas, ad custodiam aditus, Nobilium nomina diligenti, exactaque cura darentur, ne ob exclusionem seditionem aliquam, siue turbas oriri contingeret; tantum tamen hominum amplissimorum vndique confluxit, quod antiquus hic mos, atque diutina vsurpatione firmata consuetudo, præ multitudine variarum gentium seruari non poterat. Plærique enim vestium pretiosarum commendatione adiuti, penetrarunt ignobiles. Alii Nobilitatis fiducia non admissi, vel ad altare irrupere. Quanquam enim ante fores armatæ cohortes dispositæ fuerunt, parum tamen abfuit, quin templi fores impulsu turbæ conuellerentur. Fanum autem licet neque laxitate, neque cultu conspicuum, vt in quo breues columnæ, sine marmore vllo, aut insigni pauimento, ob religionem tamen, conditoremque Carolum magnum, tota Germania celeberrimum est. Venienti haud longe post Regi, cum egregia prorsus atque magnifica comitiua anteambulonum, Principum, Comitum Baronum, Procerum, Satraparum, Purpuratorumq;, induto Archiducali veste, aureoque amiculo Pontifices ad cellam Diui Nicolai vsque obuiam processere : Regemque in limine venerabundi cum cruce, thuribulo, libroque Euangeliorum, qui antiquissimus, correctissimusq; Aquisgrani, dono Magni Caroli asseruatur, excepere. Tũ Archiepiscopus Colonienſis, indutus omnibus (vt aiunt, Pontificalibus, voce submissa cãtauit: *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* Cum Clerus respondisset, & Colonienſis preces ad Deum pro Rege fudisset, ordoque subinde Clericorum caneret interim: *Ecce ego mitto Angelum meum*: Moguntinus atque Treuirenſis à dextra, læuaque apprehensum Regem duxere subtus testudinem, ante aram Diuæ Virginis toto orbe religiosissime cultam. Ante eam prona iacuit Regia Maiestas super stragulis, donec Archiepiscopus Colonienſis precatus fuisset à Deo, quatenus Carolo suo adiutorio adesset, vt ab aduersitatibus liberatus, posset præesse & prodesse Precationibus, quib. Colonienſis opem diuinam poscebat, peractis, duo Archiepiscopi allcuatum Regem in aureã sellam, è regione altaris deduxerunt

zerunt sessum. Deinde quoque Principes Electores, Ecclesiastici, quidē, pari habitu in præparatas sedes collocarunt. Quia vero sedes multum præpropere tumultuarieq; apparatæ fuere, cogebanturearum defectu Regum legati, atque Oratores in promiscua Principum multitudine spectare

Missæ officium inchoante Archiepiscopo Colonien si, Regii cantores in medio chori canere cœp runt: *Ecce aduenit dominator Dominus: Kyrieleyson: Alleluia: Viximus stellam*, prosa, *Festa Christi*. Deinde c.ntabatur illud canticum: *Desiderium animæ eius tribuisti ei.* Lectione dein per Canonicum Ecclesiæ cantata: *Surge, illuminare Ierusalem*: prouolutus ad genua Clerus cum Principibus cœpit canere Litaniam, siue obsecrationem. Rege iterum ante altare super tapetas resupinato, congruo tempore Archiepiscopus Colonien sis in pedes erectus, baculumque Episcopalem in manu tenens, Regi benedicens, bona faustaque precabatur. Postquam autem ad finem perducta Litania surrexisset Rex, rogauit ab eo Archiepiscopus Colonien sis lingua primo Latina, An fidem Catholicam operibus iustis seruare? An Ecclesiarum tutor & defensor? hum regnum efficaciter secundum iustitiam defendere vellet? An iura Regni dispersa congregare? an viduarum, miserabiliumque personarum pius defensor, & iudex futurus? an Romano denique Pontifici debitam subiectionem exhibere vellet? Vbi hæc omnia se facturum adpromisisset, ductus ad altare, positisque super dextrum cornu duobus digitis, conceptis verbis, hoc modo iurauit: *Sic volo, & inquantum Diuino fultus fuero adiutorio, precibusque Christianorum fidelium adiutus valuero, omnia promissa fideliter adimplebo*: *Sic me Deus adiuuet, & sancti eius.* Regresso Rege Colonien sis ad circumstantes Principes conuersus, Latine quæsiuit, *An vellent tali Principi, ac Rectori sese subiicere, ipsiusque regnum firmare, fidelabilare, adiutoriumbusque illius obtemperare, iuxta Apostoli præceptum, dicentis: omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Cum ad rogata illi, qui intellexerunt, *fiat, fiat*, conclamando annuissent, Abbas de Pruem ex Comitibus de Manderscheit, iussu Archiepiscopi Colonien sis, lingua Alemanica eadem à Principibus percontabatur Regiæ quoque Maiestati, si Latina lingua penitus ignara fuisset, idio-

mate Alemanico præstandum sacramentum, interpretatum ex more fuisset. Sed tantum Maiestas sua Latine & loquitur, & intelligit, quantum est satis ad intelligendum voluntatem, sacraſque iussiones Maiestatis suæ. His transactis, Archiepiscopus Colonienſis iterum Rege prostrato, precatus est à Deo, quatenus Regem suo clypeo protegeret, honorificaretque præ cunctis Regibus gentium, vt viuat inter gentium cateruas magnificus, vtque gentes Carolo fidem seruent. Quæ omnia his inserere superuacuum foret, cum omnium sacrarum precum liber, tam Aquisgrani, quam alibi extet. Secundum precationem Rex ad genua sese submisit, inunxitq; oleo Cathecuminorum Archiepiscopus Colonienſis Regis caput; deinde pectus inter scapulas, ambasque iuncturas brachiorum, dicens: *Pax tibi.* Dein: *Vngo te in Regem de oleo sanctificato, in nomine patris, & filii, & spiritus sancti.* Cecinit dum vngeretur chorus: *Vnxerunt Salomonem, Sadoch sacerdos, & Nathan propheta, regem in Geon. Et procidentes, læti dixerunt: viuat Rex in æternum.* Palmas quoque manus vtriusque oleo imbuendo, subiunxit: *Vngantur manus istæ de oleo sanctificato, vnde vncti fuerunt Reges & Propheta*: choro interim concinente: *Vnxit te Deus.*

Vnctum Regem, Moguntinus & Treuerenſis Archiepiscopi in Sacrarium deduxere, vbi postquam Regii Capellani, mundissima lana oleum deterserę: deposito aureo amiculo (quod in vsus ornamentorum templi cessit) indutum rursus Dalmatica chlamyde aurea, socculis, Imperialibusque ornamentis diui Caroli, Diaconi more iterum Sacrario eduxere.

Ornamenta vero diui Caroli, quibus ex more coronandi Reges induuntur, Nurembergenſis magistratus summa cū diligentia, atque veneratione publice ad aliquot sæcula asseruauit, quæ tempestiue Aquisgranum delata, vbi Reges coronandi fuerint, rursus coronatione expleta, asportantur, subque fida custodia recluduntur. Subnotatas autem reliquias, Nurembergenſes à Carolo gestatas pro vero habent, traduntque, & inde eximie coluntur. Dalmaticam albam holosericam precioſissimis margaritis, gemmisq; distinctam: Auream stolam margaritis quoque adornatam: Vnam cappam holosericam, violacei coloris, cui aurum in modum aquilæ intextum. Alterum amiculum rubei coloris, contextum pari

modo

modo magna aurea aquila. Insuper coronam Caroli, non ferream, vt vulgus falso autumat, & (quod magis pudendum), passim in iuris professorum commentariis reperitur : sed ex puro puto auro fabrefactam : sic tamen, vt in ea veterum laudabilis parcitas satis eluceat.

Pomum, & sceptrum aurea.

Gladium Caroli admodum grauem, vtpote à viro robustissimo versatum : verum non tam prodigiosæ magitudinis, quam à tanto heroe gestatum credi posset.

Præter hæc aduecta sunt hac tempestate duæ Dalmaticæ, vna violacei, alia vero nigri coloris.

Duæ chirothecæ, vnionibus preciosisque lapidibus ornatæ : Socculi duo aurei stola, zona coriacea, retinaculumq; eius aureum, quæ omnia pretiosis lapidibus affabre picturata, redimitaque fuere.

Rege post egressum Sacratii iterum procumbente, Colonienſis Archiepiscopus ante traditionem gladii, terna precatione vsus est.

Qua in re vnum nequaquam silentio prætereūdum, quod Archiepiscopus Golonienſis in sacris illis precibus, illud præcipue solenniterque inter plura alia comprecabatur, *vt Reges quoque, de lumbis Imperatoris, per successiones temporum futurorum egrediantur.* Quo vno solo, satis plane constat non minus inepta, atque frigida, quam inuidiosissima ratione illos vti, qui negant optime meritorum Imperatorum clarissimo sanguini Imperium deferendum electione, ne ob id videatur quasi successioni deberi, cum eos optimo merito, spes successionis potissimum manere debeat. Aliis quoque solennibus comprecationibus pro Carolo factis, Colonienſis associatis Moguntino atque Treuirenſi Archiepiscopis, Regi eductū vagina gladium, his additis verbis simul tradidere. *Accipe gladium per manus Episcoporum, licet indignas, vice tamen & auctoritate sanctorum Apostolorum consecratas, tibi Regaliter impositum, nostraque benedictionis officio, in defensionem sanctæ Ecclesiæ diuinitus ordinatum : & esto memor illius, de quo ille prophetauit, dicens : Accingere gladium tuum super femur tuum potentissime, vt in hoc, & per eundem vim æquitatis exerceas, iniquitatis molem potenter destruas, & sanctam Dei Ecclesiam, eiusque fideles propugnes, ac protegas. Nec minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes execeris ac destruas,*

viduas & pupillos clementer adiuues ac defendas, desolata restaures, restaurata conserues, vlciscaris iniusta, conserues bene disposita: quatenus hoc agendo virtutis triumpho gloriosus, iustitiaque cultu egregius, cum mundi huius Saluatore, cuius typum geris, sine fine merearis regnare: qui cum patre, &c.

Gladio in vaginam recondito, Regia Maiestas sese accinxit. Solus deinde Colonienſis Archiepiscopus, Regis digito annulum immisit. Pallium quoque diui Caroli, simul Regale insigne aurei velleris loco armillarum: quod ornamenti genus, in vsu esse desiit, collo Regis adaptato, addidit hæc verba: *Accipe Regia dignitatis annulum, & per hunc Catholicæ fidei cognosce signaculum: & vt hodie ordinaris, caput, Princepsque Regni, & populi, ita perseuerabis auctor, ac stabilitor Christianitatis, & Christianæ fidei, vt fœlix in opere cum Rege Regum gloriaris per æuum.*

Sceptrum vero aureumque pomum tradens, fœlicia Regi ominabatur, admonebatque suam Maiestatem dicens: *Accipe virgã virtutis, atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos.* Quemadmodum hæc fusius in libro, de ritu coronandi, habentur, inibique leguntur.

Coronam autem, atque Regni diadema, tres Archiepiscopi, Colonienſis, Treuirenſis atque Moguntinus Regi simul imponentes, dicebant: *Accipe coronam Regiam Regni, qua licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur.* Hic quoque minime opus est reliquam admonitionem apponere.

Coronatione expleta, Regia Maiestas aram accessit, moreque maiorum sacramentum super altare, sacrumque librum Euangeliorum è scripto legendo, in hanc fermè sententiam Latine præstitit: *Profiteor & promitto coram Deo & Angelis eius, leges seruare, iustitiam facere, iura Regni conseruare, debitumque honorem Romano, aliisque Pontificibus, atq; vasallis exhibere, donata Ecclesiis conseruare, Christo mihi præstante auxilium, fortitudinem, & decorem.*

Ductus inde fuit Rex per Moguntinum, atque Treuirenſem Archiepiscopos, per deuexum supra testudinem templi, subsequente Archiepiscopo Colonienſi, simulque collocabant Regem in saxeam sedem, positam ante altare Simonis & Iudæ Apostolorum, addita inuestitura: *Ita retine amodo*

ne amodo locum Regium, quæ hic, ne longior sim integra ponere consulto omisi.

Dum autem ascenderet cecinit Chorus: *Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum, & quæ sequuntur: Posuisti super caput eius coronam de lapide precioso, &c.*

Regi in solio Maiestatis atque in excelso gloriæ fastigio residenti, Archiepiscopus Moguntinus nomine collegarum suorum, his ferme verbis lingua Alemanica gratulabatur: *Superillustrissime & gratiosissime Domine, ex quo Regia tua Maiestas tam diuina gratia atque prouidentia, quam Principum Germaniæ concordi electione, ad decus, honorem atque gloriam Imperatorii nominis atque potestatis, accita atque sublimata est, & nunc coronam Regiam, cum laudabilibus honoribus atque ornamentis requisitis suscepit, sumus nos eo magis lætati, exhilaratique, quo magis ardentiusque hoc cernere ex animo desiderauimus. Hunc itaque honorem, Deum Optimum Maximum tua Ma. fortunare volumus, optamusque Regiæ tuæ Maiestati longæuum, diuturnumque Regnum, corporis sanitatem perpetuam, plurimumque bonæ fortunæ atque fœlicitatis, firmamque spem, atque indubitatam fiduciam habemus, Imperium ex tua, maiorumque tuorum virtute administratum iri. Quodque hæc inprimis Deo Optimo Maximo probata, accepta, gratæque erunt, & ad honorem, decorem, incrementumque sanctæ, atque Orthodoxæ Ecclesiæ Catholicæ sacri Romani Imperii, inclitæque Nationis Germanicæ, cessura sint. Rogamusque obnixe, vt nos, cæteroſque Principes, Statusque sacri Romani Imperii, Regiæ tuæ Maiestati, sicut supremo orbis terrarum in temporalibus capiti, sese obsequentissime commendantes, gratiosissime sub tutela tua Maiestatis mansuetudinis commendatos habere velis, omniumque nostrum gratiosissimus Imperator esse & permanere.*

Canonici quoque templi, Regi honorem, bene, fœliciterque cedere optauere, eorumque ordini ex more Rex initiabatur.

Deinde Chorus, tubicines, & organa alternatis vicibus summa cum alacritate canticum: *Te Deum*, absoluerunt.

Creauit interim Regia Maiestas gladio diui Caroli prægraui plurimos Equestris ordinis viros variarum Na-

tionum, summa cum solennitate. Horum perpauci Germani fuere, qui hoc decus per hostium stragem demereri malunt, atque in ponte Tiberino, splendidissimo ordini initiari, magis pulchrum atque egregium putant: desieruntque Germani præcipuæ nobilitatis assertores, hunc ordinem magnificere, quando viderunt humilibus, sordidissimisque mercatoribus precio aditum ad amplissimum honorem patere. sitim, ardoremque gloriæ plurimum hæc indignitas restrinxit. Et forte ob hoc, quidam ab Equestri ordine deterrebantur, quod honorem Equestrem, titulumque ex lege Equestri, intra anni spacium statim post assumere illo tempore creati coguntur, alias ni se pro equitibus gerant, soli imaginarii equites futuri. Insuper quamuis ab antiquo non nisi nobiles admittebantur, ordinarique solitum, vt quibus initiari huic ordini votum atque mens esset, nomina, & agnomina sua describerent. Magistris equitum traderent; hac tamen tempestate, in tanta diuersarum gentium turba, plurimi non sponte, sed aliorum impulsu, inuiti, siue temere ad Cæsarem delati, flexis genibus dorsum gladio submisere: quorum multis bene cõsultum foret, si cum ictu Equestri, censum quoque Equestrẽ accepissent.

Principes sedi affixi, exspectabant (præter Archiepiscopum Coloniensẽ qui ad aram rediit) donec reducendi Regem officio fungerentur. Cumque descenderent, vnus Canonicorũ Euangelium: *Cum natus esset Iesus in Bethleem Iudæ* decinit post Symbolum fidei, & cantionem illam: *Reges Tharsis.* Regia Maiestas delatis ante se gladio per Marescalcum Imperii, pomoque per Dominum Palatinum, qui dum testudinem ascenderet, similiter præcedebant, sceptrum manu tenens, obtulit altari nummum aureum, valoris decem ducatorum, qui Capellanis Archiepiscopi Colonienſis renitentibus aliquamdiu Ecclesiæ Canonicis, tandem cum aliis donis oblatis, remissus fuit.

Post Regem Principes Electores ordine dona ad altare deferebant, Archiepiscopo Colonienſe singulis osculandum sacrum præbente.

Coronæ curam Imperii Subpincerna N. de Limpurch, quemadmodum Comes de Zorn, minor Imperii Camerarius, sceptri respectum habuit. Submiſtri enim perpetui Impe-

Imperii, Legatis Principum in executione officiorum cedere noluerunt.

Cum deinde Archiepiscopus Colonienſis pacem pronunciasset, Regique & cœtui Pontificis more benedixisset, Episcopus Leodienſis sacrum deosculandum flexis genibus teuerentissime suscepit, credentiaque, vt aiunt, mundissimo peplo facta illud Archiepiscopo Moguntino tradidit: qui eodē modo, credentia facta, sacrum Regis ori inclinando sese, decenter admouit.

Sacris omnibus rite peractis, Regia Maiestas flexis genibus salutare sacramentum Eucharistiæ sumpsit, tanta quidem mentis deuotione, vt animi inde aspicientium vehementissime commouerentur.

Dextro latere, non longe ab altari erat ligneum spectaculum sub testudine, pro illustrissima Domina Margaretha præparatum, vnde ipsa, & Regina Arragoniæ, quondā Ferdinandi vxor, modo Marchioni nupta, cū venustissimis Virginibus nullo velo, neque vmbraculo tectis, sic vt ab omnibus viserentur, singula spectarunt. Ante omnes illustrissima Domina Margaretha, tam inexpleto singula, quæ agebantur, lumine spectabat, vt non vane crediderim, tacitum ipsius pectus immensum gaudium pertentasse. Cunctis in templo finitis, Rex sella aurea residens, creandis vlterius Equestris ordinis viris, tam diu intentus fuit, quoad Electores Ecclesiastici exutis sacris, induerentur vestibus rubeis, Electores solos decentibus. Quibus ornati, Regiam Maiestatem, sumpturi cum eadem solenne prandium, ad palatium concomitabantur. Reliquique Principes Regem è templo, cum lætitia, atq; gratulatione solenni prosecuti sunt.

Operæ precium est, hic quoque adnotare, qui Comites atque Barones Archiepiscopo Colonienſi sacrificanti, officii gratia præsto fuerint. Dum obuiam iretur Regi templum intranti, Comes de Vualdeck Canonicus maioris Ecclesiæ Colonienſis ante Archiepiscopum crucem, Comes vero de Schuuartzburg thuribulum præferebant.

Comes Georgius de Witgenstein, Capellarius Colonienſis, cui præter alia incumbit ab antiquo, aulicorum quoque controuersias dirimere. Hic cum Domino Wilhelmo de Nuuenar Magistro curiæ, humeris ante Episcopum Colonenſem gestabat duo flagra, quibus frumentum excutitur, albi

viridisque coloris. His significatur, Archiepiscopum Colonienſem velut prouinciæ Præſidem, ab Romano Imperatore vtile dominium ciuitatis Colonienſis obtinere. Colonia enim Agrippina, hoc tempore inter vrbes ruſticas Imperii numeratur. Licet autem non ignorem prudentiſſimos huic Imperii ſubordinationi, ſiue diſcretioni parum fidei, atque momenti tribuere: ne tamen iſtud penitus commentitium putetur, videantur quæſo Annales, atque libri Chronicorum ciuitatis Colonienſis, quomodo in medio nigræ crucis, colonus cum flagello depictus ſit. Abbati de Pruem, de quo ante mentio facta, commiſſum à circumſtantibus Principibus, poſtulare debitam ſubiectionem.

Comes de Blauue, Decanus maioris Eccleſiæ Colonienſis, ſacrum Chriſma ad inungendum Regem, Archiepiſcopo Colonienſi porrexit. Comes de Hennenberg Canonicus, lanam, qua Epiſcopi manus detergerentur, obtulit. Comes Gompertus de Neuuenar, & Nobilis Baro de Reinegk, mappulam ad eam rem in tempore exhibuere. Comes de Virnenberg, dum opus eſſet, aquam manibus dabat; Comitibus Ioanne atque Bernardo de Naſſau peluim, mappamque tenentibus. Gladium Comes Ioannes de Vuieda frater Germanus Archiepiſcopo adportauit. Comes de Seyne loco armillarum, quæ in vſu eſſe deſierunt, inſigne aurei velleris tulit. Comes Salentinus de monte Ferrato, aureum annulum, pallium. Caroli Comes de Schauuenberg è tabula ornamentorum adportarunt.

Sceptrum Comes Theodericus de Manderſcheit, Imperiale pomum Comes Eberhardus de Arburch, perpetua fide Burgundionibus adhærens, præſentarunt. Comes de Rieſſerſcheit, & Comes Wilhelmus de Neuuenar, Magiſter curiæ, & Mareſchalcus diœceſis Colonienſis, baculis turbam arcentes, prouidebant, vt ſinguli ad officia parati, atque tempeſtiue intenti eſſent, cunctaque rite iuſſu eorum exſequerentur. Comes Hermannus de Neuuenar, cuius nomen ob eximiam doctrinam, tota Germania ſuſpicit, librum, è quo omnes precationes, atque obſecrationes legebantur, ſuſtentabat, Comes de Eppenſteyn,

steyn, Scholasticus, & Comes de Bichelen Chori episcopus Colonienſis Eccleſiæ baculi, & mitræ Archiepiſcopalis curam habuere. Degenardus de Witte, iuris Pontificii Doctor, Cancellarius Colonienſis tabulæ aſtans, ad cuncta intendebat. Mea vero paruitas deſtinato officio, obſeruandi videlicet ſedis Archiepiſcopalis, præ turba Purpuratorum, qui denſiſſime circumſtabant, ægre ſatisfacere potuit.

QVO APPARATV, ATQVE magnificentia, ſolenne conuiuium in ſuperiore palatii aula celebratum.

REgia Maieſtas Imperiali habitu, atque ornatu induta, delatis ante ſe Imperii inſignibus maximo Electorum, cæterorumque Principum comitatu, palatium tota Germania celeberrimum, cuius latus forum ſpectans, Imperatorum marmoreis ſtatuis ſpectabiliſſimum, aſcendit, vbi omnia ad ſplendorem gloriamque magnificentiſſime, aureis peripſtromatibus, ſtraguliſque aureis ſic adornata fuere, vt maximam rationem publicæ dignitatis habitam fuiſſe dixiſſes, ſolennique conuiuio, præter Principes Germanos Statuſque Romani Imperii nemo interponebatur.

Statim atque Rex aſcendiſſet, minor Imperii Mareſchalcus Vlricus da Pappenheym, equo, cui inſidebat in cumulum auenæ vſque ad pectus, adacto argenteo modio duodecim marcarum, publice in foro, ex more vice Ducis Saxoniæ, auenam demetiebatur. Aqua deinde aurea pelui Regiis manibus à Marchione Iohanne de Brandenburg, & minore Imperii Pincerna dabatur: tenuitque Comes Palatinus, & alii aſtantes Principes mappam, qua aſpergebantur manus Regiæ.

Comes deinde Palatinus Archidapifer, præcedente Submareſchalco geſtante eleuatum bacillum, cum Dn. de Roy magno, & aliis minoribus magiſtris curiæ, ad coquinam deſcenderunt Regiam. Antequam reuerterentur Electores, Eccleſiaſtici benedictionem menſæ legerunt. Quamuis autē

hoc antiquæ annotationes Archiepiscopo Colonienſi coronatori saltem illa die tribuerunt, tamen Treuirenſis ſibi hoc competere contendebat ad cauſam, quod ſenior in conſecratione foret. Archiepiſcopus meus Colonienſis ob ea, quæ in aurea bulla continentur, cuius auctoritas in dubiis merito ſequenda, æquo animo ceſſit.

Poſt benedictionem Archiepiſcopus Moguntinus, aſſociatis duobus Archicancellariis Colonienſi à dextris, Treuirenſi à ſiniſtris, ſigilla Regia à baculo argenteo duodecim marcarum pendentia, Regiæ menſæ oblata, cum retraderentur, Moguntinus ea collo aptauit, totaque die publice inde dependentia geſtauit: tametſi Treuiri contendebant, Aquiſgranum eſſe Archicancellatus Gallici.

Ante dapes venere tubicines atque æneatores Regis. Herholdi quoque inſigniter ornati: inter quos Anglicus quoque Herholdus, cum inſignibus Regis ſui honoris cauſſa conſpiciebatur.

Tubicines præcinentes vbi ad medium atrii peruenere, ſubſtitere: tubis tamen omnia perſonabant, quouſque Dominus Palatinus per deuexum aſcendendo ſeptem gradus, primum ferculum coopertum, Regiæ Maieſtati reuerentiſſime appoſuiſſet. Controuerſia erat inter Legatum Regis Bohemiæ, & Subpincernam Imperi N. de Limpurch, vter eorum Regi vinum aqua dilutum, ex more propinaret. Sed excuſſum pridie fuit, pro Friderico agnomine, & officio Pincerna, cum ille ſemel & primo propinaſſet. Poſt durante prandio Palatinus Fridericus pocillator Regis fuit.

Omnibus Principum Electorum officiis ſolenniter defunctis, ad menſas iplis præparatas, Principes ſeſe repoſuere. Singuli ſuos Comites, atque nobiles habuere, quibus inter epulas miniſtris vtebantur.

Hic oportunum de ordine menſarum relationem facere.

Regia menſa poſita latere dextro, quod forum reſpicit inter columnas, in meditullio aulæ, & parietem ſubſtructas, eleuataque fuit faſtigio ſeptem pedum. Electorum vero menſæ modicis interuallis poſitæ, pedalis altitudinis faſtigium habuere, & tam Regis, quam Electorum menſæ au-

ſæ auteis ſtragulis ſtratæ. Aulæa quoque aurea ſupra, & à tergo propendebant, magnificentiſſimi operis. Licet prandium prælautum omnibuſque cupediis ciborum inſtructiſſimum abundantiſſime quinquaginta ſcilicet ferculis ſic præberetur, vt dena ſemper edulia apponerentur, interea tamen multa non eſui apta, digna ſolum erant vt cum admiratione ſpectarentur. Licebat enim videre ſpecies caſtellorum, arborum, leonum, aquilarum, vnde Romani Imperii, Regnorumque Hiſpaniæ vexilla dependebant, menſis ſingulis ſinguli abaci ordinatim diſpoſiti. priuis, priui miniſtri quoque fuere.

Marchio Caſimirus ſtructor, ſiue prægustator Regiæ Maieſtatis fuit.

Regem ſedentem in aurea ſella, circumſtabant dexteriore latere D. Marchio de Arſchot, & Epiſcopus Leodienſis ſiniſtro latere. Comes de Zorn ſceptriger, pluresque alii Principes, atque Comites, Germaniæ atque Hiſpaniæ. A ſiniſtro erat abacus Regius, oneratus ſpectabiliſſimis vaſis veteris cælaturæ, omnis vſus. duo præſertim vnicornua, admirandæ, prodigioſæque prorſus magnitudinis. Vas item aureum ingentis capacitatis, Regiæ Maieſtati dono à Rege Anglorum, gratulandi cauſſa miſſum, vt ferebatur, viſebatur.

Latere dextro, duobus paſſibus infra regem primæ menſæ aſſedit Archiepiſcopus Colonienſis. Qui ſecus contenderunt, ob annotationes, imperitorum ſcilicet, quod primus diſcubitus Regi Bohemiæ deberetur, illi auream bullam, normam ceremoniarum Principum non viderunt, quæ his rebus ſtatum modum præfinit, moriſque Imperii non ſatis gnari, cæcutierunt. Tametſi ſecundo loco menſa Regi Bohemiæ ſtrata, præparataque fuiſſet, vacua tamen edulio manſit. Non abſurdum erit, hic paucula de Regno Bohemiæ adnectere, cognitu forte non indigna. Quanquam Rex Bohemiæ perraro adſit conuentibus, tractatibuſque Electorum, neque fœdera pro manutenenda communi dignitate, cum eiſdem proximis ſæculis percuſſerit, non operas Imperio, voluntariaſque collationes præſtet, neque gratuita onera ferat,

non denique in circulis illis, in quos Imperium digestum atque partitum comprehendatur, tamen Elector Imperii est, & tertium in consilio Electorum, tempore Electionis Regis suffragium adhibet: ita, quod impune præteriri non poterit, ob pœnam, quæ in aurea bulla exprimitur. Et cum tempore Electionis Diui Maximiliani, eo, quod forte non satis conueniebat inter Fridericum Cæsarem, & Regem, præteritus fuisset, adeo non dissimulanter tulit, vt pœnam aureæ bullæ, in quam inciderunt Principes acerrime interpellando, postulare non cessaret, armaque præter hoc se illaturum minaretur, redireque aliquamdiu in gratiam, litique renunciare, pertinaciter recusauit: nisi ea conditione, vt remitteretur Regibus Bohemiæ ius illud Imperatorum, quod Reges Bohemiæ, Imperatores in Italiam in personis euntes, sequi coguntur. Aut loco eius seruitii, octingentos ducatos quoties Imperatorem Alpes transcendere contigerit, exsoluere. Illo negato, à Cæsare Friderico tandem sub pacto, atque conuentione vlterius, ipsos nequaquam præteruendi Reges Bohemiæ, sub pœna quingentarum marcarum auri decisum, transactumque fuit, & Ladislaus Rex, ratificata Electione Maximiliani, quæsitis liti iurique renunciauit; Principibus hac etiam excusatione vtentibus, Electionem Maximiliani, non ex prædestinato Franckfordiæ, sed vrgentibus de caussis perceleriter, atque subitarie celebratam. Habet Bohemus illam prærogatiuam quoque, quod Archipincernæ officium, non amota corona, explere potest.

Sed latius euagari libet. Egit Maximilianus Coloniæ cum Principibus Electoribus, vt Archiducibus Austriæ, exemptis alioqui, honos ille haberetur, vt ipsis suffragii quoque Latio tempore Electionis Regis esset. Sed Principes ne antiquissima instituta maiorum commutarentur, precibus Maximiliani, votoque abnuerunt. Post Bohemum ex ordinatione aureæ bullæ Comes Palatinus accubuisset, verum eo neglecto, secundam à læua, post Moguntinum mensam habuit. Et quia aurea bulla suo tenore, aut beneuolentia, aut conniuentia, atque dissimulatione Principum non semper ad amussim seruatur; ob hoc forte futuris

turis tempestatibus nouus aliquis de rebus friuolis labor Imperatori adcresceret.

Tertia mensa pro Duce Saxoniæ vacua. In quarta prandium sumpsere Episcopi, Wormatiensis, Ratisponensis, Dux Otto Henrici Bauariæ. Quinta ad tempus fuit vacua: post occupabatur à Regiis Consiliariis. Sextæ assidebat Magistratus Aquisgranensis, Nurembergensis Legati, qui Imperialia ornamenta aduexerunt, ad septimam mensam collocati fuere. Reliquæ duæ mensæ conuiuarum vacuæ mansere.

Latere sinistro prope columnam, prima mensa Moguntini Archipræsulis.

Secunda D. Palatini: Marchionis de Brandenburg tertia, sed esculentorum vacua, ob Marchionis absentiam.

Quartò loco Duces Braunsuicensis & Iuliacensis accubuere.

Quintam occuparunt missi à ciuitate Colonienſi.

E regione Regis directe posita fuit mensa Treuirensis Archiepiscopi, paullum infra mensas Colonienſis atque Moguntini Archiepiscoporum. Conuiuium Regium, oppiparum, lautissimumque, quatuor prope horis, quasi Regali cum silentio agebatur.

Expleto prandio, gratiisque à Treuirensi dictis, omnia tubis, tympanisque personabant: strictoque Diui Caroli gladio, iterum Regia Maiestas viros equestris ordinis creauit.

Omnibus absolutis, Rex Imperialibus ornamentis indutus, cum Electoribus, suo quoque peculiari habitu vestitis, ingentique Principum frequentia, atque comitiua, præcedentibus æneatoribus, hospitium intrauit: Regeque deducto, singuli Principes ad sua quoque hospitia diuerterunt. Archiepiscopus Moguntinus statim Regi sigilla, cum argenteo illo baculo, cuius antea mentio facta, insuper candidũ, eximiũq; equum dono misit. Quæ omnia à Cæsare mox remittebantur. Rege subiungente, se fidẽ Mogũtini adeo exploratam, perspectamque habere, vt sigilla Regia nulli rutius, quam eius fidei credi possint. Regem insuper futurum suæ personæ gratiosissimum Dominum, Episcopatumque Moguntinum potenter, efficaciterque protecturum. Moguntinus fidei eius commissa sigilla quidem re-

tinuit, argenteum autem baculum, equumque D. Nicolao Ziegler, homini solerti, suo Vicecancellario pro honorario liberaliter dedit.

Altera luce Imperator Principes Electores cœna magnificentissima excepit.

Post coronationem, facta abeundi potestate, maior Principum pars, non plus biduo moram Aquisgrani traxit, sed directa Coloniam profecti sunt. Imperator vero Iouis clypeo protectus, triduanam moram constantissime traxit.

Sextaque feria, sacris (quibus Imperator aderat) publice in templo factis, Maiestas sua sacras reliquias (inter quas fasciolam, qua vagientem Saluatorem nostrum inuolutum esse cõstat) deuotissime suspexit. Archiepiscopus inde Mogũtinus lectis apicibus publice edixit, Romanum Pontificem Electionem Regis probare, velle iubereque, vt Imperator vlterius titulo Electi Cæsaris vteretur. Non ignoro Diuum Maximilianum à Gallis, Venetisque aduersum ea, quæ ficto officio, simulataque sedulitate adpromissent, transitu (occupatis itineribus) prohibitum, impeditumque quo minus armatus, vt Imperatorem tantum decet, pro corona Cæsarea Romam proficisceretur, cogitata tatione titulum Cæsaris, non renuente Pontifice Romano assumpsisse, ne supremum honorem negligere, atque pro derelicto habere videretur. Hic tamen imaginarius honos (sit venia verbo) inuictissimo Carolo collatus, sitim, ardoremque gloriæ heroico Maiestati suæ pectori insidentem, non restringet, verum adaugebit, inflammabitq;, vt nihilo secius pro consummatione gloriarum suarum, refractis, reuulsisque inimicorum impotentibus claustris, Italiam auitam possessionem, regni domiciliũ legitimum, Imperii sedem, non inermis ad hostium, pertinacissimorumque æmulorum præscriptum, ociose, peregrinantis more, (quod saluo capite super hoc, quod parum decorum est, saluaque tanti Cæsaris Maiestate sine ludibrio tantorum regnorum, atque insultu fieri non posse reor) sed suo arbitratu: ne veluti victus, à victoribus leges accipere cogatur, quam maturrime cum maximo, fulgentissimoque exercitu in splendore gloriæ intrabit, desponsamque suæ Maiestati prouinciam, gentium Dominam, amplexabitur. Hoc anxie percupiunt, desiderantque Germani Principes, egregio aliquo facinore ostentare, Imperium non

non vsquequaque male in Septentrione locatum esse, non se somno inexpergiscibili torpere. Ea profecto animorum magnitudo in maioribus nostris fuit, sicque omnia ad splendorem, gloriam, Maiestatemque reuocauere, quod non satiati, Imperatorem coronationis tempore Aquisgrani præstito sacramento, generatim obstrictum esse ad recuperandum ea, quæ Imperio adempta. Verum præter hoc, sacramento adegere, adnominatim Regiis literis sancte ad promittendum, quod temeraria inconsiderataque acta Wenzelai Imperatoris, ignaui quidem viri, licet altis imaginibus prognati, rescinderet; irritaret, & ante omnia reuocaret: quod in non æstimabile Imperij detrimentum, atque dispendium Mediolani Ducem, & Padi Comitem constituisset, terrasq; Longobardiæ, Imperio perpetuo, ne in Italia redditus deessent, adiungerent, à tempore quo hæc acta, paulo plus quam centum anni effluxere. Horum vestigia insequentes Principes Germani, qui Carolum, collapsi Imperij restauratorem, concordibus votis denunciarunt, pro conseruanda, manutenendaq; etiamia Imperij gloria, neque rerum dispendia, nec personarum suarum formidabunt pericula. Nec ob hanc expeditionem apparandam opus erit aras sacris vasis nudare, non conditoria sanctorum disiectis sacris reliquiis flare: non denique necessarium erit, genti semper ab ancipiti temporum mutatione pendenti, grauia tributa pendere. Persæpe concordes Germani, glorioßissimam hanc expeditionem suo marte, suis ducibus, suo ære, absq; commilitio, absq; sociis, peregrinisque suppetiis, externoq; subsidio fœlicissime perfecere.

Non exaruerunt penitus vires nostræ: non hebetata vsq; adeo Germanorum arma: non omnino exhaustus equestris ordo: neque ad tenuitatem extremam redactæ bonorum ciuium opes: principesque quod maxime faciundum amplissima vectigalia imperio accepta æquo animo ferunt.

Quæ ergo nunc temporis trahendi ratio vlla hinc deducendi exercitum in Italiam adest? affulgente tam pulchra ratq; (quanta profecto nunquam antea) occasione, vbi Germanis, sicut fratres, fidissima gratia, associati sunt fortissimi Hispani, qui præter ingenitam illi inclitæ genti vbique terrarum prædicatam erga Reges suos obseruantiam. atq; veneratione, vix dici, exprimiq; potest, quanta omnes Caroli charitate flagrant, qualiterq; quisq; pro se operam suam offerat.

Quæ Gens? quæ Natio? qui populi quæso horridæ duarum fortissimarum gentium in se connexæ virtuti, robori corporum animorumq; magnitudini, non modo recta fronte concurrere, sed vel rectis oculis instructas phalanges fortissimarum gentium aspicere audebunt? Sed huius loci non est, de hoc plura verba facere, apud Germanos præsertim suapte natura incitatos: sed ad institutum à diuerticulis redeundum.

Silentio prætereo, quomodo post coronationem tota die vinum duabus cannis, per speciem aquilæ, atque leonis columnellæ ligneæ impositis, ante palatium Regis, ductu subterraneo publice fundebatur. Omitto insuper, quod magnus bos, multis aliis animalibus minoribus fartus, ligneoque veru ante palatium Dominæ Margarethæ tostus, resectaq; carunculæ portione pro Rege, à plebe in multas partes tumultuarie lacerabatur.

Tridno post coronationem, Imperator festinato itinere, & præter consuetudinem, die etiam dominica iter faciendo, Principes Coloniam subsequebatur.

Illustrissima vero Domina Margaretha, retro in Brabantiam, atq; Morinos concessit, quam regredientem D. de Rabenstein, & quidam alij Regij Satrapæ comitati sunt.

Colonienses iuuentus, vltra Germanicum miliare, Regi, armata cum militaribus signis, ordinatim, honorificeq; obuiam prodiit, effusaque innumera inermium turma, multis mortalibus maxime proximis, quibusque eo studio visendi Caroli confluxis. Pernoctauerat enim Cæsar pridie quam Coloniam ingrederetur, in monasterio Bruuilre. Ingrediebaturque Cæsar Coloniam cum Principibus, qui nondum Colonia abierant, verum Magistratus suæ obuiam prodierunt, summa cum serenitate, populiq; exultatione Inde mittebantur, qui vndequaque per Imperium edicta deferrent, quibus Principes, statusque Germaniæ conuocabantur ad conuentū Wormacien sem, sexta Ianuarij indictum. Marchio Casimirus quoque, Coloniæ in fratris sui (vt creditur, vxoris Reginæ Arragoniæ gratiam, cœnam, vt dicunt additialem, magnifico epularum, conuiarumque apparatu atque ornatu exquisitissime, comitatis Cæsari, Principibusque publice exhibuit. Rheno ascensurus Imperator Bonnæ biduo cum Archiepiscopo Colonienſe moratus, sumptoq; in arce Popelstorff

pelstorff mane ientaculo, ad venationem ferarum profectus, spumantem aprum incurrentem, fortissima dextra sua cuspide interemit, cœnæq; ab Archiepiscopo Colonienſe perlaute instructæ in oppido adfuit.

Nauibus Archiepiscopi Colonienſis postera luce Cæſar ascendens, inundatione Rheni retardatus, serius opinione primo Moguntiam, vbi parum substitit, post Wormatiam Vangionum vrbem peruenit. Eo loci potissimum conuentum celebrari placuit, quod vrbs lacera quidem, atque ruinis deformata, in fertili tamen solo posita, plurimum cõmeatus habet, reque cibaria copiosa, pari interuallo à superioribus, inferioribus Germanis distet.

Sed hic addam vnum, quod silentio pene præteriissem. Tametsi omnes Imperatores à Carolo quarto, atq; plures ante eundem prærogatiua primariarum precum, absq; vllius concessu, aut ipsa faustissima coronationis die, aut mox post sine dilatione vsi, tamen ea res his nostris temporibus in vnum, alterumque annum, contra Basilienſis concilij sanctionem, ob nescio quem metum, pene ad desperationem extracta fuit. Sicque paruo tempore mutata sunt magnarum rerum momenta.

Quæ vero in magno conuentu, vbi Principes tanta frequentia, quanta nunquam antea congregati fuere acta, ea ferme sunt huiusmodi. Quæ nulla re nisi consilio domesticaque concordia vastissimæ Turcarum potentiæ, qui quasi signis positis reliquiis prostratæ Europæ insultare videntur, cæterisque Imperij æmulis resisti poterit, nec imperator perpetuum à florentissimis regnis Hispaniarum abesse poterit, actum de creando ex omnibus statibus Imperij concilio atque regimento penes quod summa rerum, perpaucis regalibus iuribus demptis, Cæsare extra Germaniam existente, foret. Antiquæ quoque leges pacis prope abolitæ, nouarum adiutorio fulcitæ, quibus perpurgaretur aliquando Germanica natio; non magis tamen grassatorum crudelitati, quam monopoliorum fœneratorumq; inexplebili pacitati obnoxia. Actumq; vt via præstruatur hostibus ne vlterius temerarias manus sacro Romano Imperio iniiciant, vt stata, fixaque erigantur tribunalia Cæsarea, vbi pari cõditione priuatis, atq; Principibus æquabile ius dicatur, iustitiamq; expeditam colligantes (ne immortalibus litibus contemnantur) obtineant.

Et cum ſtatus Reipublicæ rebus iudicatis maxime continentur, vt decreta perceleriter executioni demandentur, tali adreperta via aliqua, ne opus ſit, ad intempeſtiuas execrationes diraque anathemata Pontificum, veluti ſubſidiarias ſuppetias confugere. Conſultatum inſuper de moneta, ſic per vniuerſum Imperiū flanda, cudendaque, ne ſemper in enorme contrahentium diſpendium incerta æſtimatione fluctuet, atque vacillet, auaroſque fœneratores ad lucrum nephandum inuitet: vt gula, veſtiumq; non neceſſarij ſumptus in ordinem redigantur: tuba etiam ſigno publice in foro dato edicto Imperiali ſub exilij, cuius nulla ſperanda abolitio, pœna prohibitum, ne pedeſtris, equeſtriſq; Germaniæ iuuentus, corruptiſſimo more ſe contra publicam auctoritatem, pro ſcrupulo argenti elici pateretur, mancipiorumq; more, ab hoſtibus contra patriam conduci ſinerent. Cum hoc de induſtria, dataque opera, quemadmodum ſæpe compertum fiat, vt quaſi ad laniena m ducti, inuicem committantur, mutuoq; in viſcera ruant. Satis enim ea in re præteritis diebus voluptatis æmulis noſtris exhibuimus. Hoc etiam fonte vnico inauturatorum armorum omnium ſceleratorum turba vbiq; ſcatet. Tractatum præterea, quo potiſſimū tempore, quibus, quantiſq; copiis, quo ordine expeditio Italica, non minus neceſſaria, quam in Thracas Dardaniam, aut Miſiam pro coronatione, recuperandiſq; his, quæ Imperio magis dolo, atq; fraude quā vi, apertoq; Marte adempta. Multa alia inſuper ad conſtituendam Rempublicam vulneraq; eius procuranda prouidentiſſime conſulta, quę nunc non eſt narrandi locus: dicam autem alias latius, exactiuſque. Conſultantibus Principibus ne iuuentus interim otio marceſſeret, indici Cæſar ſpectacula iuſſit, propoſitis præmiis, conſtitutiſque iudicibus haſtis in foro publice de virtute certatum. Cæſar etiam cum nobiliſſimis Principibus, equis eximiæ velocitatis inſidentibus, fugacem pugnam Sarracenicam, iucundiſſimū ſpectaculum exhibuit, ſæpe Cæſare in recentes equos ex feſſis, mira agilitate tranſſultante. Sub idem tempus Gallorum machinatione, incurſionibus crebri mouere irritata fœdera, feroq; Principes per epiſtolas efficere conati, vt vtrinque reduceretur in gratiam, ſed re mulctatam per Gallos male geſta, plus cladium, quam intulerunt, acceperunt. Nec dubito crebris victoriis contuſos criſtas, quas plus nimio ſuſtulerun. demiſſiores, prægraueſq;

aquilæ

aquilæ iussionibus, cuius iustam indignationem excitarunt, tandem parituros, Imperiumq; comiter obseruaturos. Pridie quam abiret Cæsar, libri Lutheri Theologi tanquam nouatoris, pollutorisque priscarum cæremoniarum, ne animi hominum auocarentur à Pontificum institutis, ante palatium post tubicinum concentum, facto igne publice, recitatisque decretis Cæsaris cremabantur. Soluto conuentu, Rheno Cæsar descendens, Moguntiæ ad aliquot dies moram traxit. Ferunt Franckfordienſib. spem quidem aduentus sui fecisse, sed non fuit eius commode præstandi facultas.

Compotes igitur votorum facti, atq; tam magno honore à Carolo honorati: cumq; sub tutela mansuetudinis suæ acquiescentes, plena libertate fruimur, palamque perspicimus verbis adpromissa re præstari, Cæsarem nihil, præter dispensandi laborem, sibi vendicasse: nihilq; maiestatem suam tam cupere, quam Rempublicam æquabili iure stabilire, militarem disciplinam reformare, vicia acriter vindicare, virtutesq; benignissime fouere: deniq; in omnibus summi Imperatoris specimen ostendere: propterea illustrissimi Principes, cum vos maxime deceat immobilis fidei puritas, sinceræq; deuotionis affectus, si rem recta reputaueritis via, omni pectore incumbendum est ad fortissimos Caroli conatus promouendos, non Cæsarem, neq; rempublicam, imo nec vosmetipsos (qui non salua republica subsistere vlla conditione poteritis) frustrabimini. Neque de leuissimis rebus causando, opportunitates optimas corrumpi sinetis. Proinde æquum est, nos omnes pro inuictissimi Cæsaris nostri salute, perpetuaq; incolumitate omnibus delubris votis excubare, Deumque immortalem omni mente comprecari vt cum penes Carolum, tum hominum, tum Dei consensus, maris, terrarumq; habenas esse voluerit, vt Cæsarem faustissimis auspiciis coronatum, diuturna vita, æternaque maiestate seruet, actuosamque viam ingresso diuina suffragatione clementissime adsit, valere nunc, & semper, precq; eum res Reipublicæ Christianæ, nationisq; Germanicæ meliores, auctioresq; fieri; de hostibus (effuso à cœlestis concordiæ sinu, inter Satrapas amore mutuo) triumphare, & in splendore gloriarum consenescere sinat.

DE ELECTIONE ET INAVGVRATIONE MAXIMILIANI AVSTRIJ II. ROMAN. REGIS, FRANCOFURTI AD MŒNUM, ANNO 1562.

HISTORIA EX GERMANICO LATINE REDDITA, PER ADAMUM & NICOLAUM HEYDENOS FRATRES, GEMELLOS.

ACCESSIT EBRAHIMI STROTSCHU TURCICI LEGATI CORAM CÆSAREA MAIESTATE, ROM. REGE, CATERISQ; IMPERII ELECTORIBUS, PRINCIPIBUS ATQ; STATIBUS, HABITA PROPOSITIO.

REVERENDISSIMO AMPLISSIMOque Principi ac præsuli Domino Iohanni à Leyhen, Archiepiscopo Treuerensi, & Electori, Sacri Romani Imperij per Galliam & Regnum Arelatense Cancellario, Domino nostro colendissimo atque obseruandissimo.

QVum non sine multa diligentia homines studiosi, qui nos nostraq; præcesserunt tempora, suam posteritatem insigni amore & beneuolentia prosecuti, non tantum memorabiles Romani Imperii vicissitudines, aut Romanorum imperatorum successiones, sed etiam ritus præcipuos actusque illustriores, nouo aliquo Rege atq; Imperatore designato, habitos atque celebratos scripto comprehenderint, Illust. issime & Reuerendissime in Christo Præsul, sane quam optimus quamq; honestissimis eorum exemplis nos iuniores quoq; insistere cumprimis decet. Itaq; nuper nobis Francofurtum profectis, ac inibi actu ritibusque perquam memorabilibus, quibus vos Romani nostri Imperii Electores & Principes in eligendo inaugurandoq; Romanorum Rege Maximiliano Austrio II. vtebamini, partim visis partimq; aliorum inanio exploratis, vt eos ex Germanico edito scripto Latine succisiuis

cissimis operis redderemus, cum honestissimis, quæ diximus, maiorum exemplis, tum singulari ad hoc studii genus amore incitati sumus. Verum enimuero etsi id nostrum scriptum primo quidem intuitu minime dignum, quod sub diuum raperetur iudicaremus, & quia rudi, vt aiunt Minerua, magis compactum quam fabrefactum esset, & quod alios hanc ipsam materiam dignioribus illustraturos verbis confideremus, scius tamen à quibusdam nostrorum amiculorum admoniti; Typographo quoq; importunis identidem sollicitante precibus, supprimere, nisi difficiles & morosi omnino perhiberi vellemus, diutiꝰ nequiuimus. Quale vero quale est, sub bono R. T. A. auspicio emittere ausi sumus, tribus potissimum causis adducti: prima est, quod existimauimus nos nostrorũ studiorum fœturam nulli rectius consecrare posse, quam ei Principi, qui & rerum gestarum magna pars fuit, & nostræ patriæ æquabili, Deo secundo, præsidet moderatione. altera vt vel huiusmodi munusculo pro innumeris beneficiis, quibus R. T. A. sibi nos nostrosq; felicis memoriæ parentes in perpetuum deuinctos tenet, gratum declararemus animum. vltima vt si hinc R. T. A. iustum aliquem percipere vellet, quos in Latina progressus fecerimus lingua, eiusdem R. T. A. iudicio cœptum Iuris studium vel continuaremus, vel prorsus intermitteremus. Continuare vero etiamsi R. T. A. suadeat, nosq; summe cupiamus, difficulter, hoc difficillimo præsertim tempore, poterimus, sine R. T. A. similiumq; Mecœnatum liberali subsidio. Si vero sint Mecœnates non solum Marones non deerunt, sed nec alii qui sua studia eo cupide relaturi sint omnia, vt vel Ecclesiasticæ vel politicæ Reipublicæ ornamento atq; vtilitati esse queant. R. T. A. diuinus fauor diu seruet incolumem, cui nos totos communisque patriæ salutem ita commendamus, vt maiore obseruantia magisue ex animo commendare nequeamus. Datæ Heidelbergæ 18. Martii, Anno 1563.

R. T. A.

addictissimi clientes,

Adamus & Nicolaus Heydeni,
fratres, Gemelli.

MAXIMILIANI AVSTRIACI II. in Romanorum Regem Electio, è Germanico Latine reddita per Nicolaum Heydenum Eyflandrum Dunensem.

CVm præter Cæsarem, alios; complures Romani Imperij Principes & Dominos, etiam Septemuiri (qui alias Electores dicuntur) Francofurti, quod est ad Mœnum flumen oppidum, mense Nouembri, Anno 1562. cum aliis Reipublicæ de causis, tum vel maxime, vt Romanus aliquis Rex, qui secundum Cæsarem velut alterum Imperij Caput esset, deligeretur, conuenissent: ad vigesimum quartum eiusdem mensis diem, hora antemeridiana sexta, Curiam, Romana dictam, ingressi, ibi ad horam nonam remanserunt. Deinde trabeati simul, Rege vero Bohemiæ auream in capite coronam gestante, ad Diui Bartholomæi equites sese cõferunt; eo ordine, vt Moguntinum & Treuericum. Rex & Colonien-sis, hos vero Palatinus, Saxo, & Brandenburgicus simul insequerentur. Horum singulis singuli Marescalli, equis quoq; insidentes, districtos præferebant gladios. Vt autem hoc quo dixi ordine, in fani Chorum, aureis hinc atque hinc exornatum sipariis, peruentum est, singulique suas cœperunt stationes: Wirzeburgicus insigniis Pontificalibus, vti vocant, indutus, clare voce sacram illam, qua diuini Spiritus implorat-ur aduentus, cantilenam auspicatur, eamque tum Cæsariani Regiique Symphoniaci absoluerunt: Electoribus interim positis genibus, pro fœlici consiliorum augurio, summissa voce supplicantibus. Postea Wirzeburgicus Liturgiam de sancto Spiritu, ex Aureæ Bullæ præscripto (sic enim Carolinam Imperij Constitutionem nominant) peragere cœpit. Tunc Palatinus, Saxo, Brandeburgicus, ex Choro in proximum conclaue discedunt, inibi donec Liturgia ad coronidem deducta esset permanentes, Insequentibus eos Guliel-mo-Lantgrauio Iuniore, Georgio Palatino, Francisco Lauenburgico, Anhaldino, aliisque compluribus, vna cum suis Consiliariis, Principibus atque Ducibus. Finita igitur Liturgia cunctisque his ad suas denuo sessiones reuersis, Ode illa: *Veni creator Spiritus*, cantatur. Tum Septemuiri ad summum altare simul procedentes, ibiq; librum sacratum, vt appellant, manibus

manibus contingentes, verbis conceptis per eam, qua Deo sint & Imperio deuincti, fidem, religiose iurant, se creaturos esse Reipublicæ Christianæ nouum atque summum à Cæsare Magistratum, id est, Romanum Regem, quem eo munere dignum & inprimis idoneum ac salutarem esse censerent, quantum quidem iudicio possint ac ingenio consequi; nullo neque pacto neque largitione, neque mercede, neque pollicitatione, interueniente. Post repetita iam tertio æterni Spiritus inuocatione à Cantoribus, Electores interius Conclaue, vbi antiquitus Electio fieri consueuerat, ingrediuntur: illic soli occlusi tum aliis imperii de rebus deliberantes, tum nominatim de aliquo in Regem adoptãdo suffragia ineuntes. Post elapsum autem sesquihoræ spacium, Moguntini Cancellarius, vnaque cum eo quidam Secretarius intro accersuntur, concepta Septemuirorum suffragia excepturi, necnon è singulorum Septemuirûm Consiliariis bini, quibus quasi religiosis testibus præsentibus, legitima fieret suffragiorum pronunciatio. Sub hæc Moguntinus à reliquis Septemuirorum interrogatus, quemnam ipse eligat Romanorum Regem, deinceps in Cæsarem promouendum? Respondit: Se eligere Maximilianum Bohemiæ Regem. Tum hos vicissim Moguntinus sigillatim rogat. Atque ita vna omnium voce Rex renunciatur Maximilianus. Hoc facto, Gulielmus Lantgrauius, Georgius Palatini Germanus, Franciscus Lauenburgicus, Meckelbergicus & Anhaldinus ab Electoribus è Choro, vbi adhuc substiterant, accersiti, ad Cæsarem amandantur, ei ipsorum in Electione consensionem denunciaturi, eumque vt ad ipsos in D. Bartholomæi Aedem venire, dataque audire suffragia dignetur, oraturi. Interea Electores eodem quo fuerant coacti loco, renunciationem Regis describendam, inq; litteras sua relata suffragia, propriis singuli signis obsignanda curant. Porro Cæsare circiter horam diei duodecimam aduentante, ei Electores pariter ex Choro in medium vsq; Fanum obuiam prodeunt, quos ille comiter salutatos, benigne ex ordine appellat: comitatus Bauaro, Iuliacensi, Wirtembergico, Vranienſe, & aliis præterea permultis Principibus, Comitibus atque Dominis. Mox vna in Sacrarium proceditur, ibique Cæsare Pontificalibus induto insigniis, & capiti Imperiali imposita corona, simul se in Conclaue recipiunt. Hîc Moguntinus & suo & Collegarum nomine, Cæsari

quemadmodum summa concordia consentientibusq; omnimodo suffragiis, Regem Bohemiæ, ipsius dilectum Filium Regem Romanum crearint renunciare exorsus: ac vt Cæsar hanc Electionem suo assensu approbare, nouumque Magistratũ pro Romano Rege,& à se secundum deinceps agnoscere minime grauetur, demisse orare. Hæc referenti, Cæsar cum plausu annuens, Electoribus summas agit gratias,& quod optime de Republica sentiãt, & suæ progeniei non minimam rationem habuisse reipsa deprehendantur. Posthęc progredientes, Cęsar in suam à dextra Chori parte sedem sese contulit, Electores vero electum à sese nouum Regem acceptum,altari ex more veteri imposuerunt. Tum Symphoniaci & Ornagistæ alternis vicibus hanc Diui Augustini & Ambrosii Oden: *Te Deum laudamus, &c.* recinunt,quibus Tubicines succinentes taratantararum clangore totum Tẽplum personant. Campanarum quoque pulsus haud mediocrem edit sonitum,nec non maiora in vallis, muris ac turribus emissa tormenta, tantum efficiunt fragorem, vt ipsum cœlum tonare videretur. Tandem huiusmodi absoluta lætitiæ significatione, Rex de altari ex Choro in editum quoddam tabulatum, variis instructum aulæis, deductus, ibidem regali imponitur solio. Tum à Moguntinensis Collegii Decano suffragiorum Decreto recitato,quidam pro concione,quod tanta consensione Electio esset facta. Deo maximas agendas gratias oratione docere, & vt cuncti nouo Regi fidem omnem officiumque præstent, exhortari: ac in ipsius laudationem digressus,quamobrem ex omnibus solum hunc creandum Septemuiris visum esset,demonstrare. Hanc orationem auditorum atque ordinum applausus & admurmuratio subsecuta est. Posthæc Cæsar solenni pompa, in ligneo strato, à Senatu Francofurtensi ob platearum immundiciem apparato,domũ deducitur. Præibant aulici, Nobiles, Consiliarii, Comites frequenti numero. Insequebantur Saxonis, Brandenburgici, Regis atq; Cæsaris tubicines & tympanistæ,ex ordine per vices tubis ęreisque tympanis clangentes Tum imperii Duces atque Principes permulti. Post eos quatuor Præcones, Heroldii dicti, Cæsarianis Aquilis triumphalibusque insigniis conspicui. Deinde Treuericus solus. Ab eo Palatinus aureum Malum ferens,figuram orbis terrarum. Iuxta Palatinum Brandeburgicus cum Regio Sceptro. Pone hos

hos Saxo, strictum prægestans Cæsari gladium. Cæsar aureo insignis pallio, Imperialique diademate ornatus, sub aureo quadrato velo, à sex Senatoriis Francofurtensibus viris, Christophoro Keller, Carolo Kuhorn, Antonio zum Iungen, Carolo à Glauburg, Iustiniano ab Holtzhausen, & Daniele ab Hinsberg, in argenteis gestato fustibus, incedebat. Parum post, neque ita longo interuallo, & quasi iuxta Cæsarem, electus in regio ornatu Romanorum Rex. post eum Moguntinus & Colonienſis simul. Pompam claudebant Centuriones & Tribuni, hastati cum suis cohortibus, reliquisque & Cæsaris & Regis & Principum stipatoribus & administris. Ab vtraque vero strati parte, ciues armati, qui viam facerent, turbamque submouerent, astabant. Atque ita deducto in suam aulam Cæsare, Rex cæterique Principes singuli domum diuertunt.

MAXIMILIANI AVSTRIACI, II. in Regem Romanorum Inauguratio, ex Germanico Latine reddita, per Adamum Heydenum.

QVanquam in veteri sit more positum, vt Rex Romanorum Francofurti creatus, inde in saxeam sub dio Regiam sedem, crebras inter nuces in amœnissimo Rheni littore, supra confluentiam ad Reensium oppidulum positam deducatur, & ibi Electoribus omnia priuilegia, ac quicquid adipsorum dignitatem, decus, libertatem & immunitatem, spectat, confirmet, postea apud Aquisgranenses Belgiæ incolas, ex aureæ, vt vocant, Bullæ decreto inauguretur: attamen cum aliis grauissimis de caussis, tum ingruentis hyemis incõmoditate obstante, denique vt etiam immensis in totius Reipublicæ commodum parceretur sumptibus, vtrumque tam Cæsari & Electoribus, quam Aquisgranensibus, Francofurti vltima die Nouembris, hoc est, ipsis Andreæ feriis fieri placuit. Ea igitur die illucescente, Archiepiscopi Moguntinus, Treuericus, Colonienſis, vna cum administris Wirziburgo atque Spirensi Episcopis, hora imminente septima, ædem Diui Bartholomæi ingressi, in sacrarium, vt ibi Pontificalibus se induant ornamentis, diuertunt. Rex

vero Bohemiæ, Electoresque reliqui, Palatinus, Saxo, Brandeburgicus, in Cæsarea conueniunt aula. Hi septima audita vna cum Cæsare Templum petunt ligneo strato, eo fere ordine, quo in Electione processum est, seruato: Electoribus trabeis ornatis, Cæsare autem Archiducali veste, & Rege aureo amiculo insignitis. Eos fanum ingressos, Archiepiscopi comiter honorificeque in ipso Chori limine excipiunt, ex quibus Moguntino, quod esset sacrificaturus, quidam Canonicus argenteam crucem, alius quidam Baculum Episcopalem, alius item ordinis Equestris Imperii sigillã ex argenteo Bacillo pendentia præferebat. Cæsar in suam à dextera Chori parte sessionem deductus, Electores politicos iuxta ipsum insigniis Imperialibus aliquantisper assistentes, infra sese loca singulis præfinita capere iubet: Reliquis viris Principibus, Teutonicæ familiæ Magistro, Georgio & Wolffgango Palatinis, Bauaro, Iuliacensi, ac Meccelburgensi, loco ex aduerso sedendi dato. Intermedia scamna à Wirtenbergicis, duobus iunioribus Palatinis, & Lantgrauiis, item Lauenburgico, Anhaldino, Vranensi, Arschoto & Lotharingio occupãtur: Pontificio Legato, seorsim eodem in tabulato, quo & Cæsar, cæteriqueElectores residebant, edita sessione cõsignata. In alterum stratum quod supererat, reliqui Legati item Barones, Comites, principum Consiliarii ac Nobiles spectatum admissi, promiscue sese conferunt. In medio pene fani sub Chori introitu stat Ara Sanctæ Cruci sacra. hic Rex ad genua aliquandiu prouoluitur, interea dum Moguntinus pro ipso Deum implorat, qui ei suo opituletur fauore, eumq; ab omnibus aduersitatibus ita vindicet, quo tanto rectius communi Reipublicæ præesse atque prodesse valeat. Deinde Treuericus & Colonensis alleuatum in solium auratum, è regione Altaris compositum, deducunt sessum: ibi ei Treuerico cum Wirziburgo dextra, Colonensi & Spirensi læua in subselliis ex ordine iuxta præparatis, assistentibus. Moguntinus Pontificalibus amictus, vbi facere Sacra cœpit, Palatinus omnium primus, post illum etiam Saxo & Brandeburgicus in Conclaue simul secedunt. At Moguntino in Sacris peragendis aliquousque progresso, Rex, Treuerico atque Colonensi vtrinque stipatus, vestemq; trabeam indutus, procedit ad aram illic à Moguntino, Episcopalem manu tenente bacillum, hac vel simili formulã, verbis Latinis concepta, rogatus:

An

An fidem Catholicam seruare, Ecclesiam defendere, iustitiam administrare, Imperium augere ac protegere, viduas, pupillos, & id genus calamitosos miseriaque obnoxios homines tueri: denique an aequabiliter iudicare, ac debitum Romano Pontifici honorem velit exhibere? Respondit, *Volo*: Hoc dato responso ad Aram propius ductus, liquido verbisque conceptis iurat, facturum se, Deo propitio, Christianorumque adiutum deprecationibus, pro viribus omnia. Sic iureiurando praestito, ad solium regreditur, Moguntino interim ad Principes hinc indestantes & assurgentes conuerso & interrogante: An huic Regi secundum illud Apostoli, Omnis anima superioribus potestatibus subdita sit, fidem & obsequium praestare, eiusq; regnum confirmare velint. Eo compromisso, Regeque ad Aram redeũte, Moguntinus Deo suppliciter agit gratias, quod eum diuino assertum clypeo, supra cunctos totius terræ Reges euehere, & eius subditos prompta ornare obedientia sit dignatus. Secundum hæc in pectus & caput, & brachiorum flexus, manuumque palmas inungit, inquiens: *Ego te hoc chrismate in Regem Romanorum inauguro, Deus autem te Laetitiæ oleo, quo veteres Sancti Prophetæ & Reges perfusi leguntur, vngat.* Vnctum Regem Treuericus, Colonienſis & Palatinus, qui commodum ad hoc è Conclaui prodibat, vna in sacrarium ad detergendũ oleum abducunt, inibi aureo amiculo depositõ, Imperialibus Diui Caroli ornamentis, à Senatu Noribergico, qui ea de veteri consuetudine asseruare solet, transmissis, more Diaconi induunt. atque sic eum vestitum ad Altare statuendum producunt. Hic Moguntinus Archiepiscopis collegis adhibitis, ensem vagina liberatum eius tradit manibus, huiusmodi verba subiiciens: *Accipe Gladium hunc per manus nostras, eoq; accinctus, parcas subiectis, ac superbos debelles, memor interim spiritualis istius Regis, de quo Dauid ad hunc modum vaticinatus est: Accinge femori gladium tuum, potentissime heros.* Gladium, hac qua dixi verborum formula, traditum, vt Rex in vaginam recondidit, Saxo progrediens illius lateri accommodat. Rursum Moguntinus accedens, eius digito pretiosissimum inserit annulum, hæc verba faciens: *Accipe Regiæ dignitatis annulum, & eo Catholicæ fidei recorderis signaculi.* Postea ei Diui Caroli splendidissimum iuxta ac maximi precii pallium iniicit, optans, vt quemadmodum nunc in Romanorum Regem inauguretur, ita,

Deo fortunante, stola fidei amictus, in Christiana fortiter perseueret professione; regnaturus deinceps cum Regum Rege in æterna gloria. Exin Regium sceptrum, pomumque, orbis terrarum figuram repræsentans, porrigit, admonens rursum, vt Christianæ Reipublicæ orbis iustitiam æquabiliter administret, paci consulat, leges Imperii omneis pro virili tueatur. Diadema autem tres Archiepiscopi simul eius capiti superimponunt, dicentes: *Accipe Regiam Regni coronam, quæ licet ab indignis, Episcoporum tamen, de veteri consuetudine manibus capiti tuo coaptatur.* Hisce peractis, Rex iterum Moguntino iurat, facturum se boni Principis officium, ac leges, vt Christianũ Regẽ apprime deceat, sartas tectas ab omni violatione conseruaturum. Post in locum editiorem picturatissimis vsquequaque aulæis prætensum, comitantibus Archiepiscopis, ascendit, & ibi in Saxeam D. Caroli sedem collocatus, hoc ritu Romani Imperii possessionem init. Hic Moguntinus lingua populari verba facere cœpit, eique multam salutem precatus, se ipsi suosque collegas, & omneis totius Imperii Ordines, diligenter & officiose commendat. Mox Symphoniaci & Organistæ vicibus alternis, summo cum iubilo canticum illud, *Te Deum laudamus*, recinunt. Tubicinibus etiam clangoris iucunditate & dulcedine publicam lætitiam excitantibus. Interim inauguratus Rex, Georgium, Ludouicum, Ioannem Casimirum Palatinos: Item Landgrauii filios duos, Eberhardum Wittebergicum, Albertum Meccelburgensem, Carolum Munsterbergicum, D. Carolum Carlouitium, Erasmum Magerum, Iohannem Georgium Preitingerum, & complures alios Duces illustresque viros, eo quod eorum humeros stricto Diui Caroli Gladio, leniter quodam modo feriebat, in ordinem Equestrem recipit. His expeditis ad Altare regreditur Moguntino sacrificanti multos aureos offerens, inde rursum ad solium digressus, ibi ad exitum omnium Cæremoniarum hæret.

Tandem ex familia Canonicorum Aquisgranensium duo accedunt, multamque salutem precati, in summum illum Collegium, more antiquitus recepto, allicium. Harum autem omnium quæ in suo fiebant rerum & solennitatum, spectatrix erat Maria Regis vxor, in priuato quodam tabulato astans, vna cum duobus Regiis filiis, totidemq; filiabus. Item

Lotha-

Lotharingii Vidua, eiusdemque filia, nec non Saxonis & Bauari coniugibus. Celebratis iam in fano omnibus Cæremoniis, in curiam inde pro prandio Cæsaris, Regisque ac reliquorum Imperii ordinum, sumptuosissime apparatum illustrissima pompa, & qua vix vllum viderat Germania splendidiorem, proceditur. Pone tres Regii stipatores insequuntur, qui equis insidentes, in vulgus missilia iactant, nummos scilicet aureos & argenteos, ita vtrinque signatos, vt in altera parte, *Maximilianus D. G. Bohemiæ Rex*; in altera, *Coronatus est in Regem Romanorum, An. 62.* legeretur. In Curiam, vt ventum est, vbi Cæsar & Rex suæ mensæ, omnibus aliis septem gradus editiori, considere cœperunt, Electores singuli sua ex aureæ Bullæ ordinatione officia obeunt. Et quidē omnium primo Brandeburgicus, qui pocillatoris munere fungitur, Curia descendens, in generosum equum ascendit, & ad mensam quandam medio foro stratam properans, auream inde peluim & mappam accipit, iisque in curiam rediens Cæsari & Regi, vt manus lauent atque abstergāt, administrat, post pelui, mappa & equo Comiti Zollerano, ex iure antiquo cedentibus. Deinde Saxo qui Imperii Ensiferum & Marescallum agit, in equum agillimus insiliens, eo in auenaceum aceruum, prope Curiam effusum, incitato celerrime fertur, indeque modium implet argenteum, subinde modio & equo inferiori Marescallo, Friderico Pappenheimio, attributo: auena autem pro derelicto habita, vulgique direptioni concessa. Postea Palatinus Archidapifer ad coquinam extra Curiam, propter Franciscanorum ædem constructam, expeditus in equo aspirat, indeque assumptis ferculis, Curiam versus reditum maturat. ibi equo relicto, fercula ad mensam Cæsaris, ei Saxone nigrum bacillum præferente, defert. Eius equum vna cum argenteis, quibus fercula gestabantur, patinis, iure quodam peculiari Dominus Seldekius adipiscitur. Consecrant mensam Archiepiscopi, Treuerico verbis præeunte, cui reliqui duo respondent. A consecratione Moguntinus, se comitantibus Treuerico & Colonienſi, Codicillos, Imperiique sigilla, ex oblongo argenteo bacillo, plus minus duodecim marcarum precio, appendentia, Regi affert, Rex sigilla allata, Moguntini collo accommodat, recipiens se sibi tum ipsos Archicancellarios, Electoresque reliquos, ac vniuersos Imperii Ordines quam commendatissimo habiturum;

Tum iura atque priuilegia ipsorum non modo ab omni defensurum violatione, sed quum res ita feret, amplificaturum etiam. Hisce officiis posteaquam Electores solenniter sunt defuncti, singuli separatim mensis, in eadem aula splendidissime instructis, dispositisque ad vtrunque Cæsaris & Regis mensæ latus, discumbunt. A latere dextro primam occupat Moguntinus, alteram Palatinus. Ad sinistrum positarum, primam tenet Colonienſis, secundam Saxo, tertiam Brandeburgicus. Contra Cæsarem & Regem mensa posita erat, cui Treuericus iuxta legis Carolinæ formulam accumbit. Hæ autem mensæ omnes tam Cæsariana, quam Electorum, aureis adornatæ stragulis magnificentissime nitebant, supra etiam & à tergo aureis aulæis affabre sumptuosissimoque opere confectis propendentibus. Præter iam dictas mensas adhuc aliæ duæ oblongæ in eadem stabant aula, ad quas collocantur Teutonicæ familiæ Magister, Wirziburgicus & Spirensis Episcopi, item Bauarus, Iuliacensis, ac plures alii Duces atque Principes viri. In contiguo aulę hypocausto etiam quatuor aliæ mensæ instructæ erant, quarum primæ assident Legati Colonienſes, D. Arnoldus à Sigen, Constantinus à Leiskirchen, Caspar Geilnkitchen, Philippus Geyll, Consules, & N. Lithocomus, I. V. Licentiatus, Syndicus. Secundæ Aquisgranenſes, Nicolaus Wildermannus senior Consul, Iohannes Ellerbornius, Franciscus Blockius, D. Gerlacus Radermacherus Syndicus. Tertiæ Norici, D. Sebaldus Hallerus ab Hallerstein senior consul, & Gabriel Nutzel. Quartæ Francofurtenses Ordinati, D. Nicolaus Stallberger Prętor, Iohannes à Glauburg, Hogerus Molheim, Daniel zum Jungen, D. Conradus Humbracht, Scabini, & D. Iohannes Fichardus, Syndicus. Mensis singulis singuli abaci, omnis generis aureis atque argenteis vasis, in tricliniis expositis, opulentissimi adiecti. Mensam Cæsarianam procurabant, prętter ceteros, duodecim præcipui Imperii Comites, Electorum vicem obeuntes. Habebant quoque Electores & Principes suos singuli Comites ac Nobiles, qui illis à dapibus & poculis erant Legatis quatuor Ciuitatum certi etiam attributi ministri. Cæterum licet conuiuium insigni magnificentia ingentique epularum apparatu instructissimum senis sic præberetur ferculis, vt dena simul edulia apponerentur, inter ea tamen plurima non esui apta, digna solum erant, quæ cum admira-

admiratione oculos pascerent. Bellariis etiam secundæ præsertim mensæ conquisitissimis vinisq; pretiosissimis fuerunt instructæ. Interim dum sic

Regifice extructis celebrant conuiuia mensis,

ante Curiam album & rubens merum, duab. fistulis per speciem bicipitis Aquilæ, editę columellæ impositæ, subterranea deriuatione profundebatur. Veteri etiam consuetudine Bos integer, multis aliis animalibus farctus, ligneo veru in foro torrebatur, ex quo parte aliqua ad inauguratũ Romanorum Regem delatã, reliquum multitudinis direptioni cessit. Mensis remotis Treuericus gratias egit, postea Cæsar & Rex suis ornati insignibus ab Electorib cæterisque Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, & anteambulonibus domum deducuntur, quib. deductis singuli in sua se receperũt Palatia.

NOMINA ET COGNOMINA TVM Turcici legati, tum eorum qui Constantinopoli & Budæ ipsum deducentes, vna cum eo Francofortum ingressi sunt, Anno 1562. die 23. Nouembris.

1. Ebrahimus Statius, ortu Polonus, Solymanni Turcici Cæsaris Legatus, 13. ministros adduxit, habens secum 29. equos, & 6. camelos.
2. Wascha Budensis Auli præfectus, ministros 7. equos 10.
3. Rassius Mustaffa Quinque ecclesiensis, min. 3. equos 4.
4. Istraphius Zauschus min. 2.
5. Perchaimus Zauschus, min. 2.
6. Bermanus Byli Wascha Budonensis, minist. 2.
7. Durachius Pulius Wascha Budonensis, min. 2.
8. Dellius Constraffius Budonensis, minist. 2 eq. 3.
9. Hossenius Bulius Wascha Budonensis, min. 2. eq. 3.
10. Durateson Budonensis, min. 1. eq. 2.
11. Dalli Achmallius, min. 1. eq 3.
12. Odauerdus, min. 1. eq. 3.
13. Kadalius, eq. 2.
14. Dallius Sachemitus, eq. 2.
15. Mustaffius, min. 1.
16. Hussamius.

TVRCICI LEGATI EBRAHIMI Strotschii ortu Poloni, Propositio, Schlauonica lingua coram Cæsarea Maiestate, Rom. Rege, & cæteris sacri Romani Imperii Electoribus Principibus atque Statibus, Anno M. D. LXII. ad 27. Nouembris diem Francofurti habita.

MAxime & potentissime Christianorum electe Ferdinande, Inuictissimus, maximus & potentissimus Dominus, Turcarum Imperator, Dominus meus clementissimus, misit me cum mandatis ad Maiestatem vestram vt illius Maiestatis nomine plurimam salutem, prosperos rerũ euentus, & longam vitam Maiestati vestræ precarer, propensumque illius erga Maiestatem vestram animum, beneuolentiam & amorem quam ampliſſime commendarem: quam missis hinc inde legationibus ita auctam esse sperat confiditque, vt illius Maiestas signa confirmatæ amicitiæ certissima reliquerit. (id faxit Deus) Hic subticuit Orator.

Deinde vt Maiestas vestra argumenta maximi & potentissimi Imperatoris Domini mei amicitiæ certiora videret, misit dono ad Maiestatẽ vestram captiuos Christianos, quos nullo nec precio, nec muneribus, nec intercessione Principum quorumcunque redimi à sua Maiestate passus fuisset: at maluit in eo insignem suæ Maiestatis erga vestram Maiestatem beneuolentiã testatam facere; prorsus cõfidens, Maiestatem vestram eadem animi liberalitate quos detinet captiuos Turcas ad pristinam libertatem domum & religionem suam dimissuram. Quod quidem vt Maiestas vestra faciat, vehementer & amice rogat.

Gratulatur autem Maiestati vestræ de quieto senio & imperio pacifico, idque in posterum Maiestati vestræ conseruatum optat, dabitq; Maiestas eius porrõ diligenter operam, ne à sua Maiestate, quæ iustissima & æqui obseruantissima est, quicquam præter pacta pacis fœdera, vel à quoquam minimo subditorum suæ Maiestatis committatur.

Rogat

Rogat autem Maiestatem vestram, vt ad suæ Maiestatis literas, quas ego Maiestati vestræ trado, quam potest amice & interpolatim respondeat. Quod quidem si Maiestas vestra fecerit, intelliget porro se cum amico Principe & potentissimo Turcarum Imperatore in officiorum beneuolentiæque certamen venire, in quo Maiestas ipsius nunquam inferior futura est, nec palmam cedet Maiestati vestræ, sed quotidianis officijs seniles animos magis ad mutuum amorem excitabit.

Deinde quærens ab Imperatoria Maiestate, quis esset Maximilianus, Maiestatis eius filius, & futurus hæres, in ea procerum corona? Imperatore digito commonstrante à sinistris sedentem filium, Turcice sese inclinat Orator, & admota pectori manu, Maximiliano felicem vitam, futuramq; Imperii successionem prosperam precatus est, non metuere se ex tali & tam excelso patre natum Filium patre inferiorem futurum, sed ex nominis augurio superiorem.

Deinde ad Imperatorem conuersus, cœpit munera, hoc est, gradarium Equum, & quatuor Camelos, ornare verbis, quæ studiose à se quæsita Constantinopoli fuisse aiebat: excusabat postea macilentiam ex itinere quatuor mensium contractam.

CATALOGVS PRINCIPVM SACRI Rom. Imp. Qui ad Electionem & Inaugurationem Rom. Reg. Maximil. Francofurtum ad Mœnum venerunt, Anno 1562.

Ferdinandus Cæsar, Rom. Imperator.

Maximilianus Bohemiæ Rex, qui tum & electus & inauguratus est Rex Rom.

Maria eiusdem Coniux, nata Hispaniæ Regina, Caroli V. filia.

Finito Sermone, Archidux alacri vultu, Gratissimum, sibi hunc Vngariæ Regni Ordinum conspectum, singulorum erga se officia acceptissima; precari Deum, iubeat congressum omnibus esse auspicatum; nihil, quod norit conseruando & amplificando Regno idoneum, Maiorum vestigiis insistentem, vti antehac, sic nec in posterum prætermissurum, solitaque procliuitate, & gratia cunctos amplexurum, subiecit.

Digressis, repetitisq; animalibus, factus illico lætus tubarum & tympanorum applausus. militum ludicra velitatione, & ferreorum tuborum explosione, strepitus; magnas autem è Fortalitio, Vrbis propugnaculis, numerose dispositæ, aliæ item ad Danubij ripam collocatæ maiores Machinæ æneæ, effuderunt tonitruationes.

In

In Vrbis aditu, miles Vngaricus præiuit: hos secuti Classici incentores; postea Nobiles iuuentutis; mox præcipui Curiæ Officiales, Patritiis Vngaris intermisti; Archiducem Satellitio stipatum, Cardinalis, Legatus Apostolicus, cæterique Episcopi insecuti; nouissime Germanicus exercitus ingressus. Vbi ad alluentem Danubium ventum, eò loci ille, diuortium quasi facturus, reciprocatu Insulam progignit fluuialem, geminus naualis pons (alias pontonibus traiicitur) stratus, commodum & securum transitum indulsit. Inde tres Ciuium pedestres vexillationes, ex vtraque parte ordinatæ, Portam vsq; se extenderunt; cui prætor cum collegis Vrbicus adsistens, Archiducem prætergradientem, gestu & sermone congratulante salutauit. Hinc per accliue, milite sclopetario alio obsitum, Castrum in sublimi exædificatum, intrans, repetito tormentorum fragore, exceptus. Vngaricus miles ad suburbij mœnia stabulatus, Germanus vero trans fluuium castra metatus est.

Vigesimo quarto Octobris (erat is desiderio Gubernatoris auscultando determinatus) absoluto per Zagrabiensem Episcopum de Spiritu Sancto Officio, Archidux, in capacioni Cœnaculo, nobilissimis aulæis vestito, Thronum erectum subiens, Status frequentes ibidem collectos, in hunc modum allocutus est:

Omnium pacis, bellique temporibus abs Me gestorum, atque conficiendorum socios, vestrum conscios cum habeam plurimos, illa prolixe hic commemorare haud arbitror necessarium. Conuocationis causam scripto complexus exhibeo, minime gentium addubitans, & meorum bene Meritorum, & vestratum Pollicitationum memores, Mihi, vos beneuolos præbituros.

Dicta hæc cum domestico Idiomate conuersa, Archiepiscopus Colocensis repetiuisset, Vlricus à Krenberg Cancellarius Austriacus, Propositionis libellum productum, Cardinali exhibuit, quem Is reuerenter assumens, ad Principem conuersus, paratos quam primum de hisce consultationem instituere, maturrimeque, quæ visa fuerint, Serenitati Ipsius referre, pro cunctis verba fecit. Illico relicta Arce, Regnicolæ solitum Præposituræ locum adeunt, è lectione Postulatum cognituri; quod istud erat:

Quandoquidem Archidux Matthias, Vngariæ Regum

Sanguine Cretus, inde vsque à prima iuuentute, prosperis & aduersis rebus, pro Regni Salute, Ipsorummet testimonio, indefesse laborarit, itaque strenue egerit, vt abs Se præclare Patratorum pensitatione habita, Sacra Cæsarea Maiestas, Regni huius, & aliarum Prouinciarum Rectoram Sibi concesserit, Diadema, Sceptrum, cæteraque Regalia obtulerit, vtque Suam in vicem Rex Intuestiuetur, apud Status, Homagij remissa & condonata Fide diligenter interceserit; Ordines præterea vltro multoties Eum Dignitatis huius potiundæ Spe affecerint; Idcirco Sui rationem Proceres habituros, hisq; Comitijs hoc potissimum fine initis, absq; protelatione, vno adsensu Regem Se Electuros, Sacraturosque, confidere; Sancte Promittere, Salua Ipsorum Iura fore, Libertates & Priuilegia, daturumq; operam impense, vt sub potestate Regia, Patrem Patriæ perpetuo persentiscant.

Illa hora Princeps Carolus Liechtensteinius, Comes Trautsonius, & Dn Krenbergius, Cæsareæ Maiestatis manu ac sigillo confirmatas Cessionis & Refignationis, in Propositione allegatas Tabulas, Ordinibus inspiciendas obtulerunt, quibus numeris omnibus absolutis compertis, redditisque, cætus solutio facta.

Sequente die, ex more, in partes secessum: Archiepiscopi cum Suffraganeis, Stirpsq; Magnatum, in assignato sibi olim consultationis loco, perstiterunt. Prælatis vero coniuncta Nobilitas, in Franciscanorum Cœnobio, & suo item consueto Regiarum Ciuitatum Nuntij coiuerunt. Quotidie ergo Primores proprio cincti singuli armato satellitio, subinde Bestiis, Ornamentisq; mutatis, quemadmodum cæteri Ordines, ad designata Collegia cæteruatim matutini accurrere, Omnes libere Sentire, sensa aperte Dicere, Deliberata per Internuncios mutuo sibi communicare; Perpendere, atque concorditer Statuere; nihil quod non ex vtilitate Patriæ, Gubernatoris dignitate, Agere. Iudicabant prompte Vniuersi, Rebus iam Domi, Foriscque compositis, Moderatore opus esse, propius Rempublicam administrante. Sed quia Palatini, qui summus Regni Curator Vicarius esse solet, Actuumque talium Director, vacet Officium, admonendum Archiducem rati, ex Re futurum, si in primis ad Palatini constitutionem animum aduerteret. Palatinum vero, quoniam in Regias manus obedientiæ & fidelitatis iuramentum

tum præstare oporteat, Regis nuncupationem præmitti, requisitum necessarium, renunciatum vbi esset, sententiæ meliori acquietum.

Principio igitur de creando Rege in suffragia itum, actũ nemine prorsus contradicente, vnanimi Corde, Oreque Ordinum, Serenissimus Archidux Austriæ, Matthias, Rex Boemiæ designatus, Caput & Rex Vngariæ, decima quarta Nouembris optatus est.

Dominica proxima, Status, magna frequentia Arce petita in Regis conspectum admissi, Ipsum, Orationem Cardinale habente, hoc pacto compellarunt. *Agnoscit Serenissime Rex, Senatus, Populusque Vngaricus, Tua in se cumulatissime collata Beneficia, recordatur abs Maiestate tua subitorum Illius causa Discriminum, Curarum perpessarum, duratorum Laborum, quibus hac fiat seruata Patria nostra, Latusque de concesso sibi diuinitus Augustissimi Sanguinis Heroe plurimum gratulatur. Quocirca, quod maxime Tuo merito, iure quodam Tibi debet, liberaliter præstiturus, Regium Maiestatem tuam concordi voto Electam, accedit, per me Regem salutatem, pronunciatum ac proclamatum; Sequeque in protectionem Tuam recipi, Domui Legibus, Foris Armis, Regnum defendi, pulsis hostibus, fines protendi, libertatique pristinæ restitui rogat, & ad quenis Obsequia paratum offert; vtq; hac rata, Auspicataque Rector Mundi tueat, comprecatur.*

Ad hæc Rex: *Quemadmodum*, inquit, *nunquam de sincero erga Me Ordinum affectu dubitaui, sic eo iucundius audire accidit, summa animorum, vocumque consonantia ad Regium hoc fastigium euectum. Faxit ille prepotens Colorum Imperator, cum Collega Filio, Saluatore nostro, per Sancti Spiritus gratiã, vt hoc Archiregnum, pro quo vitam, fortunamque impendere nunquam recusauit, quondam florentissimum assurgens, pristino suo nitore refulgeat! Vestrum ne quem studii in Me Sui vnquam pœniteat, mea parte cauebo diligenter.*

Vix dicendi finem fecerat, cum tota Aula ingens oboritur applaudentium clamor, *Viuat Rex, Feliciter agat, Æternum Viuat, Vincat, Triumphet.* Multitudo Regem circumfusa, manus, pedes, & quicquid attrectari poterat deosculatur, *Sit Regi Vita, Salus* ingeminans. Rege postmodum in Sacelli Oratorium concedente, Nitriensis Antistes Compositum ad Dei laudem Hymnum cantu exorsus est, quem vocis

Muſicæ Chorus, alterque tubicinum, tympaniſtarumque, bellicus, imitatus, vicißim perſecuti ſunt, explosis interim Machinis crepantibus

Pertractata Religione, reuerſoq; in conclaue Rege, quotquot Mensæ miniſterio deſtinati Nobiliores Vngari, officio ſuo defuncti ſunt, Summatibus prandentem Herum circumſtantibus & reuerentibus.

Porro de modo & ratione Palatini poſcendi varie hinc indè controuerſum, ac deliberatum cum eſſet; Rex, Statibus gratificari volens, Carolo Liechtenſteinio, Trautſonio, Krenbergio, totidemque Vngaris, Sigiſmundo Forgach, Thomæ Zechy, Magnatib Megoti vero Nobili, amandatis; vtriuſque Religionis geminos, Thomã Erdodi, & Sigiſmundum Forgach, Catholicæ Profeſſionis; Euãgelicæ autẽ Stephanũ Illieschazy, Georgiũ Turzonẽ nominauit, quẽcunque horũ calculorum numero ſuperiorẽ, Palatinum confirmaturus. Decretum Regis humillime acceptantes Ordines, Legatis dimiſſis, iiſque quorum intererat loco, excedentibus, conſeſtim paucis, & aperte ſuffragia tulerunt. Vicit votis Illieschazy cæteros, quibuſcum in Senatũ reuocatus, Regni Palatinus cunctis geſtientibus acclamatus, moxque Regi præſentatus fuit.

Iuramento exſoluendo poſtero dicto die vbi accerſiti cõparuiſſent Proceres, Rege Throno aſſiſtente, Franciſcus Mag Mihaly Regni Secretarius, Statutis cõprehenſum prælegit fidei Palatinatus Sacramentum, quẽ præeuntẽ claris verbis, erectiſq; digitis ille ſecutus: *Ego Stephanus Illieshazy, fatur, coram Deum viuum, me Sereniſſimo Regi Matthiæ, Domino meo Clementiſſimo, Cuius ſingulari Gratia, aliis prælatus, in Palatinatus Regni ſublimitatem exaltatus ſum, cultum, obſequium & fidem, pro viribus præſtiturum: nihil exoſius populari factione & conſpiratione habiturum; contrariumque potius ſtudiolo, vt Regia Maieſtatis auctoritas & decus illibatũ conſeruetur, augeatur, quacunq; periculoſa, aut aduerſa, Eidẽ exiſtimauero, omni ſtudio auertere, vtilia cuncta promouere, ſummopere curaturum, prouentus, reditus, aliaq; Regia Fiſci bona, ne quid detrimenti capiant, diligenter cauturum; publica non vſurpaturũ, nec mea, meorumq; agnatorum emolumenta, inde quæſiturum, neq; ſine Regis ſcitu alijs permiſſurum: Vice quoq; Regiæ Maieſtatis, quæ eius quidem meum concernit munus, vt omnes Spirituales, quã Seculares Ordines, libertatibus, iuribus definitis gaudeant, & fruantur.*

Fruantur, inhibita omni iniuria, illegitimaq; offensione, curaturum: Iudicia item consuetis locis & temporibus vt habeantur, suum fortalitia vt instaurentur, muniantur; nec non, quæ Officij Palatinatus sunt reliqua fidelissime executurum: nihil Amore, nihil Odio, Iudicio, nimitis affectibus, nihil Prece, nihil Præcio tributurum; Adiutet me Deus.

Hisce peractis, in Cardinalis Palatio conuenere Episcopi, Palatinus, & quidam ex Grandioribus, quibus Trautsonius cõiunctus, de Regiæ Inaugurationis die, ritibus, Officiorum, ad illam Solennitatem requisitorum, distributione, consultatione habuerunt. Coronationis sane Ceremoniarum primos Auctores Ægyptios exstitisse verisimile. Nam hi, teste Plinio, Regium Principatũ sustinuerunt, nullioq; momento potestatis, vti Herodotus refert, absq; Rege viuere. Plinio vero auctore nemo Rex creabatur, nisi Sacerdotio foret præditus: quos è Philosophis deligebant. Si quis igitur forte profanus per vim in Regnũ penetrasset, is postea sacris initiari cogebatur, quo expiatus Sacer euaderet & illibatus. Deputatus qui inlabat Elisabethæ Diuæ Vngariæ Reginæ festus consignatusque Officialium nominibus, fiebat ad tantæ celebrationẽ festinantis diligens apparatus. Magnus vero vndique Regẽ numeroso Equitatu Archiduci Maximiliano obuiam egredientem, & redeuntem spectandum, populi concursus, quem nisi tenebræ diremerunt. Occumbens Sol nihil minari videbatur in crastinum tempestatis, stellatum cœlum quietus aer; nihilominus nocte intempesta, subita, densaque, qualẽ proximæ Coronationis tempore ferebant delapsam continuam, cadit pluuia. Et licet è nubibus cœlum vndique velantibus serenitatis Spes sumi non poterat, præter expectationẽ tamen Phœbus affulsit constans.

Diluculo, aderant iam ex destinato, ad Cathedralis Ecclesiæ fores, manu militari Maximilianus Lichtẽsteinius, Aulæ Marescallus, Michael Czobor, Georgius Zechy, Thomas Bozniak, & Ladislaus Barkoczy, ne quis ex plebe se infunderet, inhibitores. In Arce Trautsonius, & Draskovvitius circa monilia Inuestituræ Regiæ Ornamenta occupabãtur. Hæc deinde capsula cõprehẽsa & obsignata, auratoq; tegmine inducta, Regis nutu Balthasar ab Hoys, & Ferdinandus Helfridus à Meggau Barones Austriaci in anterius cõclaue extulerũt quæ excipientes eiusdẽ Ordinis Vngari Cubicularii, Theorekius Kisfaii, Georgius Homonnai, Stephanus Palffy, & Georgius

Zechy, in aream deportata, Regio currui impoſuerunt: quem Prætoriano milite cinctum, atque ſexiugis lente protractum, Trautſonius, Draskovvitius, Anteſignani equitando præcuntes, ad Cœmiterium deduxerunt; Inde cum iidem Baiuli in Templi Sacratiorem cellam detuliſſent ciſtam, exempta Maieſtatis Inſignia, Aræ holoſerico obnuptæ, ſigillatim, cuſtode Draskovvitio addito, indita. Trautſonius, cui Ceremoniarū præfectura vnice commiſſa, fabricas luſtratum, Chorum, patentem ſatis locum, paulloque ſublimiorem, cætera diſpoſitū, conſcendit. Ibi ſupra ſuggeſtum tres gradus altum, collocatus Thronus, aureo pallio veſtitus; & ex ſimili materia penſili tecto vmbellatus Altare, ad quod religioſe induti conſedebāt Regni Pontifices, exornatiſſimum; poſt cuius principia, Tabernaculum tapetibus exſtructū, in quo Regis Stephani Pallium, aliaque id generis ſupellex, ſepoſita. Subſellia vtrinque holoſerico rubro amicta. Iuxta columnas ſiniſtras erectum prælongum Podium aulæis decoratum, Auſtriaco, Vngaricoque Gynæcio præbebat proſpectum: oppoſitæ vero partis aliud, Symphoniſtis apparatum, primum explebat intercolumnium. Nil deerat præterquam Regis præſentia. Qui paullo poſt, Generoſorum Hominū equitatu circumſeptus, Vngarico habitu precioſe veſtitus, equoq; nobili & ditiſſime phalerato vectus, cum fratre Maximiliano ſimiliter amicto, Arce deſcendit, Enſe nudato Sigefrido Kolonich pro tempore Agaſonum Magiſtro antecedente, & hunc in Syntheſi cum Caduceo, Feciali ptæeunte; Nuncio vero Papæ Pauli V. Placidio de Mara, ſupremo item Cubiculario Leonhardo Helfrido à Megau, Stabuli præfecto Octauio Gabriose, cæteriſque Regem ſubſequentibus.

Ad Templum poſtquam peruentum, Trautſonius Regium Candidatum Sacello induxit: quo primum limen attingente, inflatæ tubæ, pulſata tympana, cunctis aliquandiu reſonantibus. Interea Regalia diſtributa geſtamina; acceriti, qui Regem Choro inducerent, duo Antiſtites, Archiepiſcopus Colocenſis, alter Præſul Zagrabienſis. Repetito clangore proceſſum. Vexilliferi & quidem bini prætiuerunt. Thomas Nadasdy vexillum Bulgariæ; Stanislaus Turzo, Cumaniæ: Stephanus Palffy, Lodomeriæ: Georgius Zeczy, Galiciæ: Petrus Revvai, Seruiæ: Andreas Doczy, Ramæ: Chriſtophorus Erdody, Sclauoniæ: Georgius Homonnai, Croatiæ: Stephanus

phanus Thoerock, Dalmatiæ: Nicolaus Zerinius Vngariæ gessit. Post Heraldum incessere fere singuli: Gladium euaginatum Kolonich prætulit; auream Crucem Franciscus Batthiani; Pacem Thomas Zechy; Gladium Sancti Stephani vagina reconditum, Georgius Turzo; Pomum, Sigismundus Forgach; Sceptrum, Thomas Erdodi; Coronam, Palatinus. Rex inter Episcopos medius, Archiducem Maximilianum, Summi Pontificis Legatum, & reliquos Aulæ Primarios, assecias habuit. Caduceator ante Solii gradus substitit; ad latera quini Signiferi; cæteri progressi, Cardinali onera sua exhibuerunt Aræ imponēda. Archidux subsellii dextri caput occupauit, à quo remotiores, Palatinus, Georgius Turzo & pauci alii: Sinistri autē, Nuncius Apostolicus, Carolus à Liechtēstein, Breuner, Khan, Losenstein, Harrach, Mansfelt, Wartenberg, complureſque Austriaci Dynastæ, tenuerunt; Chorū, Viris præstantibus quibusvis, refertissimo. Rex coram Altari supra auro obductam culcitram in genua se submittens, Crucem, (hanc autem Benedictus Pontifex, Anno Millesimo vna cum Corona, Miscoui Poloniæ Duci, destinatam, nocturno Dei Internuncio commonitus, Regi Stephano Primo, Viro Sancto, Christianæ Fidei ad Getas & Sarmatas vsque propagatori, dono miserat, atq; ad augendam illius dignitatem, hoc Pontificiæ Legationis Insigne, quod alteram Armorum Regni partem constituit, Ei perpetuam præferēdi potestatem fecerat) per Cardinalem porrectam, honorario Osculo petiuit, ac Iusiurandum ab eodem prælectum hoc præstitit.

Ego Matthias, Archidux Austriæ, Polliceor coram Deo, & Sanctis Ipsius Angelis, daturum Me pro viribus operam, vt Diuina, Humanaque Iura in tuto sint, Deo dicata Ecclesia bona intacta permaneant, Sacro Ordini decus suum constet, & Ius cuique Subditorum tribuatur. Mox Iesu Christi Noui Testamenti Libro, à Præsule aperto seruato, vtraque manu admota, subiiciens: *Sic Me Deus adiuuet, & Sancta Eius Euangelia*, iurauit. Pontifex vero ita precatus est:

Omnipotens, æterne Deus, Creator omnium, Imperator Angelorum, Rex Regum, Domine Dominantium, qui Abraham fidelem seruum tuum, de hostibus triumphare fecisti; Moysi & Iosuæ Populi Tui Ducibus, multiplicem Victoriam concessisti; Humilem Dauid in Regium Fastigium extulisti; Sapientia

Salomonem supra Mortales omnes, atque mirifica pace donasti; exaudi quæsumus, Domine, demississimas supplicationes nostras, respice super Hunc Ministrum Tuum Matthiam Regem nostrum Electum, protege potenti Brachio, corrobora Spiritu Tuo, circumda Gratia, quo omnes conatus Ipsius, ad Diuini Tui Nominis Gloriam, Patriæq; beatitudinem, conuertantur, per Filium Tuum vnigenitum, & Consubstantialem, Dominum nostrum Amen.

Inde Regem deuote prostratum Subsidentes circumsepsere Antistites, donec preces, Choro recinente, finirentur. Assurgentem Leonhardus Helfridus à Megau, Supremus Cubicularius, & Iohannes Draskovvitius, Regni Camerarius, Sacræ Vnctioni præpararunt. Cardinalis dextro pollice Pretioso Oleo madefacto, nudatum Regis digniorem Cubitum Carpis vtrinque ductim illeuit, prorumpensque in Vota, *Domine*, infit, *Prehende, Fortifica, & Dirige Hanc Famuli Tui Dexteram, vt se digna Operetur.* Et iterum: *Actiones nostras, ô Deus, quæsumus Adspirando præueni, & Adiuuando prosequere, vt cuncta nostra Oratio & Operatio, à Te semper incipiat, & per te cœpta Finiatur, per Christum Saluatorem nostrum.* Bolt denuo immersum Chrismati digitum interscapulari Regioni intulit, transuersimque partem vnxit, comprecatus: *Iesu Christe, Fili Dei, qui à patre exaltationis Oleo vnctus es, præ consortibus tuis, Impingua Cor Regis nostri Spiritus Tui larga infusione. Sancte Deus, qui Azachel super Syriam, & Iehu super Israel, per Eliam, per Samuelem vero, Saulum, & Dauidem Reges deunxisti, tribue, Obsecramus, manibus nostris efficaciam, quæ, per Te sublevata hac nostra indignitate, Seruum hunc Tuum Matthiam, dignum hac delibutione, Regem efficiamus; quiq; tute Tua fretus, impositum Humeris Principatum, alacriter & fortiter sustineat, & Populi Director vigeat, per Christi Domini nostri meritum.*

Symbolum Cyprianus explicat: *Oleo*, scribit, *antiquitus Sacerdotes & Reges sacrabantur, Spiritalē, intelligi volentes sacri mysterii inesse pinguedinem: & sicuti Oleum omnibus liquoribus superfertur; ita Sacerdotalem & Regalem Dignitatē omnium esse excellentissimā* Hæc ille. Adhuc onere præterea Illud videtur alacritatis. Nam olim Gymnasium adituri Athletæ, quo agiliores euaderent, oleo inducebantur. Oleo parites

ferri

ferri situs prohibetur, & abstergitur. Fragrantia denique huius Balsami, Gratiæ emanationem pollicetur.

Perunctus Rex, ductoribus Episcopis, in vicinum concessit Tabernaculum: Inde S. Stephani, auro, Dedalæo opere contexto Pallio, (Sanctitatis & Honestatis amiculo) aureisque Cothurnis (innocentiæ Calciamento) indutus, reductus cum esset, Rem Diuinam facere Cardinalis cœpit. Dū vero Chorus nunc alta voce, nunc organice, alternis accineret, Regi popliteo innitenti, Diui Stephani euaginatum tradit Ensem, *Ac ipe* dicens, *Gladium Tibi diuinitus porrectum, quo propugna Dei Eccl siam, imbelles Tuere, Mucta noxios.* Mox vagina reconditum Regis lateri accinxit, compellans: *Accinge te Gladio hoc potenti, semper ad litem parato, memor retinens, quod Sancti non Vi, sed Fide vicerint, debellarint que Imperia.* Rex Aræ obuersus, vultu subiacundo, ferro educto, complicatoque in tot partes ictu, aerē ferit; quo ritu, pro Christi Aris pugnaturum, spoponcit.

Extat in Macabæorum Historia (vnde Ceremoniæ huius vsurpatio forte desumpta) Iudam, Israelitici exercitus Ducem, priusquam contra Nicanorem iniret prælium, secundū quietem vidisse: Hieremiam Prophetam aureum Gladium sibi tradentem, cum huiusmodi exhortatione: Cape Gladium, Sanctum à Deo munus, per quem deuinces aduersarios populi Mei. Rei vanitatem abfuisse, euentus ostendit. Nam cum hoste Sabbatho compulsus conserere, triginta quinque millia fudit.

Abdito à Rege rursum Ense, Palatinum Cardinalis adsciuit, in eiusque manus Diadema resignauit; quod attollens, conuersus ad Populum, ex veteri consuetudine, vulgari Sermone, *Numne Hunc Regem esse Iubeant?* ter alta voce rogauit; quibus cum toties acclamatum esset, *Placat, Fiat,* & *Viuat Rex,* Coronam Cardinali restituit.

Hic Regem contra in genua demissus, Regni Thesaurum, varia fortuna vsum; nunc subtractum, nunc Turcæ manibus interceptum; errantem modo; modo latentem; postliminio tamen semper reuersum, Capiti illius superindidit, submul prolocutus: *Cape in Diuina & Individua Trinitatis nomine hanc Coronam, qua resplendeat Maiestate fatens Tua, veluti olim à Dei Colloquio discedentis Israelitarum Ducis & interpretis Moysis vertex: ac Cœlestem im-*

marcescibilem coronam promerere, Christo propitio Auxiliante.

Diadematis, quod Regium est Insigne, Plinius, Liberum Patrem, auctorem scribit; cuius inuenti rationem Diodorus Siculus redditurus, vinosam exhalationem eius pressura pelli sentit. Sed cur non potius, & verius, *Maiestatem, oneri coniunctam*, indicabit? Quod certe iam dudum Corona Ferrea, qua tum Italiæ Reges & Imperatores redimiti, designauit, atque illud Poetæ: *Perfer & Obdura.* Cæterum præter alia quæ insunt Coronæ huic considerato digna singularia, quaternæ sunt inde dependentes, Auresque verberantes Appendices, quæ istud forte agere mihi videntur, quod solitus apud Persas Cubicularius, quem Plutarchus refert quotidie Regibus insusurrasse: *Surge, Age Rex Negocia.*

Vlterius, Sceptrum offerens: *Accipe*, addit, *Veritatis & Iustitiæ Virgam; hac obsequentes Dirige; Contumaces Attere; Oppressos Erige, idque Dei subsidio feliciter perfice.*

Videtur hoc Herculis monstrorum domitoris nodosam Clauam innuere, qua Populorum Rectores, in propulsandis, expugnandisque prauis hominū moribus, tricosæ commonefiant difficultatis. Cum enim Pecudum Inspectoribus Industria opus sit & Labore; quanto magis hominum, animalis, adeo varii & intractabilis? Sed quia in Aduersis Pugnandum, in Secundis Imperandum Regis est; Belli Symbolū, Gladiū; Placidę vero Gubernationis Signum, Sceptrum, fortasse nō perperam existimauero: atque hoc in Republica Principi esse, quod in Choro Præcentori Plectrum; quo sicut hic omnē inhibet in Symphonia dissonantiam; Ita ille mutuos subditorum Animos, Affectuumque motus recte Conciliat, ac harmonice Contemperat.

Postremo, Auream cum eminente Cruce *Sphæram* sinistræ *Regis* indidit Manui, Arrhabonem Regni desponsati Amplectendi, Gerendique. Globus versatilis, de vno in alium deuolui Imperia, Deo sic impellente, denotat; nihil in hac Mortalitate Stabile, nihil Diuturnum, nedum Perpetuum; Adeo vt Regnorum Ætates sint, Æstates Regum, Solum Deum Æmuli expertem Mundi Præsidē Permanere in Æternum Defixa Crucicula, in animū merito Reuocat. Orbē Iesu Christi Sanguine redēptū, hoc Dictatore Iudicatū iri in nouisli-

nouissimis; aliis patratæ Tyrannidis pœna irrogata, aliis ob Rem bene gestam, beata Æternitate retributa.

Regalibus sacris initiatus Rex, gladioque, quem Georgius Turzo excipiens, prætulit, decinctus, per Pontifices in solium (Bracelis Rex huiusmodi honorum Sedes Pestilentiæ Cathedras appellat, quod eas fere nemo conscenderit, cui à laboribus quies, à periculis securitas concedatur, præsertim si ex hac Specula negligentius despiciant), Sublatus est, hæc Cardinale proloquente: *Occupa augustissimum Locum hunc Dei Gratia Tibi concessum, & per nos Ministros adsignatum: Firmetur ac Stabiliatur Thronus Tuus.*

Tum omnis Musicorum Chorus: *Laudetur Deus* cantare, Tormentis bellicis solutis Cœlum intonare, subsultare Terra, cæteraque Elementa gestire, & Nouo Regi congratulari. Populus intra Templi parietes, plebs foris conglomerata, Vitam Regi, Salutem, Felicitatem, Victoriam exoptare.

Sopito Strepitu, Precibus incubitum: *Deus, qui ad Te extensas Moysis manus intueri dignatus es, hereditatis tuæ aduersus Abimelech Victoriam tribuens, respice nos de Sede Maiestatis Tuæ, confirma quod operatus es in hoc Rege nostro, visita Eum sicut Moysen in Rubo, Iosuam in prælio, Gedeonem in agro, Samuelem in Templo; Tu sis Ipsi in Consilio Sapientia, in Acie Lorica, Clypeus & Galea; effice vt sub Eius Imperio pullulet Fides, Pax & Charitas sese ex opulentur, homines loquantur veritatem, Tuaque circumdati misericordia vmbra pij vitam degamus tranquillam.* Et iterum: *Munera, quæsumus, oblata sanctifica, vt Corpus & Sanguis vnigeniti Filii Tui, ad æternam Salutem, felicemque Gubernationem, Regi Nostro proficiat. Amen.*

Hæc vbi Clerus iuxta Thronum peroraſſet, ad Altare reuersus est. Sceptrum, Pomum, portitoribus Solio adstantibus, reddita: Cardinalis vero reliquum Sacrum operatus: Sancti Euangelii Codicem deosculandum Regi Colocensis Episcopus detulit. Idemque postea cum Socio Eundem Oblationem facturum, ad Aram deduxit. Rex, ibi Cardinalem Aurea Cruce armatum ter peruenerat cum esset, superiori gradui ingenuculans, in auream Pateram, quam Episcoporum quidam submittebat, manum Auro grauidam, exoneravit; oblatoq; Cruci Basio, ad Locum priorib. Comitibus, rediit, gestu deuoto, sacris intentus persistens. Durante Sublatione, qui Re-

gia tenebant Augustalia, eorum apices terram versus inclinarunt. Rex sub finem Sacrificii, priusquam ad Communionem, quam, Ministrante Cardinale, obiuit, duceretur, Coronam Capiti demere Trautsonium iussit, qui, dicto parens, desumptam Antecedili adposuit, Reuersoq; iterum Leonhardo Helfrido de Megau (vterq; toto Actu Regi proximus) suppetias ferente, applicuit. Supererant exsequenda reliqua.

Præfacta matori, Præposituram contra, Ecclesiæ porta; à qua per aliquot platearum anfractus, ipsumque forum primarium, ad Franciscanorum vsque Templum, ex asseribus, tignis suffultis, candidi, rubri, viridisque Coloris, quot Regni Insigne pingitur, pannis, (prisco admodum apud Hebræos honorationis modo) commutatim iniecti, strata via, ab vtraque parte armatis Ciuibus munita, magna item Heydonum multitudine, Panni prædæ inhiantium obsita, quo etiam vadiq; spectatum adcurrerat populus, transitum, nisi prohibitus, obstructurus, aliis ædiū ianuas, fenestras, & passim tecta implentibus Hac primū, quæ ex Germanis & Vngaris aderat, Nobilitatem proficiscentem, sequebantur vexilliferi, hos Fecialis, mox Gladii S. Stephani gestator, Pomi itemque Sceptri latores. Ante Regem ibat Scipioni innixus Palatinus, cum Ensifero Sigefrido Kolonichio. Rex demum tanquam Numen quoddam omnium in se conuertebat oculos. Archidux Maximilianus sinistrum fratris adibat latus; à tergo Cardinalis, Nuncius, cæterique Præsules, tum Cubicularii incesserunt: Postremas partes Regiæ Custodiæ præfectus Ferdinandus Elbogner habuit, cum aliquot militum manipulis; in quorum medio, duo à Cancellis, Aureis, Argenteisq; partim Regis Icone, partim nominis Hieroglyphico signata Numismata spargentes, equitarunt Factum ex prisco veterum Romanorū Imperatorum instituto; qui vestes vnguenta, & id genus missilia in vulgus iacere Coronati consuescerunt: luxui hoc, futuræ liberalitatis Signum, ab initâ statim dignitate statuentes.

Scripto nequit exprimi quantæ ibi coortæ Turbæ, pars certatim calcatum pannum rapere, pars nummorum iactum excipere, & in prævenientem quemque veluti hostem insilire; aliis protritis, verberatis, sauciatis aliis: Tumultu, non nisi ferreis cateruis, per transuersum tentis, extreme inhibito.

In

In Ædem vbi Rex pertigisset, alteri adornato insedit Soho, creandis auratæ militiæ Equitibus vacaturus. Hosce vero ad pedes deuolutos, atque è Scheda seriatim à Palatino recitatos, Georgium Homonnai; Thomam Nadasdy, Stephanum & Iohannem Palffy; Ludouicum Racoczy; Michaelem Czobor; Stephanum & Christophorum Erdodi; Iohannem & Georgium Keglovvitz; Georgium Zechy, Nicolaum Forgach; Stephanum Doczy; Benedictum Pograny, Stephanum Ostrosith; Iohannem Destoffy; Stephanum Korlat; Thomam Bosniack; Georgium Pograny; Nicolaum Abaffiy; Laurentium Poliany; Georgium Ketche; Ægidium Nag; Christophorum Mrianchich; Georgium Peteo, Iohannem Petrichovvit; Wolffgangum Baycortum, Baronē Herberstainium; Stephanum Balaskovvyth. Matthiam Kralich; Iohannem Peteo; Matthiam Dorodit; Georgium Banlovvith; singulos honoris Brabæo afficiens, ipsorum Terg=, assiduis Castrensibus laboribus (non enim in ocio, nec vno die, aut aliunde, sed ex seipsa, longo & difficili partu, nascitur, Virtutis Soboles, vera Nobilitas) ad ferri soliditatem quasi obfirmata, S. Stephani Gladio, percussit.

Hisce absolutis excessum Templo est: & quo ante ordine, pedes, eques quisq; extra Vrbis, ab Archangelo cognominatam, portam sensim perrexit Illic prope, patenti in loco, editū, rubroque panno circumdatum Tabulatum Rex conscendēs, aureæque sellæ insidens, pro consuetudine, ab antiquo vsurpata, eleuatis digitis, in hæc, Cardinalē exprimente, concepta verba, dixit: *Nos Matthias, Dei Gratia, diuinis auspicijs ad Regnum Vngariæ euocati, Iuramus per Deum viuum, per beatam Virginem, Regni huius Tutricem, cæteroſque Cœlestium Numinum Ordines; velle, Sanctas Dei Ecclesias, & harum Administros, Præsules & Prælatos, Barones item & Nobiles, Ciuitates liberas atque vniuersos Regnicolas paterna cura complecti; Libertatem, Leges, Sanctiones, & cæteras Immunitates ab anteceſſoribus Regibus impetratas, nunquam violare; Inprimis Andreæ quondam Regis Decreta obseruare; extra respectum ius cuique dicere; de publicis, fideli Senatus Consulto debite statuere: non modo de conseruandis, sed & amplificandis Regni finibus omnem viam & rationē inire, ac quæcunq; boni Regis officia sunt, diligenter obire; Sic Nos tum Sanctus adiuuet Deus.* Non licebat iam olim etiam apud

Romanos Rempublicam gerere, nisi Iurato. *Est autem Iusiurandum*, iuxta Ciceronem, *Religiosa affirmatio, quo, Deus invocatus testis; Ipse exigit promissum.* Extat hoc, cõtra violentum quodque metuendum, vnica securitatis Tessera, qua se Principes cum subditis mutuo & reciproce obstringunt, ac fidem fide obligant; *quam abrogare, omnem Hominum Societatem esset*, vt Liuius inquit, *tollere; Struare autem*, quemadmodum Xenophon scribit, *cum in aliis omnibus, tum vero in viro Principe, res præclarissima.* Exsoluto iuramento, Cœtus, qui circumstabat detecto capite innumerus, in altissimas, & longas vociferationes prorupit: *Salus sit Regi, Vita, Perennitas*; tumque iterum Tormentis tonitruatum. Mox Mœnia aliquousque circumeuntem cum Pompa Regem, aliquot ex Vngarorum Nobilium censu sollicitare cœperunt, quo ex tempore infestis congredi hastis, proque vita dimicandi potestatem ipsis faceret: quod Ille serio detrectans, non decere tantam festiuitatem Christiano sanguine cruentari, respondit.

Progressus Rex, in ea præurbii parte, quæ Danubium adspicit, dedita opera excitatum aggerem, siue tumulum, equo calcaribus commonito, cursu petit; eductumque Diui Stephani Gladium versus quatuor Mundi plagas vibrans, quacunque parte Hostibus infestantibus (Romanorum exemplo, quo à Columna Campi Martii in partem transferendi belli Consul hastam iacere consueuerat) bellum interminatus, ibi tertio maiorum bombardarum intonatu lætitiæ signum datum.

Absoluta Coronationis Celebritate, Solenni tractu, mera die in Arcem reditum. Illic strata Regia Mensa: dispositi ad gestus mulsi, & varii apparatus cibi. Dapiferorũ Magistrũ Georgium Turzonem, secuti ferculis onerati, Thomas Erdodi Sigefridus à Kolonich, Nicolaus Zerinius, Michael Czobor, Stephanus Palffy, Stanislaus, Nicolaus & Christophorus Turzo, Stephanus Theorok, Thomas Nadasdy, Georgius Homonnai, Sigismundus Balassa, Christophorus Banffi, Franciscus & Georgius Koglovvith, Stephanus Lyllius, Paullus Aponi; qui omnes Magnates. Regi loturo aquam adfudit Andreas Doczy; manutergium porrexit, Palatinus; Prægustatoris munere perfunctus, Batbiany, Pocillatoris obiit, idem, qui lauacrum exhibuit, Iamitorum Regalium Magistri,

gistri, Nicolai Istvvanffi, recens in loco hemiplexia tacti, vices subiit, Comes Turocienſis Petrus Revvai.

Regio habitu, capiti menſæ, Rex accubuit; quem propren Patina aurea collocata, poſt temporis intervallum, nimium aggrauans, ſexpondium Diadema, excepit: Dextrum latus, paullatim remotius Archidux Maximilianus occupauit; Sinistrum Cardinalis, cum Pontificis Legato: Poſtremo loco, Palatinus conſedit; Regale Conuiuium, diuerſo, at ſuauiſſimo concentu, Chorocitharedis exhilarantibus.

In humilioribus Aræis Conclauibus, Antiſtites, Barones, Nobiles, ſplendide epulati, proque Regis noui Auſpiciis ſecundis pocula libantes; *Viuat Rex, iterumque Viuat*, vocales, exoptarunt. Proximo vero Pomerio, aliquot Heydonum centuriæ, refectæ; quæ aſſiduo Regis nomine inclamato & collaudato, rara ipſis paſcua exſaturatæ, plurimiſque vini vaſis exantlatis, pergræcati ſunt. Ciuitatis compita, vici foraque vndique gaudiis perſonarunt. Die, hoc pacto, tranſacta, ſub vltimum ingruentis noctis crepuſculum, Meteora illa, artificialia, excitata; è terra, quaſi ſydera ſurgētia, lepidi ſpectabiles ignes; quibus abſumptis, Martius tormentorum poſtremus applauſus, Feſto attulit Colophonem.

Sequentibus diebus, Rex, de Officiis diſtribuendis deliberatione habita; exacta à ſingulis miniſterii fide Metropolitam Strigonienſem, Cardinalem Franciſcum Forgach, Regni Primatem, ac ſecretum Cancellarium declarauit: Poſtea è Sacro Ordine, Conſiliarios hoſce; Archiepiſcopum Colocenſem Demetrium Napragy; Epiſcopum Zagrabienſem Simeonem Bratulich; & Aulæ Regiæ Cancellarium, Præſulem Nitrienſem, Valentinum Lepes, ordinauit: Seculares vero Senatores, Petrum Revvai, Sephanum Theorek, Ladislaum Petco, Michaelem Czobor, Thomam Viskelethy, Franciſcum Alay, Benedictum Pograni, conſtituit. Excelſiora autem munera bene meritis hiſce contulit. Iudicem Curiæ, abſentem, Valentinum Homonnai deſtinauit; Banum, ſiue præfectum Sclauoniæ, Thomam Erdodi fecit; Georgio Turcoui, Quæſturæ, ſiue Theſaurarii prouinciam obtulit; Magiſtrum Tabernicorum (eſt hic quaſi ſcopulus quidam iudiciorum, ad quem ſententiis prægrauati liberarum Vibiū ciues prouocant) Sigiſmundum Forgach; Agaſonum Franciſcum Batiani (Dapiferorum hactenus ſuſtinet Georgius

Turzo) Cubiculariorum Iohannem Draskovvith; Ianitorũ, Nicolaum Istvvanffi, Pincernarum, Andream Doczy, Curię, Thomam Czechy, esse iussit; Personæ vero Regis in iudicio præsentiam gerere Iohannem Lyppay, voluit. Rebus itaque dispositis, vbi de tuto reponendæ Coronæ loco Rex quam diligentissime prospexisset, Petro Revvai, & Stephano Palffy delectis asseruatoribus, Statibus, missione data, Valedicens, sexta Decembris Viennam recurrit.

Actus Electionis, siue
RELATIO

HISTORICA, QVA RATIONE Dn. Matthias II. Hungariæ, & Bohemiæ, &c. Rex, Francofurti Anno 1612. die 3. Iunii, in Regem Romanum electus fuerit.

NOtum est tam ex historiis, quam ex veteribus recentibusque in Imperio susceptis tractationibus, receptum semper & vsitatum in Sacro Romano, Nationis Germanicæ, Imperio fuisse, vt vel ob ingraueſcentem Imperatoris Romani ætatem, vel ob causſas grauissimas alias, viuente adhuc Cæsare, Rex Romanus alius, à Sacratissimi Imperii Septemuiris, iuxta constitutionem Bullæ, quam vocant, aureæ, à Carolo IV. Norimbergæ Anno supra millesimum trecentesimũ quinquagesimo sexto conditam, eligeretur; vt esset ita, qui & Imperatorem in administratione Imperii iuuaret, & eo postmodum defuncto, fasces Imperii statim capesseret, illudque ab incommodis periculisque imminentibus vindicaret & cõseruaret. Quemadmodum id in Wenceslao & Maximiliano I. qui viuente adhuc Carolo IV. & Friderico III. itemque in Ferdinando, qui tempore Caroli V. fratris sui, nec non in Maximiliano II. & Rudolpho II. qui viuentibus etiamnum & imperantibus augustissimis parentibus suis, in Reges Imperatoresque Romanos electi fuerunt, videre est.

Eadem

Easdem igitur ob causſas, maxime vero ob imminentia Romano Imperio hoc tempore pericula, & pro vitandis omnis generis, quæ interregna comitari plerunque solent, incommodis, Illustriſſ. Imperii Septemuiris, qui vna cum Electoratus Palatini Administratore, & Legatis Brandeburgici, Mense Octobri superioris 1611. Anni, viuente adhuc Augustiſſimo Cæsare Rodolpho II Norinbergæ conuenerant, nouum quendam Regem Romanum, qui Cæsareæ Maiestati ad beatiorem vitam, insperato forsitan casu, translato, in Imperio postmodum succederet, eligere visum est, die ad actum Electionis 11. Maii Anni huius 1612. in vrbe Imperiali Francofurto ad Mœnum, vbi electionem istam Constitutio Bullæ aureæ fieri iubet, præstituto & denominato.

Tametsi vero interim Cæsarea Maiestas sub initium huius Anni, 10. nempe Februarii die, ex vita hac mortali excedens, immortalitatem adiret, atq; ita electionem intra mensis spatium suscipere, ex Constitutione Bullæ aureæ, necessarium esset, ob causſas tamen grauiſſimas à dicto isto & constituto tempore discedere religio Electoribus fuit.

Quare 10. Maii, qui Solis dies erat. Anno hoc currente supra milleſimum sexcenteſimum duodecimo, Francofurtum Reuerendiſſimi & Illustriſſimi Principes Dn. Iohannes Schvvichardus Moguntinus, & Dominus Ferdinandus Colonienſis, Archiepiſcopi & Sacri Romani Imperii respectiue per Germaniam & Italiam Archicancellarii & Electores; Nec non Illustriſſ. & Celsiſſ. Principes Dominus Iohannes, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Electoratus Palatini pro tempore tutor & administrator; Et Dominus Iohannes Georgius, Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium Dux S. R. I. Archimareſchallus & Elector; vterque pro tempore Imperii Administratores Vicarii, &c. aduenerunt.

Sequenti Lunæ, 11. nempe Maii die, Reuerendiſſimus & Illustriſſimus Princeps Dn. Lotharius Archiepiſcopus Treuirenſis, S. R. Imperii per Galliam & regni Arelatenſis Archicancellarius & Elector: Quemadmodum etiam circa veſperam, Illustriſſimi & Potentiſſimi Princeps Dn. Iohannis Sigiſmundi Marchionis Brandenburgenſis, S. R. Imperii Archicamerarii & Electoris, Boruſſiæ, Iuliæ, Cliuiæ, Montium & Stetini Ducis Legatus aduenerunt.

Quos omnes eadem die Mercurii 13 nempe Maii Serenissimus & Potentissimus Princeps Dn. Matthias II. Hungariæ & Bohemiæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Marchio Moraviæ, & Comes Tyrolis, &c. cum spectabili admodū & probe armato equitatu, secutus est. Qui quidē Principes omnes ab equitatu Francofurtensi, qui ex ciuibus maxima parte constabat, consueta ante portam locis excepti & per dispositos vtrinque armatos ciues in vrbem traducti fuerunt. Postquam autem S. R. Imperii Electores, Moguntinus nempe, Treuirensis & Colonienſis, quemadmodum etiam Electoratus Palatini Administrator, Dux Saxoniæ, & Legatus Brandenburgicus, Francofurtum aduenissent, deliberationum & consultationum suarum initium die Mercurii, 13. nempe Maii, fecerunt, idque in curiæ Francofurtensis senaculo quodam ad eam rem peculiariter destinato & parato, vbi sequentibus deinde etiam diebus semper conuenerunt, erantque in senaculo isto sedes septem holoserico nigro vestitæ, vno ordine prope fenestras pro Electoribus dispositæ, in quibus Electores cū Administratore & Legato ita consederunt, vt primam à dextris Palatinus, secundam ab illo Rex Bohemiæ, tanquam Elector, tertiam Moguntinus, quartam Treuirensis, quintam Colonienſis, sextā Saxo, & septimam Brandenburgicus occuparent, ad mensam autem oblongam coram Electoribus positam & holoserico nigro instratam Cancellarii & Secretarii, in scamnis vero & subsellis reliquis Consiliariorum primarii quique consederunt.

Inter alia autem, quæ sub deliberationem statim venerūt, iuramentum etiam fuit, quod ciues Francofurtenſes ex præscripto Bullæ Aureæ præstare tenentur. Hoc cum iam Electores tam à senatu, quam à ciuibus & ad excubias destinatis copiis requirerent, Senatus quidem pridie eius quo iuramentum dicēdum erat die, pulso per ciuitatem tympano, vt proxima Die Sabbathi, 16. nempe Maii in area magna ante curiam ciues omnes conuenirent significari per plateas ciuitatis omnes curauit, mandato seuerissimo, de peregrinis ad aulas principum Electorum non pertinentibus omnibus ex ciuitate dimittendis, addito.

Sabbathi, 16. nempe Maii die, Senatus primo Francofurtensis, congregatis in curia Electoribus & Legato Brandenbur-

denburgico, cum in superiori curiæ palatio, locoque nonnihil eleuato, subsellia sua holoserico nigro constrata conuenienti ordine Administrator Palatinus, Bohemus, Moguntinus, Treuirensis, Colonienſis, Saxo & Legatus Brandenburgicus Adamus Ganſius Dominus in Putlitz, occupassent, iuramentum de securitate præstanda, ex Aureæ Bullæ præscripto, præstitit, prælegente id quidem ei Cancellario Moguntinensi Francisco Philippo Fausto; tali ferme sententia, quod nimirum Senatus Francofurtensis Reuerendissimo Principi & Domino, Dn. Iohanni Schwichardo, Archiepiscopo & Electori Moguntino reliquisque Dominis Electoribus, Administratori Palatino & Legato Brandenburgico fidem dare, eamq; iureiurãdo confirmare deberet, quod omnes generatim Electores, itemq; speciatim singulos à vi & iniuria alterius vel Electorum, (si quidem dissensio inter eos existere forte contingeret,) vel aliorum hominum, cum vniuerso, quem secum singuli haberent, ducentorum nempe equitum comitatu, sub pœna in Aurea Bulla expressa, pro viribus sua defendere: neminem toto illo electionis tempore, cuiuscunque dignitatis & conditionis esset, in vrbem exceptis solum Electoribus, eorumque Legatis & Commissariis admittere, & si qui peregrini in vrbe essent, eorum discessum modis omnibus promouere vellet. Quæ quidem omnia senatus diligenter se obseruaturum, stipulata manu, & verbis ex ore Cancellarii Moguntinensis repetitis, in magna spectatorum copia, sancte pollicitus est.

Accepto hoc à Senatu iuramento, Electores cum Administratore Palatino & Legato Brandenburgico surgentes, ad fenestras Palatii conuersi sunt, vti viderent, quomodo à ciuibus, qui interea ad aream istam magno numero confluxerant, iuramentum illud præstaretur: quod ipsum quidem etiam à destinatis ad excubias militibus, qui in aream eandem producti in circulum disponebantur, eadem solennitate præstitum fuit. Sequentibus diebus sessiones & consultationes ab Illustrissimis Electoribus, in prædicto loco, ad 3. vsque Iunii diem, qui Electioni dictus fuit, & quo ea etiam feliciter postmodum peracta est, habitæ institutæq; fuerunt.

Pridie autem eius diei, qui dies nempe Martis, 2. Iunii erat, proclamari Senatus adhibito tympani pulsu per ci-

nitatem curauit, vt peregrini omnes, qui nec ad aulas Electorum pertinerent, nec iureiurando senatui obstricti essent, vrbe quam primum excederent, eoque facto portæ ciuitatis post meridiem omnes occlusæ & obseratæ fuerunt.

Die Mercurii, qui 3 Iunii Anni currentis 1612. erat, regia tandem Electio modo sequenti peracta est. Principio ciues vestibus & armis elegantioribus induti atque instructi, per plateam, ex curia ad templum San Bartholomæo sacrũ ducentem, hinc inde dispositi sunt. Deinde campana ingens, à dimidia septima ad septimam vsque, de mandato Senatus pulsa est, eoque facto, cum septima audita esset, Septemuiri omnes ad curiam equis vecti sunt. cumque ibi horam fere integram morati & habitum Electoralem in peculiariter vnicuique adsignato conclaui induti essent, eo postmodum ornati, ex palatio curiæ descenderunt, equosque conscendentes, horam circiter octauam, in templum San-Bartholomæi, tali quidem ordine vecti sunt; pedites primo Consiliarii nobiles aulicique & ministri Electorum quam plurimi incedebant, sequebantur equites Reuerendiss. Moguntini & Treuirensis Electorum Aulæ magistri & Mareschalli hæreditarii, Iohannes Philippus ab Hoheneck, & Melchior Dominus in Eltz, gladium vterque in vagina deaurata reconditum præferentes. Hos è vestigio insequebantur coniuncti, Reuerendissimi Illustrissimique Principes & Domini, Dn. Iohannes Schvvichardus, Archiepiscopus & Elector Moguntinus, & Dn. Lotharius Archiepiscopus & Elector Treuirensis, toga electorali ex panno coccineo rubro, pellibus ex albo, & nigro variegatis, quas Hermelinas vocant. suffulta, & prætexta induti. & pileo ex eiusdem coloris panno constante, pellibusque variegatis prætexto, caput tecti.

Equis porro vecti incedebant Archiepiscopatus Colonienſis, & Regni Bohemiæ Mareschalli hæreditarii, quorum Colonienſis quidem gladium in vagina deaurata, Bohemus vero in vagina ex rubro holoserico constante, reconditum præferebant, insequentibus mox Reuerendiss. & Illustriss. Principibus & Dn. Dn. Ferdinando Archiepiscopo & Electore Colonienſi à dextris, & Matthia Bohemiæ Rege & Electore a sinistris, quorum Colonienſis quidem, habitu prioribus simili, Rex vero habitu ex holoserico

rico rubro pellibus Hermelinis suffulto & prætexto indutus, coronaq; Bohemica preciosissima ornatus cernebantur. Incedebant porro equites Pleichardus ab Helmstet, Electoratus Palatini; & Maximilianus à Pappenheim, Sacri Romani Imperii Mareschallus hæreditarius, gladium singuli in vagina deaurata reconditum vt priores, præferentes, insequentibus eos Illustrissimis & Celsissimis Principibus & Dominis, Dn. Iohanne, Comite Palatino Rheni, Electoratus Palatini Administratore à dextris, Dn. Iohanne-Georgio Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium Duce, Electore, in medio, & Adamo Gansio, Domino in Putlitz, Electorali Brandenburgico Legato, à sinistris, quorum vterque Palatinus nempe & Saxoniæ Principes, toga Electorali ex holoserico rubro, pellibus Hermelinis suffulta, & prætexta induti, pileoque electorali eiusdem coloris & materiæ caput tecti, cernebantur. Legatus vero Brandenburgicus, habitu suo consueto nigro indutus erat, cui etiam, quod Elector Brandenburgicus ipse met non adesset, gladium nemo prætulit.

Hoc ordine ad portam vsque templi primariam inter vtrinque constitutos armatos ciues vecti Principes, equis descenderunt. Simul atque autem templum ingressi essent, Tubicines statim & Æneatores Electorales, qui magno numero in destinato ad vsum istum loco, aduentum eorum præstolabantur, tubis canere, & pulsare tympana magno impetu cœperunt, cantu isto (donec Septemuiri omnes Chorum Templi, qui tum quidem vndique tapetibus & peristromatis ex serico auroq; & argento preciosissime & artificiosissime contextis, stratus & obductus fulgebat, ingressi essent, sedesque suas, quarum sex pro Electoribus & Legato Electorali, holoserico nigro, vna autem pro Rege Bohemiæ panno Attalico siue aurato stratæ & obductæ erant, occupassent) continuato.

Cum igitur in subsellia sua, Electores, in dextro nempe Chori latere Moguntinus, Bohemus & Palatinus, in medio Chori loco, nimirum præcentori alias destinato, Treuirensis, & in sinistro latere Colonienſis, Saxo & Legatus Brandenburgicus consedissent, præcipuis quibusdam Consiliariis cum Clero in Chorum admissis, fores per hæreditarium Imperii Mareschallum Pappenheimium nempe occlusæ, organaque pulsari cœpta sunt inchoato simul Hymno: *Veni*

Sancte Spiritus. quem Electorales Musici in eleuato Chori vestibulo constituti, canendo absoluerunt. Hymno eo finito, Suffraganeus Moguntinus ad Altare constitutus, Missam celebrare cœpit, Palatinus vero, Saxo & Brandenburgicus Legatus, qui Sacris istis interesse haudquaquam solent, surgentes, in Sacellum, quod prope Chorum est, cum Consiliariis aulicisque suis, dum ea celebraretur, concesserunt. qua finita cum prodeuntes iterum loca sua occupassent, Hymnus, *Veni creator Spiritus, &c.* cantari cœptus est. Finito autem eo, Electores omnes, vna cum Legato Brandenburgico, præeedentibus eos cum gladiis, (excepto tamen Legato Brandenburgico) Mareschallis, ad Altare iuramentum ex præscripto Bullæ aureæ præstituri, processerunt. cumque in gradum supremum ascendissent, & ad astantes faciem conuertissent, Moguntinus, in medio constitutus, causas conuentus sui, nempe vt iuramentum, requirente ita Bulla aurea, præstarent, paucis exposuit, primusque iuramentum istud, verba ei prælegente Treuirensi, præstitit. postmodo Electoribus reliquis idem iuramentum Moguntinus prælegit, quod ipsi itidem magna promptitudine & alacritate, Ecclesiastici quidem admotis ad pectus suum, seculares vero ad Euangeliorum librum digitis, præstiterunt.

Hoc facto, Moguntinus, duos Notarios requisiuit, & vt Actum istum notarent, vnumque vel plura super eo instrumenta conficerent, hortatus est: qui fidelitatem, obsequium & promptitudinem suam ad officium hoc submisse ei deferentes, Nobiles & Adstantes reliquos in testimonium requisiuerunt.

Electores vero interea ad loca sua iterum sese receperunt: cumque postmodo Hymnum, *Veni sancte Spiritus*, cum pertinentibus ad eum collectis & precatiunculis canentes absoluissent, Sacellum ordine Cæsarium, quod concameratum & oblongum Choro ad meridiem adiacens conclaue est, Altari eleganter extructo & pulcherrime exornato conspicuum, multisque vndique magni precii appensis tum tapetibus condecoratum, ad Electionem futuri Regis faciendam ingressi sunt. Erat tum in vestibulo Chori, vbi Cantores & Musici Electorales stationem suam habebant, pro iuniore Comite Palatino, Electoratus Palatini hærede, sedes parata pannoque Attalico & au-

rato

rato magnifice contecta. Similiter & pro Regina eiusque Gynæceo in fornice templi superiore è regione Sacelli Cæsarii, tapetibus preciosissimis constratus & obtectus vndique ad fenestram Chorò obiectam intermediam locus erat, vnde quæ in Choro agerentur, videri omnia quam commodissime poterant.

Postquam igitur Electores horam fere integram in Sacello Cæsario siue electorali commorati fuissent, & accersitis semel atque iterum & dimissis iterum præcipuis consiliariis & Notariis suis, Electio noui Regis, eiusdemque proclamatio in Sacello facta esset, hoc tandem ordine ex Sacello iterũ prodierunt, vt præcedentem Moguntinum Colonienſis & Treuirenſis sequerentur, Serenissimum Hungariæ & Bohemiæ Regem, tanquam Electum iam Regem Romanum ducentes, & latus eius vtrumque claudentes, comitantibus eos Palatino, Saxone, & Brandenburgico Legato. Quam primum autem Sacello egressi essent, tubicines, æneatoresque Electorales, officio suo tam probe perfuncti sunt, vt tubarum tympanorumque clangore omnia in templo personarent, pulsis simul, quæ in turri ista sunt, ad testandam lętitiam campanis maioribus, & tormentis, machinisque in vallo ciuitatis exoneratis atque disploſis.

Interea Electus nouus Rex ad Altare adductus, flexis in superiori gradu genibus ad orandum se composuit, Electoribus ad latera vtrinque consistentibus. Tum vero statim: *Adiutorium nostrum in nomine Domini*: Psalmusque: *In virtute tua lætabitur Rex*. cum pertinentibus ad eum precatiunculis, super nouo Rege dicta sunt. quibus finitis Rex in Altare ab Electoribus eleuatus & collocatus, Hymnusque Ambrosii & Augustini: *Te Deum laudamus*. tribus Choris, in Organis, Canticis tubisque & tympanis à cantoribus, buccinatoribus & æneatoribus Regiis Electoralibusque decantatus est.

His omnibus peractis, porta Chori, quæ versus dextram est, iterum aperta, & Rex ab Altari leuatus, inter medios Electores per Chorum, ad pegma vel theatrum quoddam, extra Chorum in templo excitatum, & tapetibus preciosissimis vndique exornatum, vti omnibus sese sisteret, processit. Erant in theatro isto subsellia septem pro Electoribus, holoserico nigro obducta, & præterea vnum vnico gradu reliquis magis eleuatum, & panno aurato stratum pro Maiestate

Regia, posita. Rege iterum in sedem suam collocato, Electores etiam Moguntinus & Palatinus ad eius dextram, Colonienſis, Saxo, & Legatus Brandenburgicus ad ſiniſtram, Treuirenſis vero coram eo in medio conſederunt, Palatino quidem orbiculum regalem, Saxone diſtrictum gladium, & Legato Brandenburgico ſceptrum regium in manibus tenentibus. Interim vero dum loca ſua Electores occuparent, tubicines & æneatores cantibus indulgentes clangore vniuerſum templum maximo repleuerunt, quibus ceſſantibus publicatio & proclamatio ad populum ab admodū Reuerendo Dn. Georgio-Friderico Greiffencloe à Volrath, Præpoſito Moguntinenſe & Wormatienſe, in hanc ferme ſententiam facta eſt:

Poſtquam per Sereniſſimi & Auguſtiſſimi Principis & Domini, Dn. Rudolphi II. Imperatoris quondam Romani, feliciſſ. recordationis obitum, Imperium vacare cœpiſſet, inter Electores Legatumque Brandenburgicum iam præſentes, de electione noui Imperatoris, poſtulantibus ita legibus conſtitutionibuſque Imperii conueniſſe, vt Sereniſſimus Potentiſſimuſque Princeps & Dominus, Dn. Matthias II. Hungariæ & Bohemiæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, &c. Rex Romanus in nomine Domini eligeretur, futuruſque Imperator denominaretur. Hanc vero electionem Principum Electorum Legatique Brandenburgici nomine omnibus iam eo fine manifeſtari, & notam fieri, vt omnes Hungariæ & Bohemiæ Regem, pro Rege Romano habendum ſibi & venerandum ſciant.

Facta hac proclamatione, tubis iterum tympaniſque tubicines & æneatores canere cœperunt, clangore maximo templum vniuerſum complentes. Electores vero cum Maieſtate Regia ſurgentes, theatro deſcenderunt. Præcedebat autem Treuirenſis, ſequebanturque Septemuiri ſeculares cum Legato Brandenburgico coniuncti, Adminiſtrator nēpe Palatinus à dextris orbiculum regalem, Saxoniæ Elector in medio, gladium euaginatum, & Legatus Brandenburgicus à ſiniſtris, ſceptrum Regium geſtantes. Hos Regia Maieſtas ipſamet inſecuta eſt. Moguntino iuxta eum à dextris, & Colonienſe à ſiniſtris, ita tamen, vt aliquantulum poſteriores viderentur, incedentibus. Hoc ordine templo egreſſi equos iterum conſcenderunt, & ad Maieſtatis Regiæ Palatium, ſiue aulam, domum nempe Brunfelſiam nomine vecti, Regem eo de-

eo deduxerunt, præmissis nempe ministris aulicis, Saxoniæ, aliorumque Electorum, & Regis ipsius, tubicines atque æneatores, tubis canentes, tympanaque alternis vicibus pulsantes, incesserunt, sequentibus deinde Consiliariis Electorũ præcipuis, & Septemuiris tandem ipsis eo, quo ex tẽplo processerant, ordine equis incedentibus.

Atque sic tandem electio ista per Gratiam Dei feliciter peracta, & Hungariæ Bohemiæque Rex Matthias II. vnanimi Septemuirum consensu, multaque omnium exultatione, & congratulatione, in Regẽ Romanum, & caput vniuersi Sacratissimi Imperii electus est. Principes vero Electores sequentibus diebus æq; vt antea in Curia ciuitatis cõuenientes, consultationibus & deliberationibus, de rebus Imperii variis, horas antemeridianas tribuerunt, postmeridianas vero (quantum per conuiuia ab Electoribus aliisq; Principibus, qui peracta Electione Francofurtum statim frequenter aduenerunt, multa cum solennitate agitata & celebrata, fieri potuit) venationibus, decursationibus, ludisq; equestribus aliis impenderunt, donec tandem Coronatio ipsa 14. Iunii, quæ dies Solis erat, magna cum solennitate, feliciter itidem, (vt iam dicemus) peracta est. Deus Regiam Maiestatem cum Serenissima suauissimaque coniuge sua, saluam & incolumem diu conseruet, victoriamque ei ab hostibus suis perpetuam largiatur.

CORONATIO REGIS ROMANORUM Matthiæ I. &c. Die Dominica 14. Iunii Francofurti facta.

QVæ ante Electionem Regiam, & in ipso eiusdem Electionis actu Francofurti acta fuerint, exposita hactenus & commemorata breuiter sunt. Consequens ergo est, vt Coronationis etiam Francofurti itidem peractæ historiam similiter pertexamus. Tametsi enim in Bulla aurea expressum statutumque sit, quod Electio quidem Francofurti, Coronatio vero prima Aquisgrani fieri, & comitia prima Norinbergæ celebrari debeant: conuenit tamen inter Regem & Septemuiros, Administratoremque Palatinum, & Legatum Brandenburgicum, vt certis de caussis, Coronatio hæc non Aquisgrani, sed Francofurti hoc tempore fieret, cum præsertim ex historiis etiam notum esset, actum Coronationis non semper Aquisgrani, sed aliis etiam locis: vtpote Francofurti, anno 1562. & Ratisbonæ, anno 1575. celebratum fuisse.

Cum igitur ad Coronationis istum actum dies Dominica 14. nempe Iunii, huius 1612 Anni præstituta esset, ad Aquisgranenses & Norimbergenses mature ea de re relatum est. vt ornatum & alia ad Coronationem antiquitus adhiberi & apud eos asseruari solita, Francofurtum afferrent: vbi quæ necessaria ad actus istius solennitatem videbantur, magno studio per septimanam integram parata sunt. Et quidem in San-Bartholomæi templo ab vtroque Baptisterii latere magnæ capacitatis tabulata, ab ortu occasum versus, vnde prospectus vndique pateret, pro Regina eiusque Gynæceo & principibus personis aliis, exstructa & tapetibus pretiosissimis argentoque & auro intertexto nitentibus, condecorata sunt, excitato simul in loco templi valde cõspicuo meridiem versus, pegmate siue theatro eleuato admodum & capaci, eõque tapetibus vt tabulata priora ob artificium & pulchritudinem admirandis admodum constrato. In area porro ante Curiam, ingens taberna ex lignis & asseribus, pro boue assando, in atrio autem Gazophylacii post Curiam, culina ingentis capacitatis, pro apparando prandio regali itidẽ

ex

ex lignis & asseribus excitatæ sunt. Pons præterea per forum siue plateam, qua ex curia ad San-Bartholomæi templum itur, stratus & traductus est firmioribus paullo crassioribusque quam ad tabernam & culinam lignis asseribusq; ad eum adhibitis. Fons ante Curiam perpetuo saliens, linteaminibus ad iustitiæ vsque superimpositam ei statuam, obuelatus, & coloribus variis gramine hederaque admixtis ita depictus infectusque est, vt excauatæ cuiusdam rupis formam referret, Aquila nigra bicipiti coronata, in rotundo globo consistente, & serto viridi, quod leones duo vtrinque constituti, vnguibus quasi tenebant, inclusa, ad eum apposita atque adfixa. Palatium siue Senaculum Curiæ superius, quod Senatus paullo ante renouari & concamerato opere fornicis instar elegantissime construi illustrarique imaginibus variis curauerat, multis artificiosissime contextis tapetibus ad parietes constratum, in pauimento vero, ad partem dimidiam vsq; vnico gradu eleuatum pannoq; rubro obductum est, mēsis Electoralibus tali ordine in eo constitutis. Ad fenestrā intermediam, areæ patenti siue foro obuersam, locus erat quinque gradibus reliquo loco magis eleuatus, panno itidem rubro constratus, in eo mensa regia. in inferiori autem tabulato ad dextram mensæ Electorales tres, pro Electore Moguntino, Bohemiæ Rege, & Administratore Palatino; ad sinistram itidē tres, pro Electore Colonienſe, Electore Saxoniæ, & Electore Brandenburgico; Medio vero loco, è regione nempe mensæ regię, mensa Electoralis vna pro Electore Treuirēſe posita, & holoserico rubro constratæ fuerunt, cadurco siue tegmine supra mensam quamlibet, ex holoserico pannoque Attalico & aurato constante, explicato, & Abaco siue Repositorio, pro vasis poculisque argenteis & aureis mensæ cuilibet magnifico apposito, nec non pulpito siue tabulato in vestibulo palatii pro Cantoribus Musicisque excitato, & panno rubro vndiq; conuestito atque obducto.

Cum igitur dies Solis, 14. nempe Iunii aduenisset, portæ ciuitatis omnes occlusæ manserunt, ciues vero armati & vestimentis elegantioribus induti, à palatio siue aula Regia, ad Curiam, indeque ad San-Bartholomæi templum ab vtraque pontis per plateam istam traducti parte constiterunt, & campana ingenti ab hora quinta ad septimam vsque signum aliquoties datum est.

Interea Treuirensis & Colonienſis Septemuiri habitu electorali, vt Electionis die induti, mox & Moguntinenſis tunica talari nigra indutus, templum San-Bartholomæi ingreſſi ſunt, & in Bibliotheca templi, ab Aquiſgranenſibus & Norimbergenſibus Legatis, habitum ornatumque Cæſariũ eo allatum acceperunt, cumque depoſito in Choro habitu Electorali, Pontificalia ſua, veſtitum nempe Epiſcopalem induiſſent, inſignia iſta Imperii, coronam nempe, orbiculum imperialem, annulum, ſceptrum, & duos gladios, vnũ oblongum & latum, alterum in formam gladii Turcici incuruatũ, in Altari Crucis, quod ante Chorum cernitur, Treuirenſis & Colonienſis depoſuerunt. Paullo poſt horam ſeptimam, Electores Moguntinus, Treuirenſis & Colonienſis, habitu Pontificali illuſtri admodum ornati vna cum Aſſiſtente, Neutræ Epiſcopo & Suffraganeo Moguntino, Præpoſito item Capituli Moguntinenſis duobus miniſtrantibus, Hugone nempe Cratzio à Scharffenſtein, Adſeſſore Capituli Moguntinenſis & Wormatienſis Præpoſito Francofurtenſi, &c. & Georgio-Antonio in Rotenſtein, Canonico Capitulari, nec non Eccleſiaſticis perſonis aliis, Choro egreſſi ad Altare cõceſſerunt, cum vero nondum Rex cõpareret, Electores iſti Eccleſiaſtici, Moguntinus maxime, tanquam futurus Conſecrator, habitu Pontificali ſeu Epiſcopali illuſtri admodum ornatus, in ſubſellia ſua, aduentum Regis præſtolaturi, conſederunt.

Seculares porro Septemuiri habitu ſuo Electorali induti poſt horam ſeptimam ad palatium ſiue aulam Regiam equis vecti ſunt, quo vna cum Conſiliariis item ſuis, Principes reliqui Comiteſque Barones & alii proceres, nec non Legati exterorum Principum magno numero conuenerant, vt Regiam Maieſtatem in templum proficiſcentem comitarentur: quod quidem paullo poſt, horam circiter octauam, ordine ſequenti factum eſt.

Præmiſſis tribus Electoris Saxoniæ ſatellitibus, habitu eleganti nigro & flauo indutis, hæreditarius Imperii Mareſchallus, Maximilianus à Pappenheim, proceſſit, baculum manu tenens, quem Aulæ Mareſchallus, cum vtriuſque miniſtris, & Electoralibus Conſiliariis, multiſque nobilibus perſonis aliis, ſecutus eſt. Procedebant porro prætor conſulque & alii ex ſenatu ciuitatis Francofurtenſis ad actum

iſtum

stum deputati, sequebanturque multi Electorales Consiliarii & nobiles aulici, qui tamen propter incidentem forte pluuiam, ordinem minime seruarunt, sed eo distracto, quacunque poterant ratione imbribus sese subduxerunt.

Vt remisit autem paullulum tempestas, Comites, Barones, aliique proceres magno numero pedites incesserunt, quos Principes, quorum ad viginti tum Francofurti numerabantur, equis secuti sunt. Post illos equis albis simul vecti incesserunt tres Feciales siue Caduciferi suo habitu ornati, & baculos siue caduceos albos manibus gestantes, quorum primus à dextris equitans Regni Bohemiæ, intermedius regni Hungariæ, tertius vero à sinistris equitans, reliquorum Regnorum insignia paludamentis siue tunicis suis sericis artificiose attexta gestabant: quos Fecialis siue Caduciferi Imperii Aquilam imperialē in tunica contextam præferens, & caduceum siue baculum itidem album manu tenens solus equo albo insidens secutus est.

His ita præmissis, Administrator Palatinus, habitum Electoralem indutus, itemque Legatus Brandenburgicus, habitu suo consueto indutus, equites coniuncti incesserunt, quorum ille orbiculum imperialem, hic vero sceptrum manu gestabant. Deinde solus equo pulcherrimo preciosissimoque insidens Saxoniæ Elector incessit, habitum itidem Electoralem indutus, & gladium euaginatum Regi præferens, quos omnes tandem Rex ipsemet habitu pileoque Electorali ornatus, sub caduceo siue tegmine elegantissimo (quod sex Ciuitatis Francofurtensis Senatores, nempe Nicolaus Heilricus Faust ab Aschaffenburgo, Iohannes Hector zum Iungen, Daniel Stalburgerus, Hieronymus Augustus ab Holtzhausen, Hieronymus Stephanus, & Iohānes Philippus Weiss, gestabant) secutus est. Dimidia autē fere hora, antequā Rex veniret, Regina cū Gynæceo suo, multisque principibus fœminis & virginibus aliis, aliquot curribus in templum profecta, tabulatum eo fine sub Organo extructum occupauerat. Cæterū cum hac ratione per paratum ad hunc vsum pontem, ad San-Bartholomæi templum Rex veniret, Electores tres Ecclesiastici, cum duobus Suffraganeis adsistentibus, & Clericis, Ecclesiasticisq; personis aliis, quorum alter Euangeliorum librum, alter thuribulum

gestabant, in occursum ei ad portam vsque templi processerunt. Et Moguntinus quidem tanquam Consecrator, habitu Episcopali indutus, & infula seu pileo episcopali caput tectus erat, Crucem sibi eum baculo Episcopali, & sigillis Regiis præferri curabat, sequentibus eum duobus ex Clericorum cœtu, qui infulam & baculum obseruarent.

Rex ad Consecratorem veniens, dum preces diceret, substitit, illisque finitis, cum cæteris personis Ecclesiasticis ad Altare processit. Præmisso enim, qui crucem & baculum cum sigillis Regiis gestaret, Adsistentes siue Suffraganei latus Regis vtrumque claudentes, ad Altare eum perduxerunt, præcedentibus Maiestatem Regiam Septemuiris secularibus, cum insignibus Imperii, & ornatu Cæsario, Treuirensi vero & Colonienſi eam sequentibus. Canebatur interea Hymnus: *Ecce mitto Angelum, &c.* Septemuiri vero seculares, cum ad Altare venissent, traditis hæreditariis suis Mareschallis insignibus, sedes suas occuparunt, quæ hunc quidem in modum dispositæ cernebantur.

Primo coram Altari sedes precatoria, vbi preces suas Rex perficeret, posita erat, panno Attalico siue aurato obducta, paullo post eam Solium Regium excitatum erat, eiusdem coloris panno aurato constratum. Post solium istud subsellia duo pro Adsistentibus siue Suffraganeis, & iuxta ea, sedes duę aliæ, vna ad dextram pro Electore Treuirensi, altera ad sinistrã pro Colonienſe, holoserico rubro stratæ erant. Seculares autem Septemuiri prope Treuirensem, Baptisterium, siue occasum versus; Legati ex opposito, prope Colonienſem, sessiones suas habebant.

Cum Hymnus seu cantio ista; *Ecce mitto Angelum, &c.* finita esset, Suffraganei seu Adsistentes Regem ad Altare, & Consecratorem, Moguntinum nempe Archiepiscopum, Pontificalibus seu Episcopalibus vestimentis magnifice ornatum, ad humilem quandam sedem peragendis precibus destinatam duxerunt: vbi Maiestate quidem Cæsarea in genua procidente, precatiunculæ quædam à Consecratore dictæ sunt; quibus finitis, Suffraganei Regem eleuatum in solium Regium abduxerunt, & sessiones suas iterum occuparunt.

Interim ad officium Missæ Consecrator sese accinxit, quæ statim etiam inchoata & celebrata est. Simul atque autem

tem Sequens finitus esset, antequam Euangelium inchoaretur, Rex deposito, quo hactenus indutus fuerat, Electorali habitu, à Suffraganeis, comitantibus eum Treuirensi & Colonien si Electoribus, ad Altare deductus est, ibique in genua, ad sedem habendis precibus destinatam, quemadmodū & Consecrator ipsemet, vna cum Episcopis & Clericis adstātibus omnibus, procidit, quo facto, Litania super eo legi cœpta est. cumque ad versiculum ventum esset; *vt nos exaudire digneris*: Consecrator surgens baculumque Episcopalem manu tenens, addidit: *Vt hunc famulum tuum Matthiam in Regem eligere digneris*: *itemque vt eum benedicere, sublimare & consecrare digneris*; Ac tandem, *vt eum ad Regni & Imperii fastigium perducere digneris*: Choro subinde subiiciente & respondente, *Te rogamus Domine*, &c. Diaconisque cœptam Litaniam absoluentibus, qua finita, Rex cum Suffraganeis & Clero reliquo iterum surrexit, & Consecratori infula imposita, traditusq; in manus baculus est, qui Latino sermone Regem allocutus *velletne Christianam & Catholicam religionem retinere; Christianam Catholicam Ecclesiam defendere, iustitiam administrare, Imperium augere; Viduas & pupillos tueri, & Pontifici Romano debitum honorem præstare atque exhibere?* rogauit. Cumque ad quæstiones singulas affirmando Rex respondisset: ex sede precatoria, Altare versus paullulum progressus, omnia sese ista constanter seruaturum, iureiurando confirmauit.

Consecrator porro ad præsentes Electores, Principes, Comites, Barones, & vniuersum populum conuersus, Latino sermone, *vellentne Maiestati Regiæ se submittere, eius regnum confirmare, mandatisque & præceptis eius obedire, iuxta doctrinam Apostoli, iubentis omnes subditos esse Magistratibus, siue Regi tanquam præcellenti, siue Ductibus tanquam ab eo missis*, &c. quæsiuit. Cumque Electores, Principesque, & vniuersus populus, *Fiat, Fiat, Fiat*, respondissent, Rex ad humilem sedem precatoriam ab Altari traductus est, ibique in genua procidit, & benedictionem à Consecratore accepit. Interim nudato ad vnctionem Rege, oleum catechumenorum Consecrator accepit, & signū Crucis vertici primum capitis, postmodum ceruici inter vtrumque humerum, porro pectori, & tandem dextro brachio, inter carpum & cubitum inunxit, verba hæc subinde; *Vngo te*

in Regem oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, pronuncians, cantarunt postmodum Musici Hymnũ; *Vnxerunt Salomonem, &c.* & Consecrator manus etiam Regis inunxit.

His ita peractis, Suffraganei siue Assistentes Regem per Chorum in Sacrarium siue Sacellum Chori duxerunt, abstersoq; oleo, antiquum imperialem habitum Norinberga allatum, maxime vero ocreas genuales, & tunicam talarem albam oblonga stola diuaricatim à collo per pectus superiecta ei induerunt, atq; ita instar alicuius Diaconi vel Sacerdotis vestitum & ornatum, in sedem precatoriam, adhibitis Electoribus aliis, duxerunt; vbi Consecrator iterum benedictione eum impertiuit, canendo versiculos quosdam sacros, quibus Musici finalem semper clausulam adiecerunt.

Benedictione ista & precibus finitis Electores duo Treuirensis & Colonienſis gladium, instar Acinacis siue gladii Turcici nonnihil incuruatum, qui Caroli Magni fuisse perhibetur, ab Altari, in quo (vt supra dictum est) vna cum Corona & Sceptro positus fuerat, depromptum & euaginatum in manus Regi dederunt, Consecratore dicente: *Accipe gladium per manus Episcoporum &c.* Cum vero Consecrator diceret; *Accingere gladio tuo, &c.* gladius iste in vaginam iterum reconditus Regi per seculares Septemuiros ad latus alligatus fuit. Consecrator vero Regi annulum ab Altari depromptum cum certorum verborum pronunciatione digito eius induit, Sceptrumque regium & orbiculum imperialem, ab Altari itidem deprompta, & allata in manus ei, Sceptrum quidem in dextram, orbiculum vero in sinistram, his adiectis verbis: *Accipe virgam virtutis & æquitatis, &c.* tradidit. tandem Coronam imperialem ab Altari depromptam tres Septemuiri Ecclesiastici, Moguntinus nẽpe, Treuitensis & Colonienſis, capiti Regis simul, Consecratore hæc verba: *Accipe Coronam Regni, &c.* dicente, imposuerunt, & aurato eum Caroli Magni pallio condecorarunt. Quo facto Rex ex sede precatoria surgens, Electoratus Palatini Administratori orbiculum, Legato vero Brandenburgico Sceptrum porrexit; moxque à Treuirensi & Colonienſi ad Altare perductus, iusiurandum, quod omnia, quæ bonum Imperatorem decent, facturus esset, præstitit.

His

His omnibus peractis, cum & iuramentum præstitum, & actus Coronationis in medio templi, coram Altari nempe Crucis peractus esset, elegans admodum Musica habita est, Rex vero ad Sacrificia conuersus est, & Sacramentum Cœnæ, sub vna tantum specie, à Consecratore Archiepiscopo Moguntino accepit.

Cæterum præeunte Consecratore Moguntino, Treuirensis & Colonionsis vna cum Suffraganeis seu Assistentibus assumptam in medium Maiestatem Regiam, in excitatum versus meridiem pegma siue theatrum, multis pulcherrimis & preciosissimis tapetibus vndique exornatum, & panno rubro in pauimento constratum, abduxerunt, præcedentibus eum Electoribus secularibus & Legato Brandenburgico, cum insignibus Imperii; Cantoribus vero Musica interim suauissima spectatores oblectantibus. At vero Electores Ecclesiastici Regem in solium Regium in theatro isto, loco sedis Regiæ Caroli Magni, quæ Aquisgrani est, excitatum, panno Attalico, siue aurato vndique ornatum, & tegmine preciosissimo superinductum, collocarunt, Consecratore eum ita compellante: *Sta & retine locum regii, quem non iure hæreditario, nec paterna successione, sed Principum electione in regno Alamaniæ tibi nouerit delegatum*, precatiunculamque super eo dicente, qua finita, Ambrosii Hymnum: *Te Deum laudamus, &c.* Cantores & Musici tribus iterum Choris in organis, humana voce, & tubis tympanisque alternatim decantarunt.

Finito hymno Elector Moguntinus pro se & reliquorum Electorũ nomine, Maiestati Cæsareæ gratulatus est, vniuersumq; Romanum Imperium, cum omnibus eius Electorib. Principibus & Statibus, quam optime & diligentissime ei cõmendauit. Hoc facto Consecrator cum Suffraganeis & Ecclesiasticis personis omnibus theatro descendens Chorum ingressus est, & Pontificalia vestimenta exuit.

Rex vero in solio suo permansit, adsistentibus ei Electoribus secularibus. Aderant autem Comites itemque Barones & nobiles aliqui, quorũ nomina infra annotata inueniuntur, eos Rex gladio Caroli Magni Imperatoris percussos, equites auratos creauit, traditoq; postmodũ Electori Saxoniæ gladio, ex pegmate siue theatro isto descendens, in solium suum ad Altare extructum sese contulit, eoq; facto Con-

secrator Moguntinus, itemque Treuirensis & Colonien sis habitum electoralem iterum induti, ex Choro ad Cæsarem & Electores reliquos, ad Altare eos præstolantes reuersi sunt.

Interea Ecclesiastici duo Cæsarei Aquisgranensis Capituli, amiculis candidis linteis iuduti, coram Maiestate Cæsarea comparuerunt, librum singuli manibus tenentes, quorum alter inuolucrum habebat ex holoserico, alter ex viliori materia confectum: cumque ex altero Regi aliquid prælectum fuisset, ipse librum exosculatus, iuramentum præstitit, inque Canonicum dictæ Ecclesiæ Aquisgranensis, veteri more receptus est.

Cum igitur omnia iam in templo peracta essent, porta eius aperta est, vt quilibet inde exire posset. Antequam autem templo egrederentur, pons ille, quem à curia per forum ad templum traductum diximus, panno rubro totus obductus & gramine foliisque virentibus constratus fuit. Processus autem ex templo ad curiam, in qua regale prandium celebrandum erat, tali ratione factus est. præmissis initio ministris aulicis, Consiliarii Cæsaris, Electorum & Principum, nobiles item & alii quam plurimi pedites incesserunt. Aductarunt deinde tubicines & æneatores Electorales atque Regii, alternis vicibus tubis perpetuo canentes, & tympana pulsantes. Porro Barones, Comites, Principes, qui equis antea vsi fuerant, iam pedites omnes incesserunt, succedentibus eis tribus Regis & vno Imperiali Caduceatoribus, qui baculos seu caduceos albos, vt antea, manibus præferebant. Postmodo Electores cum Cæsare itidem pedites, Treuirensis quidem primo solus, deinde Palatinus Administrator, & Legatus Brandenburgicus orbiculum imperialem, & Sceptrum gestantes, coniuncti; Tertio Saxoniæ Elector cum euaginato gladio itidē solus, incesserunt. Secutus est Rex ipsemet solus, Corona imperiali, & reliquo ornatu vetusto regio, Aquisgrano & Norimberga allato, indutus, sub cadurco seu tegmine pulcherrimo, quod supradicti Scabini & Senatores Francofurdienses gestabant. Regem comitabantur Moguntinus & Colonien sis Septemuiri coniuncti, sequentibus eos multis Ecclesiasticis, & aliis personis magno numero. Agmen tandē claudebant selopetarii quidam equites, & ante eos aliquis, qui nummos aureos, argenteosque plenis manibus, tota ista via in populū spargebat. Hinc quantus in populo tumultus exti-

terit,

tent,æstimare facile est, scloperarii certe equites ipsimet imperum furentis,& nummos expetentis populi sustinere amplius non valentes, subsistere in area publica, & cum eo, qui nummos emiserat,retrocedere coacti sunt.

Nummorum autem istorum in populum missorum duo erant genera, vtraque tam aurea, quam argentea. Alterum magnitudine quadrantem Ioachimici imperialis æquans ab vna parte, Regis laurea ornati effigiem, cum inscriptione: *Matthias II. D.G.H.B Rex,Coron.in Reg.Rom. 24 Iun* 1612. Ab altera Diadema Regium, quod Sol desuper radiis suis,Luna vero ab inferiori parte collustrabant, cũ inscriptione: *Concordi lumine maior* exhibebat Alterum paullo minus batzii magnitudine, effigie Regis destituebatur,& inscriptionem tantum; *Matthias II. D.G.H.B.Rex, Coron.in Reg.Rom.* 24 *Iun.* 1612. ab vna,Solemque & Lunam cum intermedio diademate,&adscripto Symbolo;*Concordi lumine maior* ab altera parte exhibebat.

Ad pannum autem quod attinet, qui ponti instratus erat, eum populus, denso agmine irruens, quam primum Rex præteriisset, tanto cum feruore dilectum diripuit, vt pedibus etiam posteriorum equitum eum subtrahere videretur. Cæterum dum Coronatio in templo perageretur, mensæ in palatio Curiæ, pro Rege, Electoribusq; & Principibus aliis stratæ,& magnificentissime paratæ fuerunt, excepta ea,quæ pro Electore Brandenburgico posita fuerat:ea enim holoserico rubro instrata mansit,nec quicquam ferculorum in eam,cum Elector Brandenburgicus ipsemet præsens non adesset, appositum est: idque ex Aureæ Bullæ præscripto,qua constitutum expresse est,quod vbi Elector aliquis, siue Ecclesiasticus, siue Secularis, graues ob causas electioni adesse præsens non possit,Legatum tamen cuiuscunque dignitatis mittat:is personam quidem eius sustinere debeat, ad mensam tamen Electori absenti paratam haudquaquam admittendus sit. Quod idem etiam de mensa, pro Bohemiæ Rege tanquã Electore posita, factũ est, cum rex Bohemiæ licet præsens esset,ad mensam tamen imperatoriam, in loco sublimiori,tanquam Rex & Cæsar Romanus, ex præscripto Bullæ aureæ,iam accumberet.

Postquam igitur Rex cum Electoribus, reliquoque Principum & procerum comitatu,in palatium Curiæ venisset,an-

requam mensæ accumberent, Saxoniæ Elector, vt officio suo satisfaceret, sicut erat, habitu Electorali indutus, cum Consiliariis & satellitibus suis palatio iterum descēdens, equum cōscendit, & ex curia in ingentem auenæ aceruum, quæ in area publica ante curiam ortum versus accumulata fuerat, vectus, mensuram argenteam admodum ponderosam, quam manu gestabat, auena repleuit, & radio argenteo complanatam, hæreditario Imperii Mareschallo, Maximiliano à Pappenheim, (cui ea etiam postmodum vna cum equo, cui Elector insederat, propria cessit) tradidit, & ad Curiam, multo cum tubarum, æneatorumque clangore, reuersus est, populo statim auenam istam omnem diripiente, & saxis ingerente, quin & maximam partem pedibus conculcante & per plateas hinc inde dispergente.

Post Electorem Saxoniæ, hæreditarius similiter Electoris Brandenburgici Mareschallus, equo ex curia in aream vectus, malluuium argenteum, quod cum gutturnio & mantili, in mensa prope culinam positum erat in curiam asportauit: quē tubicines & æneatores ingenti itidem cum tubarum & tympanorum sonitu cuntum & redeuntem prosecuti sunt.

Vltimo ex curia in aream equo vectus, Administrator Palatinus aduenit, & fercula quædam patinis argenteis condita, & in mensa itidem prope culinam dispositā, accepta in curiam asportauit; quem statim alii patinas plures gestantes secuti sunt, tubicinibus & æneatoribus similiter cantem redeuntemque multo tubarum clangore & tympanorum sono prosequentibus.

Simul atque autem is discessit, populus maxima frequentia in aream istā congregatus, summo in culinam impetu irruens, bouem assatum diripuerunt, culinaq; ipsa disiecta & bouem in multas dilcerptum dissectumque particulas, & veru ipsum, rotasq; & asseres cum lignis, ex quibus culina extructa fuerat, inde secum asportarunt. Interim cum officio suo tubicines & æneatores perfuncti essent, & Electores tam Ecclesiastici quam Seculares constitutioni Bullæ Aureæ satisfeciss̄ent, ad mensam quisque suam Rex & Septemuiri consederunt, ferculaq; multa & varia singulis mensis appositā sunt, ad regio plane modo cum ingenti aureorum argenteorumque poculorum & vasorum apparatu, prandium istud peragendum.

Erant

Erant autem præter has Electorum mensas, mensa in inferiori palatii istius parte oblonga, pro Principibus aliis, quorum viginti duo numerabantur, itemque in cœnaculis & conclauibus aliis plures pro Comitibus & Baronibus, vt & in peculiari cœnaculo, pro Colonienſi, Aquiſgranenſi, Nurinbergenſi & Francofurtenſi ciuitatibus; mensæ quatuor paratæ. Verum Aquiſgranenſium mensa ſtrata quidem, ſed ferculorum nihil in eam, propter inteſtina, quibus tum laborabant, diſſidia, appoſitum fuit: quemadmodum etiam auditi hoc tempore eandem ob cauſſam plane non fuerunt.

Cæterum de fonte perpetuo in area publica ante Curiam ſaliente & in formam rupis ſiue ſcopuli excauati iam parato ſupra diximus. Erant autem duæ fiſtulæ plumbeæ ex domo quadam è regione fontis ſubter terram ad fontē iſtum traductæ, vt earum beneficio, vinum album rubrumque ad fontē ex vaſis in domo iſta reconditis deriuaretur. Cum igitur Rex & Septemuiri ad menſam quiſque ſuam conſediſſent, vinum ex Aquilæ bicipitis ore, itemque ex globo & leonibus, album rubrumque largiter promanare & profluere cœpit, permiſſumque cuilibet fuit ad ſatietatem bibere. verum ab ingenti furentis quaſi plebis impetu, cum quilibet partem inde auferre, & vel vrceolis vel pileis vinum illud proſiliens excipere ſatageret, factum eſt, vt maxima vini pars in terram profuſa turpiter perierit, plebe nimirum tandem in fontem conſcendente & Aquilam ipſam cum ſerto & leonibus diſcerptam abripiente, & auferente. Ita enim ab impetu plebis promiſcue tutum tum nihil fuit, vt etiam plumbeis iſtis fiſtulis, ſubter terram diſpoſitis, quibus vinum illud ad fontem deriuabatur, minime parſum ſit, ſed ipſæ, licet plurimum adhuc vini in doliis ſupereſſet & longo adhuc tempore fluere potuiſſet, terra erutæ & abreptæ penitus fuerint, in ipſam iam Iuſtitiæ ſtatuam manus iniicientibus aliquibus: vt furori eorum occurrere neceſſe omnino fuerit

At vero prandium iſtud regale cum ad horam dimidiam ſextam productum munificentiſſime, magnificentiſſimeque fuiſſet, remotis tandem epulis, omnes ſurrexerunt, principeſque ſeptemuiri & alii Maieſtatem Regiam ex curia

descendentem ad palatium siue aulam suam, domum nempe Braunfelsiam deduxerunt.

Curauerat autem & Senatus ciuitatis Francofurtensis castellum quoddam, ingentiin medio turri, cuius fastigio aquila nigra biceps coronata supereminebat, & quatuor ad angulos minoribus aliis turribus conspicuum, eleganti artificio extrui, pyrobulisque & multo puluere tormentario expleri, vt eo accenso spectaculum Maiestati Cæsareæ reliquisque Principibus forte non ingratum exhiberet. Illud in Mœnum quidem traductum erat, vt eadem vespera accenderetur, & combureretur, verum propter incidẽtem pluuiarum tempestatem, & impedimenta alia, nec hac solenni coronationis, nec sequenti, sed Sabbathi demum die, vt suo loco dicetur, accensum fuit.

CORONATIO REGINAE ANNAE Austriacæ, &c. Matthiæ I. Rom. Regis coniugis, die Martis 16. Iunii Francofurti facta.

REginæ Coronatio postero statim Lunę die fieri debebat, verum propter incidentia forte impedimẽta ad sequentem diem Martis, 16. nempe Iunii dilata fuit. Ea igitur die æque vt præterita Solis die signum campanis maiorib. à quinta ad septimam matutinam horam, aliquoties datum est. Post auditam septimam Electores duo Ecclesiastici, Treuirensis nempe & Colonien sis, habitu Electorali induti ad templum profecti sunt, Chorumque ingressi habitu isto depositio, vestimenta Episcopalia siue Pontificalia, quemadmodum Moguntinus etiam, qui paulo tempestiuius in templum venerat, induerunt. Ponebantur autem in Altare Sceptrum, Orbiculus, Annulus & Corona, Imperii nempe insignia. & in palatio siue aula Regis, seculares Septemuiri, Principes itẽ, Comites, Barones, & alii proceres frequentes conueniebant.

Post horam octauam ad San-Bartholomæi templum tali ordine processum est. Principio Cõsiliarii, Nobiles, aliiq; Officiarii, cum multis Comitibus, Baronibus, proceribusque

que aliis pedites præcesserunt secuti sunt eos equis vecti Principes, Francofurti tum præsentes, Caduceatores item quatuor, eodem, quo tempore Coronationis regiæ ordine & habitu ornati, caduceos albos præferentes. Postmodū Electores equis itidē aduecti incesserunt, Palatinus nempe Administrator, habitu Electorali indutus, Orbiculumq; imperialē gestās ad dextrā, Legatus Brandeburgicus in medio, & Marescballus Brandenburgicus cū aureo Sceptro ad siniſtrā equitans. Hos pedes secutus, hæreditarius Imperii Marescballus à Pappenheim, vaginam gladio vacuam manibus gestauit. Successit solus equo aduectus Saxoniæ Elector, habitu Electorali indutus, gladiumque euaginatum gestans, quem solus itidem Rex, Corona & habitu Cæsario condecoratus, equo insidens, secutus est. Postmodum Regina curru preciosissimo aduecta sola incessit, Gynæceo eius, principibusque & nobilibus fœminis aliis, cum viginti & amplius curribus eam comitantibus. Postquam in Templum ventum est, Electores quidem Ecclesiastici Pontificalibus induti, ex Choro obuiam eis ad Altare processerunt, Rex vero in peculiarem quandam sedem, quæ à dextris iuxta illam, in qua tempore Coronationis sederat, concessit. At Regina in sedem precatoriam abducta est, moxque Suffraganeus Moguntinus, loco Electoris, qui male habere cœperat, ad celebrandam Missam se parauit, quæ ex Sacello Cæsario præstanti Musica ad Euangelium vsque continuata est.

Postquam Epistola & sequentia lecta essent, suffraganeus ab Altari discessit, Episcopus vero Moguntinus imposita in caput infula, acceptoque in manus Episcopali baculo ad altare processit, cumque ad Reginam facie conuersus consedisset, Rex Corona regia ornatus, Sceptrumque dextra, & Orbiculum imperialem siniſtra tenens ad Altare itidem accessit, conceptisq; verbis, coniugem vti suam in Reginam Romanorum Moguntinus coronaret, rogauit. Interea sedes Reginæ precatoria propius aliquanto ad Altare promota est. Rege igitur ad solium suum iterum concedente, Regina à Treuirensi & Colonienſi ad sedem istam precatoriam deducta est, vbi vna cum Suffraganeis adsistentibus, & Electore Moguntino Consecratore ipsomet, in genua procidit, precesque ad Deum fudit. Finitis precibus, & Litania super eam eodem, quo in Coronatione Regis modo lecta, Moguntinus

surgens eam interrogabat? numquid Romanorum Regina salutari & coronari cuperet? cumque cupere se respondisset, preces iterum habitæ sunt, & Moguntinus quidem ad populū conuersus, precatiunculam quandam pronunciauit. Postmodum Regina circa collum à Gynæcei Magistra nudata, & oleo à Consecratore in ceruice primum, & postmodum in dextro brachio, addita breui precatiuncula, inuncta est.

Hoc facto, Treuirensis eam & Colonien sis terra leuatam, in Chorū abduxerunt, duobus Suffraganeis adsistentibus, & quibusdam ex Gynæceo eius, eam comitantibus. Ibi preciosissimo regio habitu, ex panno aurato constante, & Syrmate longo admodum, quod virgines quædam nobiles gestabant, conspicuo, absterso primum oleo, induta est. cumque ex Choro iterum ad sedem precatoriam reuersa, coram Altari in genua procidisset, Electores Ecclesiastici omnes nouam Coronam ab Altari leuatam, capiti eius, additis quibusdam verbis, imposuerunt. Consecrator vero solus annulum ei induit, Sceptrumque in dextram, & globulum Imperii in sinistrā ei tradidit, quæ Imperialibus istis insignibus ornata postmodum, facta benedictione, in solium regium, in quo Rex Coronationis tempore consederat, à duobus Electoribus & Suffraganeis abducta est, vbi Treuirensis quidem Sceptrum, Colonien sis vero Orbiculum imperialem ab ea accepta, in Altare iterum deposuerunt.

Interea Consecrator ab Altari discessit, Suffraganeus vero Moguntinus Missam continuare cœpit. Sub Offertorio autem Regina à duobus Electoribus Ecclesiasticis ad Altare & Sacrificium ducta est: cumque Agnus Dei canendo finitus, & ablutio facta esset, Suffraganeo Moguntino recedente, Archiepiscopus Consecrator ad Altare iterum accessit, vbi reliqui duo Electores Ecclesiastici, Coronam capite Reginæ leuatam, præsentibus Legatis Fuldensibus tenendā tradiderunt: ipsa autem ad Altare producta, puluinaria ibi disposita remouit, inque terram flexis genibus procidens, magna humilitate & deuotione Sacramentum Cœnæ ex manu Consecratoris accepit, quo facto, Electores eam terra leuatam, in solium regium abduxerunt, & Coronam capiti eius iterum imposuerunt, quam virgines quædam ex Gynæceo eius accedentes, ne dimoueretur amplius, capiti alligarunt.

Postea

Postea Suffraganeus Moguntinus ad Altare iterum accessit, lectaq; finali precatiuncula, Sacrum absoluit. quo finito, Cantores Regii Hymnum; *Te Deum laudamus, &c.* decantare cœperunt, cantusque suauitate omnium aures, vt & per totum Coronationis actum, mirifice oblectarunt.

Interea Electores Ecclesiastici vna cum Suffraganeis adsistentibus & ministrantibus aliis, Chorū ingressi sunt, depositoque ibi vestimento Episcopali, & Electoralē iterum induti habitum, ad seculares Septemuiros, qui interea Maiestati Regiæ astabant, reuersi sunt. Templo deinde Principes & Septēuiri omnes cum Administratore Palatino & Legato Brandenburgico, Regem comitati, excesserunt, conscensisque equis, eo quo aduenerant ordine ad curiam ciuitatis prouecti sunt, Regina habitu aurato & Corona aurea exornata, sola, pretiosissimo curru incedente, & Gynæceo eius aliisq; principibus fœminis atq; virginibus, multis eam curribus insequētibus, præmissis tamen, vt in coronatione Regis factum, Electoris Saxoniæ, aliorumque Electorum & Maiestatis Regis, tubicinibus, buccinatoribus atque æneatoribus, qui alternis semper vicibus, tubis canere, donec ad curiam venirent, nunquam intermiserunt. Paratum vero in palatio curiæ prandiū iterum regium erat, & Rex quidem cum Regina soli ad mēsam vnico gradu reliquis sublimiorem, & cadurco siue tegmine inaurato, tapetibusque pretiosissimis condecoratā discumbebant. E regione autem mensæ istius, mensa oblonga alia in medio palatii, parte tamen inferiori, pro Electoribus posita erat, eiq; ad dextram Maiestatis Regiæ Moguntinus, Colonienſis & Treuirensis, ad sinistram vero Palatinus Administrator, Saxoniæ Elector & Legatus Brandenburgicus assidebant. Vtrinq; autē iuxta parietes, tapetibus, vt antea etiamnum condecoratos, & instratos, mensæ longiores pro Principibus aliis eorumque coniugibus & Gynæceo reliquo; in infima autem palatii parte mensæ insuper aliæ pro Comitibus, Baronibus reliquisq; proceribus positæ & apparatu magnifico instructæ erant. Prandium vero ipsum non secus atq; alterum illud variis ferculis dapibusq; & apparatu alio instructū atq; ad horam quintam, adhibita suauissima musica continuatum fuit. quo finito. Electores principesque & priores alii omnes Regem Reginamque ad palatium Regium, domum nempe Braunfelsiam comitati, & ad sua quisque reuersi sunt.

Cæterum in foro equario locus erat, sepimentis & carceribus vndique conclusus, in quo decursationes à Principibus, Comitibus reliquisque proceribus toto electionis & coronationis tempore frequentes factæ sunt. Maxime autem illustris decursatio habita est die Mercurii, 17. nempe Iunii, coronationem Reginæ proxime insequente, cui Rex ipsemet, cũ Administratore Palatino Electore Saxoniæ, & reliquis Principibus proceribusque fere omnibus interfuit, poculis aliisq; argenteis & magni precii vasis, victori propositis vbi Rex primo statim insultu appensum ad lineam annulum, hasta correptum abduxit.

Finita decursatione Rex & Regina cum Electoribus, Principibusq; & proceribus aliis omnibus in curiam ciuitatis profecti sunt. Erat enim ibi cœna regia parata, eaq; finita, Choreæ in Reginæ principumque fœminarum aliarum gratiam in curiæ Palatio habitæ, & magna solennitate per noctem ad horam vsque tertiam matutinam cõtinuatæ fuerunt. Die Saturni, qui 20. Iunii erat, cum continuata hactenus tẽpestas remisisset, Castello ioculari, de quo supra diximus, in Mœno paullo ante nonam vespertinam accenso, spectaculum Cæsari, qui ad Mœnum cum Regina concesserat, per vnam atq; alteram horam, multis simul pyrobolis ex aqua erumpentib. & tormentis maioribus ex vallo proximo magno cum fragore displosis condecoratum, exhibitum est.

Et hæc quidem sunt, quæ circa totum istum Electionis & Coronationis actum notatu maxime digna acciderunt, quæ omnia vt in gloriã Dei, Sacri Romani Imperii incrementum, subditorumq; Imperii omnium salutem cedant faciantq;, supremus ille Regum Rex & dominantium Dominus benigne largiatur, qui Cæsaream simul Maiestatem & coniugem eius Serenissimam constanti corporis animique valetudine, pace, tranquillitate, victoria ab hostibus, temporalique & æterna prosperitate clementissime donare beareque velit, ita voueo.

ELECTO-

ELECTORVM ET PRINCIPVM, qui vna cum Maiestate Cæsarea, prandio regali, in Palatio Curiæ Francofurtensis, post Coronationem Regis, die 14. Iunii interfuerunt,

CATALOGVS.

Iohannes Schwichardus Moguntinus
Lotharius Treuirensis } Archiepiscopi &
Ferdinandus Colonienſis } Electores.

Iohannes Comes Palatinus Rheni Bipontinus, Electoratus Palatini Tutor & Administrator.

Iohannes-Georgius, Dux Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium, &c. Elector.

Georgius Gustauus
Fridericus Elector minorennis } Comites Palatini Rheni, Duces Bauariæ, &c.
Fridericus-Casimirus
Iohannes-Casimirus

Iohannes Casimirus } Duces Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium, &c.
Iohannes-Ernestus

Ioachimus-Ernestus
Georgius-Guilhelmus } Marchiones Brandenburgenses,
Fridericus-Vlricus, Dux Brunsuicensis & Lunæburgensis.

Iohannes Fridericus
Ludouicus-Fridericus } Duces Wirtembergenses & Tecc-
Iulius Fridericus } enses, &c.

Mauritius
Ludouicus
Philippus } Landgrauii Hassiæ, Comites in Catzenelnbogen, Dietz, Zigenhain, & Nidda, &c.
Fridericus
Otho

Georgius Fridericus, Marchio Badēsis & Hochburgēsis, &c.
Christianus
Ioachimus-Ernestus } Principes Anhaltini.
Augustus Dux Luneburgensis, &c.
Albertus Dux Holsatiæ & Slesuigensis.

COMITVM, BARONVM ET NOBILIUM, qui à Regia Maiestate die Solis 14. Iunii Anno 1612. post Coronationem Francofurtii in æde San-Bartholomæi Equites aurati facti sunt, &c.

CATALOGVS.

Georgius-Fridericus Crato } Comites in Hohenhloh, Præfecti.
Fridericus, Comes Solmensis, &c Præfectus.
Philippus, Casimirus, Otho } Wildt, & Rheingrauii, &c. Præfecti.
Wolffgangus Comes Mansfeldiæ, &c. Præfectus.
Georgius Andreas ab Hoff Kirchen, Lib Baro, Præfectus.
Iohannes Christophorus à Bucheim, L. Baro, &c. Præfectus.
Iohannes Fridericus à Mœrsperg, Lib. Baro. &c. Præfectus.
Fridericus à Dieffenbach. L. Baro, &c. Præfectus.
Leonardus Collona, L. Baro à Vels, Præfectus.
Ioannes-Theodoricus à Reiffenberg, Præfectus.
Ioachimus à Schliben, Præfectus.
Pleichardus ab Helmstadt, Præfectus.
Ioannes Philippus Fuchs. Præfectus.
Ioannes-Philippus ab Hoheneck.
N. Rideſel Spitensis Præfectus in Magdeburg.

OMNIVM

OMNIVM ELECTORVM ET Principum, tam Ecclesiasticorum quam Secularium, Comitum item, Baronum, Statuum Imperii, exterorumq. Principum & Rerumpubl. Legatorum, nec non nobilium, superiorisq. & inferioris conditionis hominum, qui & Electionis, & post eam, Coronationis tempore Francofurti præsentes adfuerunt, quorumcumque nomina inuestigari potuerunt, Catalogus, & designatio.

SERENISSIMVS, POTENTISSImus & inuictissimus Princeps & Dn. Dn. Matthias, electus Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carniolæ, Wirtenbergæ, & Silesiæ, Marchio Morauiæ & Lusatiæ, Comes Tyrolis, &c.

Cum

SERENISSSIMA ET POTENTISsima Principe & Domina, Dn. Anna, Romanorum, itemque Hungariæ & Bohemiæ Regina, Archiducissa Austriæ, &c. coniuge sua optatiss. 13. Maii Anno 1612. Francofurtum ingressus est.

In comitatu eius fuerunt ;

Fridericus Comes in Furſtenberg, Regiæ Maieſt. ſecret. Conſil. & ſupremus aulæ Magiſter.

Leonardus Helfridus à Meggau L. Baro, Reg. Mai. ſecret. Conſil. & præfectus in Eilenſtat, ſupremus Cubicularius ſiue Camerarius.

Wolffgangus Sigiſmundus, Dn. in Loſenſtein & Gſehwēdi, Reg. Maie. Conſil. Camerarius, ſupremus Venatorum ſupra Emſam Magiſtri, & ſupremus aulæ Mareſchallus.

Octauius Curianus Baro, Regiæ Maieſt Conſil. & Camerarius, præfectus in Oldenburg, & ſupremus Stabulariorum Magiſter

Secret. Conſiliarii, Officia nulla ſuſtinentes.

Melchior Gleſelius Epiſcopus Viennenſis, Reg. Mai. ſecretioris Conſilii Director.

Iohannes Euſebius Khuen Baro, Reg. Mai. ſecret. Conſiliarius & Comorthæ præfectus.

Abrahamus Burggrauius à Dhona, Reg. Maieſtat. ſecret. Conſiliarius.

Legati.

Nuncius Apoſtolicus.

Legatus Hiſpanicus.

Legatus Gallicus.

Legatus Venetus.

Legatus Florentinus.

Regiæ Mai. Cubicularii ſiue Camerarii.

Georgius Andreas ab Hoffkirchen Baro, Reg. Mai. Camerarius, conſtitutus ſupremus Aulæ militaris Conſiliarius, & prouincialis Auſtriæ infra Emſam præfectus.

Rudolphus Dominus de Stubenberg Baro, Reg. Maieſt. Camerarius.

Georgius Fridericus Comes ab Hardeck, Reg. Maieſt. Camerarius.

Adamus ab Herberſtein Baro. Reg. Maieſt. Conſiliarius, Camerarius & ſupremus prouincialis Venatorum Auſtriæ infra Emſam Magiſter.

Bruno Comes à Mansfeld, Dominus in Heldrungen, Regiæ Maieſt. Camerarius, Aulæ militaris Conſiliarius & ſatellitum præfectus.

Iohannes

Iohannes Balthasarus ab Hoies Baro, Regiæ Maiestat. Camerarius & Aulæ Camer. Director.

Ferdinandus Helfridus à Meggau Baro, Reg. Maiest. Camerarius.

Alexander Rudolphus, Eques Ordinis S. Diago, Reg. Mai. Consiliarius, Camerarius & Stabul. sub Magister.

Iohannes-Christophorus à Bucheim Baro, Regiæ Maiest. Camerarius, Aulæ militaris Consiliarius, constitutus Præfectus, & supremus Armamentarii Magister.

Aluigus Comes à Furstenberg, Regiæ Mai. Camerarius.

Iohannes Georgius Dominus in Wartenberg Baro, Regiæ Mai. Camerarius.

Guilhelmus Kinski Baro Reg. Maiest. Camerarius, & supremus prouincialis Venatorũ Regni Bohemiæ Magister.

Carolus-Hannibal Burggrauius à Dhona, Reg. Mai. Camerarius.

Fridericus à Tschernhaus Baro, Regiæ Maiest. Camerarius.

Rudolphus à Teuffenbach Baro, Reg. Maiest. Consiliarius & Camerarius.

Georgius à Lauda Baro, Reg. Maiest Camerarius.

Maximilianus à Trautmansdorff Baro, Reg. Maiest. Consiliarius & Camerarius.

Fridericus à Teuffenbach Baro, Reg. Maiest. Camerarius & supremus Legatus.

Wolffgangus Comes à Mansfeld, Præfectus, Reg. Maiest. Camerarius.

Adamus à Trautmansdorff Baro, Re. Mai. Camerarius, Aulæ militaris Consiliarius, & constitutus sclopetariorum Equitum Præfectus.

Prouinciales Officiarii Regni Bohemiæ.

Adamus Iunior, Dominus de Wallenstein, Reg. Mai. Consiliarius, Camerarius & supremus Aulæ prouincialis Reg. Bohemiæ Magister.

Sdenckho-Adelbertus Poppelius Baro de Lobkovitz, Reg. Maiest. Consiliarius, & supremus Regni Bohemiæ Cancellarius.

Bertholdus Bohubuk de Leippa, Reg. Maiest Camerarius, & hæreditarius Regum Bohemiæ Marescallus.

Leonardus Collona Baro à Vels, Reg. Maiest. Consiliarius, & constitutus Præfectus.

Bohuslaus de Michalouitz, Regni Bohemiæ Vicecancellarius.

Georgius Baro à Schœnach in Carelat & Milcken, Re. Ma. Consiliarius, & Silesiæ Vicecancellarius.

Iohannes a Wartenberg, Baro, & hæreditarius Regni Bohemiæ pincerna.

Proceres à Rege peculiariter ad comitatum hunc ex Regno selecti & acciti.

Anthonius Guntherus Comes in Oldenburg & Delmenhorst.

Comes de Cantali Ducis Espernonii filius.

Georgius-Fridericus Comes ab Hohenloe, Præfectus.

Philippus Comes Solmensis, Præfectus.

Rudolphus Comes in Helffenstein.

Guilielmus Comes de Furstenberg.

Christianus } Comites in waldeck.
Wolradus }

Ioannes Guntherus, Comes in Schvvartzenburg & Hohenstein Dominus in Arnstadt.

wolffgangus Ernestus }
Theodoricus } Comites à Lœuenstein, Domini
Iohannes Casimirus } in Scharffenstein.

Raimundus Iæger, D. Consiliarius.
Iacobus Frentzel, Præfectus & Quæstor in Neuenweilnau.
Iohannes Hess. Cameræ Secretarius.
Balthasar Lôsch à Milheim.
Rudolphus Zigler. } Ministri cubicularii.
Adamus Wœlffersdorff. }

IN ILLVSTRIS ET GENEROSI Comitis & Dn. Dn. Ludouici, Comitis Nassouiæ in Sarprucken, &c. coniugis, Annæ-Mariæ Hassiacæ, &c. comitatu & Gynæceo fuerunt;

Catharina Nassouia in Sarprucken.
Ernesta Loysa. } Comitissæ Nassouiæ in Sarprucken.
Catharina à Stein, de Landscron.
Catharina à Leien, ab Eltz.
Anna Margaretha Loschin, à Mylnheim.
Maria-Magdalena ab Entzenberg.

IN

IN GENEROSI COMITIS ET DOmini, Dn. Iohannis senioris Comitis in Nassau, Catzenelenbogen, Vianden & Dietz, Domini in Beilstein, &c. comitatu & familia fuerunt;

Consiliarij & Officiarij primarij,

Georgus Comes Nassouiæ.
Iohannes-Ernestus Comes Nassouiæ.
Iohannes Comes Nassouiæ Iunior.
Philippus-Erasmus à Langenbach, Præfectus.
Iohannes-Guilhelmus à Welschen Engsten, dictus Bernkoch, supremus Legatus.
Iohannes à Lohe, Magister Equitum.
Burchardus à Waltmanshausen, Capitaneus.
Bernhardus Vogt ab Elspen.
Iohannes-Balthasarus ab Irmtraut. } Aulæ Magistri.
Hermannus à Waltmanshausen. }
Iacobus Witz Tribunus militum.
Antonius de Caligny Capitaneus.
Iohannes Gebertus Gogrefe.
Iohannes Winther.
Bertholdus Schoreius D. Consiliarius.
Philippus-Henricus Haen, D.
Iacobus Schickhardus, Consiliarius.
Iohannes La Main, signifer.
Henricus-Petri, Secretarius.
Simon Hieph. } Camerarij scribæ.
Ernestus Klenck. }
Philippus Bellerspach.
Iohannes-Leonhardus Blech. } Cancellistæ.
Arthus Feyter.

IN GENEROSI COMITIS ET DOmini, Dn. Alberti Comitis in Hanau & Rineck, Domini in Müntzenberg, &c. comitatu fuerunt;

Melchior Reinhardus à Lautern.
Engelbertus à Lautern, & alij.

IN GENEROSI COMITIS ET DOmini, Dn. Ludouici-Georgij, Comitis in Stolberg, Königstein, Rutschefort, VVernigerode & Honstein, Domini in Epstein & Müntzenberg, comitatu fuerunt;

Christophorus Comes Stolbergensis.
Iohannes-Martinus, Comes Stolbergensis.
Christophorus-Ludouicus, Comes Stolbergensis.
Botho-Vlricus, Comes Stolbergensis.
Georgius Terhellius D. Consiliarius & præfectus.
Conradus-Nicolaus à Kellenbach.
Gerhardus à Meisenbuch.

IN GENEROSI COMITIS ET DOmini, Dn. Ludouici-Georgij, Comitis Stolbergensis, &c. coniugis, Annæ-Mariæ Wilt & Rheingrauiæ, &c. comitatu & Gynæceo fuerunt;

Hedvigs, Comitissa Stolbergensis, Generosi Comitis Christophori Stolbergensis vxor.
Anna-Hedwigs, Comitissa Stolbergensis, Comitis Ludouici-Georgij Filia.
Barbara-Maria } Comitissæ Stolbergenses.
Elisabetha. }
Anna à Bornstadt.
Margaretha à Kellenbach.

IN

IN GENEROSI COMITIS ET DOmini, Dn. VVolffgangi-Ernesti, Comitis in Eisenburg & Büdingen, &c. comitatu fuerunt;

Iohannes-Guilielmus à Lautern, Consiliarius & Præfectus in Birstein.
Conradus Paul, &c. Consiliarius & Præfectus in Büdingen.
Iohannes Quad de Landscron, Consiliarius & Præfectus in Assenheim, Cleberg & Peterweil.
Iohannes Weis, Consiliarius & Præfectus Hainensis.
Casparus-Wœrnerus Aurochs in Opffershausen, aulæ Magister.
Gerhardus Pauli, Consiliarius aulicus.
Iohannes-Adolphus à Merlau, Stabul. Magister.
Erhardus Guilielmus à Salfeld, Venationum Magister.
Adamus-Vlricus à Burghausen, syluæ curator.
Theodoricus Meier D. } Consiliarij.
Guilielmus Geissel. }
Andreas Schauffel. }
Leonhardus Rucker, scriba Cameræ.

Adfuerunt præterea Francofurti

GENEROSVS COMES ET DOMInus, Dn. VVolffgangus-Henricus, Comes in Eisenburg & Büdingen, cum coniuge sua, eiusq; Gynæceo, Officiariis & ministris aliis.

GENEROSVS COMES ET DOMInus, Dn. Philippus-Ludouicus, Comes in Eisenburg, & Büdingen, vna cum quibusdam Officiariis & ministris.

GENEROSVS COMES ET DOMINUS, Dn. Iohannes-Ludouicus, Comes in Leiningen, &c. cumque eo adfuerunt:

Petrus à Flin, Magister aulicus, & Officiatij, ministrique alij.

GENEROSVS COMES ET DOMINUS, D. Guilielmus, Comes Widdanus, &c. cum Coniuge, Gynæceo, Magistro aulico, & aliis Officiariis atq; ministris.

GENEROSVS COMES ET DOMINUS, Dn. Carolus-Ludouicus, Comes Sultzensis, &c. cumq; eo fuerunt:

Iohannes Huntz, Præfectus.

Iohannes-Iacobus Beck, de & in Wilmadingen, Consiliarius.

Iohannes-Emericus Rignoult à Brosswalden, Stabul. Magister, & alij.

GENEROSVS COMES ET DOMINUS, Dn. Arnoldus-Iustus, Comes in Bentheim, Teckleburg, Steinfurt, & Limburg, Dn. in Rheda, VVevelinghoven, Alpen & Helffenstein, Baro in Lennep, Hæreditarius Præfectus in Cœlle, &c. vna cum coniuge, Gynæceo, Secretario, & aliis Officiariis atque ministris.

GENE-

GENEROSVS BARO ET DOMINUS, Dn. Maximilianus, S. Romani Imperii Mareschallus hæreditarius, Landgrauius in Stullingen, Dominus in Pappenheim, Hevven, & Greuenthal, &c. in cuius comitatu fuerunt;

Gotfridus Baro à Pappenheim.
Philippus } fratres, Comites in Leiningen.
Ludouicus }
Henricus Petri, D. Consiliarius.
Martinus Mendius, Consiliarius, & ministri alij.

Legati ciuitatis Colonienſis.

Iohannes Harderodt Consul.
Iohannes-Michael Cronenburger D. Syndicus.

Legati ciuitatis Norinbergenſis.

Wolffgangus Löffelholtz à Colberg } Senatus inferioris
Leonhardus Grundler } Consules.
Bernhardus Prætorius, Syndicus.

Legati ciuitatis Aquiſgranenſis.

Nomine Præpoſiti, Decani, & Capituli Cæſarei Aquiſgranenſis, ad San-Mariam.
Henricus Stravius Decanus.
Theodoricus à Wuſtenrad, Cantor & Vicarius.
Godefridus Schnellius, Licentiatus & Syndicus.
Henricus Duſterwaldus, Secretarius.

Legati ciuitatum Anſenticarum.

Iohannes Brambach, Præpoſitus & Syndicus Lubecenſis.
Vincentius Mullerus D. ciuitatis Bremenſis Syndicus.
Nicolaus Winecken, Senator Roſtochienſis.
Stephanus Oluenſted D. Legatus & Syndicus ciuitatis Magdeburgenſis, vna cum miniſtris eorum.

INVESTITVRA REGALIVM ELECTORALIS DIGNITATIS, nonnullorumque aliorum Dominiorum Mauritii Ducis Saxoniæ 24. Febr. Anno 1548. Augustæ facta: vbi simul & vestitus & incedendi, sedendique in publicis huiusmodi, aliisq; celebritatibus Cæsaris aut Regis Rom. & Electorum ordo describitur,

Ab

MAMERANO LVCEMBVRGO DESCRIPTA.

REVERENDISSIMO, ILLVSTRISSIMOQ; Principi Melchiori, ex nobili Zobeliorum Franconiæ familia, Episcopo Herbipolitano seu Wurzeburgo, Duci Franconiæ, Mameranus.

IN descriptione eius solennis actus Cæsaris & Electorum, in quo Mauritius Dux Saxoniæ, Electoralis dignitatis investituram suscepit, Clarissime Princeps, ordinē & incedendi, & sedendi Cæsaris aut Regis Romanorū, Principumq; Electorū, in publicis celebritatibus cum posui, qui in Aurea, quam vocant, Bulla per Carolum IV. Imperatorem, Norembergæ Anno 1356. erecta, exprimitur, & in hodiernum usq; diem firmus & inconcussus obseruatur. De Principum præterea Imperii non Electorum, reliquorumque Imperii Statuum sessione, & si inter nonnullos de eo sedendi ordine nondum adhuc satis, & ex toto conuenit, tamen vti communiter fere sedere soleant, figuram adponere, haud

haud præter propositum omnino fore duxi. Pauci autem sunt, & ex Principibus tam Ecclesiasticis, quam Secularibus, & ex reliquis Imperii ordinibus, qui inter se de hoc sedendi ordine dissentiant. Interdumq; honoris gratia sibi inuicem alii aliis deferunt: Inuenias tamen vbi pertinacius suo quis iuri, quod habere se existimat, inhæret, adeo vt potius in sessione comparere non velit, quam alteri cedere inferior. Quamobrē nolui hic valde esse anxius, omnia exquisite nimis perueſtigādi, quæ præterea forsan ex ea re adponi possent, tum ob cōtentiones: tum quod huiusmodi libelli, vt res extēporaneas, continent, ita nec perpetui sunt, nec in vsum hominum perinde vtiles aut necessarii, nisi quantum ad sedendi ordinem aliquo modo cognoscendum spectat. Et ob id superuacaneum est multum seria in eos opera collocare, vt elaboratius quid continere videantur. Quanquam si exacta omnia perueſtigari, & ad amussim poni deberent, haud sane minimum diligentiæ requirerent, quamlibet in speciem minuti adpareant, vt pene nullius momenti esse videri possint. Id quod tamen nonnulli haud ita candide considerant, quorum nimirum animus semper in calumniam, quam in rationem & sanum iudicium pronior inclinat. Qui si ipsi tale quiddam cudere deberent, & in libellum congerere, vel minoris etiam industriæ, non decima forsan pars satis sibi cohæsura esset: Non autem loquimur hic nisi de iis libellis, in quibus de rebus Principum variis, & non leuibus pertractatur, vbi diligentia & iudicium magis requiritur, temporisque in maturitatem diuturnitas. Ad quod tempus ab hominibus ociosis præ tædio, quod ex otio percipiunt, deducendum, fallendumque varia sæpe lusuum genera & exercitamenta conquiri solent: quod illis nimis prolixum adpareat, tardeque nimis & nauseanter abire horæ videantur, adeo vt eius rei prouerbium apud illos natum sit, Pro deductione temporis videlicet. Hinc fertunt illi & sæpe & diu, aut oscitanter vigilantes, ventri dediti viuunt, aliove quouis modo supine ocia terunt. Studiosis autem & qui ad res agendas nati sunt, ac ociosi nunquam esse possunt, quique vitæ præsentis ad pauculos & incertos annos datæ fragilitatem: futuræ vero æternitatem, & nunquam finiendam cum Deo aut Diabolo permanentiam considerant, contra omne tempus semper nimis angustum est, contractumque, nimis anolat omnis hora festinanter, & veluti de inopinato elabitur, vt semper de breuitate eius & angustia conqueratur, indolescantq; tam properanter effugere,

& libenter, si fieri posse arbitrarentur, ad prorogandas omnes horas, diducendasque, non deducendas, rationem conquirerent, atque malint aurum sepe, quam perdere tempus. Quicquid autem hoc minuta & leuis opera nostra est, tua, Illustrissime Princeps, celsitudini pro raro illo tuo in omnes meliorum disciplinarum studiosos fauore ac benignitate offerre non erubuimus: licet enim multo maiora pro illa, qua & Wormatiæ aliquando & hic usus es in me liberalitate, deberentur, tamen pro tempore hæc minuta offerre in gratitudinis aliquod testimonium libuit. Quæ vt pro candore illo tuo perpetuo & indesinenti, boni consulere tua celsitudo velit, & oro & obsecro. Vale Augusta Rhetica sexto Idus Aprilis M. D. XLVIII.

QVOMODO MAVRITIVS DVX Saxoniæ, Electoratus, dominiorumque nonnullorum Regalia & inuestituram susceperit. Simulq; quis ordo incedendi & sedendi in publicis huiusmodi solennitatibus, vbi Cæsar aut Rex Roman. cum Electoribus, aliisq; Principibus, & Imperij ordinibus adest, seruetur.

MAuritius Dux Saxoniæ Electoralis dignitatis Regalia & inuestituram à Carolo V. Rom. Imp. Augusto suscepit 24. Febr. à meridie inter secundam & tertiam, Anno Domini 1548. super tabulato cathedrali pro chorearum domo Augustæ sub aperto & nudo cœlo ante hospitium Cæsaris in foro vinario, luculenter & magnifice extructo.

Egressus Palatio cum Electoribus Cæsar, ipsum tabulatum conscendit, quod per medium pertransiens dictam chorearum domum ipsi tabulato & cathedræ à tergo contiguam ingressus est, habitu se in ipsa ad eam celebritatem spectante vestiturus, cum Maiestatis Imperatoriæ corona simul adsumpta. Vestituſq; inibi per Electorem Brandeburgum Archicubicularium vna cum ipsis Electoribus itidem suo habitu Electorali indutis, regressus in tabulatum, sub velamento aureo in solium tenui rubro velamine sericio super aurea velamenta, quibus sessionis locus vestitus erat, ac puluinaria instratum resedit.

De

De vestitu Cæsaris.

Habitus Cæsaris is erat, quo Pontifices Missæ sacrificium facturi indui solent: significans Romanum Imperatorem Religionis Christianæ adsertorem, promotorem & defensorem semper & vbiq; esse debere: hocq; illi in primis & ante omnia incumbere, summæque curæ & solicitudini infinitæ semper esse debere. Constat autem is habitus hoc ferme ordine de imo vsque ad summum progrediendo.

Primo, caligæ sunt, quas Brussechinas vocant, paulo supra genu ascendentes ex nobilissimo illo rubro ostrino byssо, quod Carmesinum adpellant: suntq; eis adhærentes & connexi calcei ex villosa rubra purpura, margaritis & gemmis seriatim per totum distincti & ornati.

Secundo, vestis longa & laxa, ante aperta, ex dicto ostrino byssо seu carmesino cum manicis, se versus manus adstringentibus cum parua fimbria superne & inferne ex panno coccineo seu rubro Scharlacho.

Tertio, Humerale, quod vocant, ex lino albo & tenui, cum vnionibus à tergo & adamantibus ornatum.

Quarto, Alba, quam vocant, vestimentum ex lino albo, ante & retro supra fimbriam, sed & super manicis larga quadratura ex auro & margaritis, preciosisq; lapidibus exornatum.

Quinto, cinctura alba, sericia cum nodo crasso & diuite, ad vtramque extremitatem ex punctis aureis circum extantibus, frequentique & condensata vnionum seu margaritarum rotundarum & grandium copia ornata.

Sexto, Stola ex auro tortili; flauoq; sericio filo circumuoluto phrygiata, cum cruce vtrinque ad extremitatem ex margaritis opulenta, & cum fimbriis aureis ex obiectu intextis.

Septimo, tunica prima ex tortili flauis sericiis filamentis auro phrygiata: ad fimbriæq; & manicarum largos limbos ex margaritis, auroq; bracteata: intus ostrino byssо seu carmesino subdita ante & retro clausa, ad latera vtrinq; paulum ab inferiore parte scissa & aperta.

Octauo, tunica secunda eodem modo facta, sed ex vnionum nobilium copia opulentior, cum collari ex iisdem contexto.

Nono, Manipulus ex auro textus, rubroq; byssо subditus, cum crucibus de auro & margaritis concinnatis

Decimo, Cappa choralis, quam vocant, ex puris aureis filamentis per totum texta, cum bicipiti grandi Aquila ex nigro sericio filo super intexta. Eaq; superne ad fimbriam, fimbum seu fasciam largissimã habet ex vnionũ rotundorum & grandium, Adamantum, Smaragdorum, Saphyrorum, Rubeorumque maximorum, quos Balesios vocant, diuite copia cultam. Superne à tergo capitium de cetuice inter scapulas dependulum, ex margaritis, variisq; preciosis lapillis variegatum est & distinctum cum Caroli Magni Imperatoris facie, supra quam cœlestis patris imago, item ex gemmis & lapidibus preciosis intexta eminet. quæ duæ imagines vtrinq; Calpen & Abylam, Herculis columnas habent, intra quas Oceanus strictim immissus in fretum mediterraneum late diffunditur. Ante cuius ingressum in ipso Oceano Balenæ vndoso veluti ac turbulento natatu fluctuantes, Smaragdos, Rubeosque grandes, aliosq; varios preciosos lapides veluti procelloso eructatu intento è fluctibus euomunt. In apice eius capitij ab extremo nodus ex auro impl cito textus cum filamentis infra se aureis ex vago fluxu dependulis, maximoque intermedio Saphyro dependet.

Vndecimo, Corona Cæsarea, intra cuius ambitum mitra Episcopalis bicorni acuminc ac vertice exurgit. Hæc corona ad frontem, crucem habet ex quinq; maximis & peropulentis Adamantibus designatam, intra quos margaritarum nobiliorum coneinnata series crucis figuram absoluit. Ab occipitio coronæ, duæ adpendiculæ ex auro tortili Phrygiatæ, rubraque byssо cum fimbriolis aureis dependent. Tota autem corona cum ipsa intra se mitra, ex puro puto auro est, & circumquaq; ac per totum ex preciosorum peropulentorumq; lapidum diuite copia, veluti Rubeorum maximorum, Adamantum, Smaragdorum & vnionum varie in relucentiam gratam ac delectabilem distincta & exornata. Habet præterea semicirculum recta supra mitram ambientem, instarque ansæ recurvum & vtrinque in se reflexum.

Duodecimo, Chirothecæ ex puro bracteato auro textæ, margaritisq; ornatæ, cum margaritarum vnitarum nodulis ex filamentis aureis dependulis.

De Vestitu Electorum.

Habitus Electorum vestis longa est, larga & fluxa, in pedes

des vsque demissa, vndique clausa, vt non possit nisi de iniectu superno à capite indui, cum largis item manicis ab ipsa separatis, quæ postea fasciola sub veste post tergum protracta, in ipsam coaptantur. Et est tota vna cum ipsis manicis ex preciosis illis albis pellibus Hermelinorū, quos vocant, seu murium Ponticorum subdita, cum limbo & ipsius vestis & manicatum ad palmi amplius latitudinē largo ex iisdem pellibus foras versis reducto. Huic vesti collare in orbem, ex perpetua futura & contextu continuum ex iisdem pellibus, sed pilis per totum foras versis, cum plurimis earū pellium caudis circum dependulis; de capite itidē, sicuti ipsa vestis, iniicitur, vsq; in pectus, in ceruicem & super humeros, ac supernam brachiorum partē dependulum. Ex quo fascia larga ex eiusdem vestis genere, & codē modo pellibus subdita, cum breui & stricto retortæ earundem pellium fimbriæ reflexamento, in tergum vsq; dependet. Isq; habitus secundum Electorum statum & differentiam in materiæ seu substantię contextu variat: in colore & forma atq; factura non variat. Nam Spiritualibus seu Ecclesiasticis ex precioso illo ac nobili coccineo & rubro pāno est, quem vulgo Scharlachum vocamus. Sæcularibus vero holosericus est ex byssо rubro, hoc est, villosa purpura.

Pileus, qui illis largus est, fluxusq; ex iisdem albis pellibus subditus est, cum largo quoq; in ambientem limbū reflexamento, pilos itidē earum pellium foras versos habente. Apexq; illi superne in ipso vertice ex particula earū pellium caudatus est. Eodemq; modo, quo ipsa vestis in materiæ contextu differt, in colore & forma non differt. Sed tamen thoracas, caligas, & calceos ex rubro vel byssо, vel purpura soli Seculares habent: Ecclesiastici nō habēt, sed ex nigro panno aut serico.

Quomodo processerint.

Cæsarem è Palatio prodeuntem præcesserunt, primum duo columniferi, Symboli Cæsaris, Calpen & Abylam, nimirum Herculis columnas gestantes. deinde Principes aliquot, veluti Maximilianus Archidux Austriæ: Philibertus Emanuel Princeps Pedemontium: Wilhelmus Dux Iuliacensis: Ernestus Archiepiscopus Salisburgensis: Wolffgangus Magister Teutonum: Melchior Episcopus Herbipolitanus: Mauritius Episcopus Archistetensis: Iulius Pflug Episcopus

Numburgensis: Iohannes Episcopus Misnensis: Valentinus Episcopus Hildesheimensis: Maximilianus Comes Buranus: Ioachimus Dominus à Rie Præfectus custodiæ Cæsaris: Philibertus Baro à Monfalconeto: & Dn. Iohannes Marinq. de Lara œconomi Cæsaris,&c.

Post hos ibat proximus Elector Treuerensis: nam Heraldi, quibus proximus ante Treuerensem locus est, tum non aderant. Sed cum vestitus Cæsar cum Electoribus è chorearum domo in tabulatum rediret, ac inde postea finita solennitate in aulam se referret, suo illi tum loco præibant.

Post Treuerensem proximi ibant duo Electores Seculares, Palatinus videlicet, globum mundi gestans, ac Brandeburgus sceptrum gerens. Inter quos medius locus Electori Saxoniæ ensifero est, qui tum candidatus Regalia Electoratus petebat. Deinde proxime post hos & ante Cæsarem, Marschalcus Imperij ibat, qui Cæsari ensem præferebat. Nam Rex Bohemiæ, cui proximus ante Cæsarem aut Regem Romanorum & post Marschalcum, si Archimarschalcus Elector abst, in huiusmodi solennitatibus locus debetur, non interfuit, vt qui idem quoq; & ipse Rex Romanorum sit. Marschalcum vero Cæsar cuestigio proxime sequebatur. post quem duo Electores Ecclesiastici, Moguntinus scilicet & Agrippinus proximi & postremi. Qui ordo incedendi in huiusmodi celebribus actibus ac festiuitatibus cum Cæsar aut Rex Romanorum cum solis Electoribus incedit, tali constitui figura poterit.

SINISTRA.

Vlt.	Penult.	Quint.	Quart.	Tert.	Secund.	Prim.
Colon.	Cæsar: vel, Rex Bohem.		Brandeburg Sceptrum.			
Mogunt.	Rex Romanorum.		Saxo ensem fert: Treuir: Heral: Columniferi.			
			Palat. Mundum.			

DEXTRA.

Quo ordine sederint.

A dextris proximus Cæsari sedebat Sebastianus Archiepiscopus Moguntinus Elector, Archicancellarius per Germaniam.

Deinde secundus locus Regi Bohemorum coronato & vncto, Archipocillatori absenti vacabat. Nam neque eius locum tenens Carolus semper liber à Limburg hæreditarius Sacri Romani Imperij Pincerna adfuit.

Post huius locum, Fridericus Comes Palatinus Rheni Elector, Archidapifer sedebat, cuius locum tenens est, Iacobus à Seldeneck, Sacri Romani Imperij hæreditarius culinæ Magister.

A sinistris proximus adsidebat Adolphus Archiepiscopus Colonianus Elector, Archicancellarius per Italiam.

Deinde Ioachimus Marchio Brandenburgus Elector, Archicubicularius, qui & Cæsareę aut Regię Maiestati ad mensam manus loturæ, peluim tenet & aquam fundit: cuius locum tenens est Carolus Comes in Zolnern Sacri Romani Imperij hæreditarius Camerarius seu cubicularius.

Nam medius locus inter vtrumque Mauritio Duci Saxoniæ Electori, Archimarschalco, eius dignitatis inuestituram petenti, vacabat. cuius locum tenens est, Wolffgangus à Bappenheim Sacri Romani Imperij hæreditarius Marschalcus.

E regione ante Cæsarem, rectaq; in eius vultum contrarius, sedebat solus in sede Iohannes Archiepiscopus Treuericus Elector, Archicancellarius per Galliam & Regnum Arelatense.

Arelatum oppidum in Lugdunensi Gallia ad Rhodanum fluuium inter Massiliam, quam ex Oriente habet: Mare mediterraneum, quod à Meridie: Aquas mortuas, quas ab Occasu: & Auinionem, quam à Septentrione Atq; ab hoc oppido ipsum Regnum Arelatense nomen accepit, quod olim fuit amplissimum, in septem nimirum prouincias distinctum: in Massilienſe: in eam, quę postea in Ducatus Sabaudię nomen transiit: & quæ in Delphinatum, qui tempore Caroli Quarti de Imperio per venditionem ad Regem Franciæ deuolutus est: & quæ vtriusq; Burgundiæ nomen habet: & quæ Lotharingiæ: & Heluetiæ partem: continebatq; sub se antiquis nominib⁹ populos Allobrogorum, Heduorum, Vocuntiorum,

Sequanorum & Heluetiorum, Etatq; à mari mediterraneo vsq; Treueros & Ardennæ siluam protensum. fuit autem totum hoc Regnum cum patentissimo illo suo secessu, virtute bellica, olim à Germanis occupatum, penitusq; sub ipsos redactum, vt adhuc de Iure Imperium agnoscere deberet. Mira tunc Germanorum virtus bellica pollebat, vt tanquam pro inueterato habuerint, terras & regna acquirere, & parta non amittere, sed in propagationem vlterius extendere, fortiterq; & pertinaciter vsq; tueri. Vide Stabonē lib. 4. Pomponium Melam lib. 2. Paulum Diaconum lib 3. c. 8. Ammianū Marcellinum lib 14. Ligurinum lib. 5. Procopiū in historia Francorum: Antoniū Pium in Itinerario: Suidā & Philostratū in vita φαῶνίος: Æneā Siluiū & Abbatem Spanhemiū. Huius aū sessionis, vt ad propositū reuertamur, ordo cum Cęsar aut Rex Romanorū cum solis Electoribus sedet, sic disponitur.

DEXTRA,
Palatinus
Rex Bohemiæ
Moguntinus
ANTE: Treuir: Cæsar, vel Rex Roman. RETRO
Colonianus
Saxonicus
Brandenburgus.
SINISTRA,

Reliqui Principes non Electores, qui simul in tabulatum conscenderant, omnes stabant & pene indiscriminatim.

A tergo Cæsaris supra cathedræ tabulaturam in prominente inambulacro stabant tubicines Cæsaris ac tympanistæ equestres, qui & ad egressum è Regia, ascensumque Cæsaris cum Electoribus in tabulatum, & ad circumcursitationem equitum, inflatis lituis ac tubis ebuccinabant, ac tympana equestria seu ænea pulsabant.

In foro & vtrinque ad tabulatum, duo signa peditum Germanorum consistebant. Multa præterea hominum spectatorum, & in ipso foro & in fenestris & in tectis, millia.

Quomodo res acta sit.

Et cum sic consedissent, dat tubicen, inter equites circumcursuros ante cathedram ad plateæ cuiusdam angulum consistentes, ad circumcursitandā eam Inuestituræ & Regalium cathe-

cathedram, subito inflata buccina signum: simulque ebuccinando præuolat ipse, quem cuestigio inhærens tota equitum turma in ternos & ternos ordine distincta, plenumq; in cursum effusa subsequebatur. Inter quos in sexto ternario, vexillum rubrum, quod sanguineum vocant, ab omni armorū seu insignium pictura vacuum ac purū à Christophoro à Rage-Witz ferebatur. Erantq; equites circumcurrētes numero circiter centum. inter quos Elector Palatinus Rheni ternarios ordines ex nobilitate, quatuor habuit: & Brandeburgus Elector, quinque. Nobiles autem aulæ Ducis Mauritij circiter triginta sex nigro holoserico seu byssо villosa, oēs vestiti erāt. In commune vero oēs ij equites pariter rubra vexillula cum armis Electoralis dignitatis & Saxoniæ, pileis impositа gestabant. Simili iterq; & ipsi equi, quibus insidebāt, eadē ad aures erecta cum plumis vt plurimū rubris, albisq; mixtis, & in capite & post tergū super caudę principiū aptatis gerebāt. Ad hanc aūt circumcursitationē & tubicines Cæsaris tubicinabāt, & tympāna cacabaria siue equestria tympanistę pulsabāt.

Interim Dux Mauritius Elector, ad alterius plateæ angulū è regione ante cathedrā in fine pene fori cum sua equitum turma consistebat, q̄ constabat equitibus circiter centū & viginti Erantq; ij oēs, Principes, Comites, Barones, Dñi, equites aurati ac nobiles. Inter quos Electoris Moguntini, tres ordines ternarios habuit: Treuericus, quatuor: Colonianus, quatuor: Cardinalis Tridentinus, quinque: Cardinalis Augustanus, tres: Magister ordinis domus Teutonici tres: Henricus Dux Brunsuichius quinque: Wolffgangus Comes Palatinus, tres: Etieus Dux Brunsuichius, duos: Lantgrauia, duos. Quorum omnium nomina ponerem, nisi prolixum nimis esset, & tædiosum fortassis etiam legentibus.

Et cum ter iam prima illa equitū turma ipsam cathedram circūcursitasset, pdeunt de hac postrema Ducis Mauritij turma, tres Principes, Henricus videlicet Dux Brunsuichius, qui dexter: Albertus Dux Bauariæ, qui medius: & Wolffgangus Comes Palatinus Rheni in Gemino Ponte, qui sinister ibat. Prouectiq; ad ipsam cathedrā, traditis, quibus insidebant in custodiā equis, ascenduūt tabulatū, subinde inter ascendendū geniculantes in reuerentiā. Prociduntq; simul ante Cæsarē in genua, tanq̄ missi Oratores petituri pro Duce Mauritio Electoralis dignitatis Regalia. Henricus Dux Brunsuichius verbū facit: Nimirū, *Mauritiū Ducē Saxoniæ, post aquā Sacra Ca-*

farea atq; Catholica Maiestas ipsi Electoralem dignitatem una cum nõnullis Dominiis, qua ante Iohannes Fridericus Dux Saxonia possedisset, donauerit, huncq; diẽ comparendi ad inuestiendum præstituerit, comparere illum iam, suppliciterq; petere, Cæsarea Maiestas eius dignitatis, eorumq; simul dominiorũ Regalia & inuestituram iam ipsi ex eadem benignitate & clemẽtia, elargiri velit. Ad quod erga Cæsaream Maiestatem, Sacrumque Romanum Imperium demerendum, omne & perpetuum obsequium, seruitiumq; se semper promptum & paratum offerre. Et cum ad hunc ferme modum peroraſſet, Cęſar Moguntinum alloquitur, qui ſurgens, oẽs Electores ſimul conuocat: ſtanteſq; ante Cæſarem, collatis inter ſe capitibus cõſilia coram Cæſare ſubmiſſe confetunt. Deinde vbi decretum & concluſum eſt, Moguntinus aperta voce ad rogata per Brunſuichiũ, reſpondet: Nempe *Maiestatem Cæsaream, perpensis & consideratis seruitiis, qua Dux Mauritius, eiusq; frater Dux Augustus sua Maiestati & sacro Imperio præstitissent, benigne promptam esse ac paratam, qua peterẽtur, præstare: quatenus ipsemet Dux Mauritius eadem petiturus comparoat.* Quo reſpõſo audito, mox tres illi Legati, actis nomine Ducis Mauritij Cæſareæ Maieſtati, pro tam clemente & fauorabili voluntate, humilitér & reuerenter gratiis, exurgentes de cathedra deſcendunt, equiſq; conſcenſis, ipſum Ducem Mauritium longius à tabulato in habitu Electoratus, quo de hoſpitio vſq; ſuo veſtitus aduenerat, equo inſidentem adeunt, reſpõſum datum ferentes. Quo ille tum accepto & cognito, procurrit cueſtigio cum ſua equitũ turma, q̃ tubicines ipſius duodecim, vnumque tympanũ equeſtre ſeu cacabarium, atq; vexilla rubra decem, cum Electoralis dignitatis, ſingularumq; ipſius ditionũ & dominiorũ inſignibus & armis depictis, præibant, vſq; ad ipſam cathedrã, deſcendenſq; de equo vna cum dictis primis illis tribus Principibus, qui ex legatione reuerſi iam reſponſum retulerant, nonnulliſq; aliis Ducibus, Comitibus ac Dominis, qui vexilla Electoratus & Dominiorum gerebãt, tabulatum cathedrale conſcendit, præeuntibus dictis decem vexillis. proximeque ipſum dicti tres Principes ſubſequuntur. In aſcenſu vſque ad Cæſaream Maieſtatem genibus ter in reuerentiam inclinatis. Venienti Duci Mauricio, puluinar aureum ante pedes Cęſaris collocatũ eſt Sed Mauritius primum ante illud in ſubſtratũ velamentum in genua procumbit: ſimulq; cum

ipſo

ipso à dextris Henricus Dux Brunsuichius: à sinistris Iohannes Hoier Comes à Mansfelt, nomine ducis Augusti fratris Mauritii Electoris pariter Regalia susceperturus. A tergo reliqui duo Principes, qui antevna cum ipso Brunsuichio Regalia petitum venerant, proximi procumbunt. Deinde post hos, tres equites aurati consiliarii, Christophorus à Taubenheim, Conradus à Bemmelberg, & Mauritius à Feilitzsch: tum vtrinque ad latera illi, qui vexilla tenebant, consistunt. Actum Henricus Dux Brunsuichius, eandem pene, quam supra in legatione orationem pro Duce Mauricio habuit, repetit, eadem pro ipso iam præsente rogans Qua oratione absoluta, Cæsar Moguntino, in reuerentiam adsurgenti, responsum demandat: *Respectis videlicet & consideratis Ducis Mauritii Electoris, eiusque fratris Ducis Augusti fidelibus, diligentibus & multis seruitiis suæ Maiestati, & sacro imperio exhibitis, huc motam esse suam Maiestatem vt procliuis & parata esse velit ea, quæ peterentur, clementer præstare: quatenus iuramentū solitum & consuetum, illi præstiterint.* Quæ verba Moguntinus conuocatis mox reliquis Electoribus, sic, vt iam dictum est, proponit. Tunc Dux Mauritius surgens, propius accedit, inque puluinar ante pedes Cæsaris genibus flexis procumbit. Tum Marquardus à Lapide Præpositus Moguntinus librum Euangeliorum ex purpura colligatum, Electori Moguntino porrigit, qui illum apertum in gremium Cæsaris collocat, statimq; in locum suum residens, iuramenti sacramentū ac formam ex charta Electori Mauritio prælegit: præstatq; in eius tum verba ipsi Cæsari, sacroq; Imperio Dux Mauritius consuetum iuramentum, ad eum ferme modum, sicuti in vsibus feudorum ponitur. Deinde adlatus per Wolffgangum Bappenheimium Imperii Marschalcum gladius, Cæsari in manus porrigitur: qui eius capulum ipsi Mauritio deosculandum obfert, simulque in manus, tanquam Sacri Romanii Imperii Archimarschalco, dat. Ille tum Bappenheimio Marschalco eum reddit. Capulus huius gladii cum tribus ipsius crucis nodis atq; ipso internodio totus ex puro auro est, ex preciosisq; lapidibus, veluti Rubeis, Saphyris, Smaragdis & vnionibus in distinctionem & relucentiam excultus.

Hæc vbi peracta essent, decem illa vexilla, quæ aderant, ordine à singulis, qui ea tenebant, Cæsari in manus porriguntur, initio facto ab eo, quod Electoratus insigne habebat: qui

ordine sibi porrecta, supérne manu arripit, simulq; eadem Electori Mauritio dictoq; Comiti Mansfeldio, nomine Ducis Augusti, inferne & sub sua manu arripienda, tenendaq; tradit: donans simul ipsis eorũ insignium ditiones & terras, quas ante Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ possederat. Moxque deinde iis, à quibus ea adlata & porrecta essent, reddidit. Tunc rursum Cæsari gladius per Marschalcum porrigitur, qui illum Electori Mauritio in manus tradit, quo accepto, gratiis reuerenter cum omni officii promptitudine Cæsar. Maiestati & sacro Romano Imperio actis, surgit, mediusq; inter Colonianum & Brandenburgum Electores, in locum sibi de more & iure debitum, residet.

VEXILLORVM, EORVMQVE, qui ea gestarunt, nomina.

A Dexteris.

Primum vexillum Electoratus erat, idq; gestabat Ericus Dux Brunsuichius.

Secundum Thuringiæ, quod Carolus Victor Dux Brunsuichius ferebat.

Tertium Burggrauiatus Magdenburgii, quod Iohannes Henricus Comes à Leiningem tenebat.

Quartum Comitatus Brenæ, quod Bertoldus dominus à Leipa in Cromau, Marschalcus Regni Bohemiæ, habebat.

Quintum Burggrauiatus Aldenburgii, quod Eckius Comes Salmonensis portabat.

A Sinistris.

Primum vexillum Saxoniæ erat, quod Philippus Dux Brunsuichius gerebat.

Secundum Misniæ, quod Ernestus Comes à Regenstain tenebat.

Tertium Palatinatus Saxoniæ, quod Iohannes Comes ab Ortemburg gestabat.

Quartum Dominii ad Pleisam, quod Wilhelmus Dominus à Leippa in Cromau gestabat.

Quintum vexillum rubrum, quod sanguineum vocant, sine vllis armis seu insignibus, quod Christophorus à Ragewitz, vt ante dictum est, vehebat.

Deinde

Deinde Elector Saxonicus cum in locum suum cum gladio vt Archimarschalcus iam consedisset, Austriacus Cæsaris Heraldus singula vexilla ordine à singulis capit, incipiens ab eo, quod Electoralis dignitatis insigne continebat, deinde transiens ad id, quod Saxoniæ, quod Thuringiæ, quod Missniæ, quod Burggrauiatus Magdenburgii &c. ac ea Cæsareæ Maiestati reuerēter & prone ostensa, mox de tabulato vtrinq; in vulgus promiscuū ac cirūfusum, cuiuis auferenda, deiecit.

Quibus omnibus deiectis, Cæsar vna cum Electorib. surgens, domum Chorearum, ad deponendum habitum, ingreditur Elector Saxonicus illum cum gladio, tanquam Archimarschalcus, anteit: deinde paullo post idem in vestitu Electoratus solus egreditur, tabulatoq; descendit atq; conscenso equo vna cum omnibus Principibus, Comitibus Baronibus, dominis, equitibus & nobilibus, qui ipsi in ea celebritate inseruierant, hospitium suum repetit.

Cæsar deinde cum reliquis Electoribus, depos to eius solennitatis vestitu, egreditur & ipse, præeuntibus suo illi ordine columniferis, Heraldis & Bappenheimio Imperii Marschalco cum gladio, tabulatoq; descendens, in suam se Regiam ac Palatium recepit.

DE SESSIONE ORDINVM, STATVVMQVE Imperii præsente Cæsare aut rege Romano, & absente.

QVoniam de sessione Cæsaris aut Regis Romani cum solis Electoribus in publicis celebritatibus, quando ditionum & dominiorum Regalia & Inuestituræ conceduntur, supra ordinem ac figuram posuimus, consentaneum quoque fore arbitrati sumus, si & de sessione Ordinum, Statuumque Imperii in Comitiorum consiliis, iudiciorumq; decisionibus tam præsente Cæsare aut Rege Romano vna cum Electorib. & non Electoribus Principibus, reliquisque Imperii ordinibus, quam absente, nonnulla quemadmodum communiter sedere soleant, ex variis Imperii Recessibus collecta, ad finem subiiceremus. Etsi enim certus & ex præscripto perpetuus inter omnes nō Electores Principes, præsertim sæculares sedēdi aut standi ēt ordo, nullus adhuc definitus sit (& nōnnihil adhuc de hac sedēdi ratione inter sese deliberēt atq; digladiētur)

tamen communis quidam, licet & is confusaneus interdum inter nonnullos ac promiscuus pro tempore, dum illa sub iudice lis fluctuat, reseruato suo cuiq; in hac parte iure, ordo habetur, quem ipsum hic subiicere placuit. Quamobrem nolim hunc seu iedendi, seu standi etiam, secundum loci vel opportunitatem vel inopportunitatem, ordinē alicubi communem, alicubi non communem, sed confusaneum, vt diximus, licet inter paucos quidem, cuiquam in præiudicium positum & prærogatiuam videri.

A dextris itaq; Cæsaris aut Regis Romanorum sedent,
Elector Moguntinus
Rex Bohœmiæ
Elector Palatinus
Archidux Austriæ
Archiepiscopus Salisburgensis
Archiepiscopus Bremensis
Archiepiscopus Rigensis
Archiepiscopus Bisuntinus
Magnus Magister Ordinis Teutonici, Administrator magni Magistratus Prussiæ, veluti Archiepiscopi vices subiens.
Episcopus Bambergensis. nam ille est tanquam Archiepiscopus in sua ditione, nullumque agnoscit Archiepiscopum.
Episcopus Herbipolitanus seu Würtzeburgus.
Episcopus Wormatiensis. Hi duo, excepto primo & vltimo die, in quo Herbipolitanus Wormatiano præsidere solet, per vices alter alteri præsidet.
Episcopus Spirensis
Episcopus Argentinensis
Episcopus Eystetensis
Episcopus Ratisponensis
Episcopus Constantiensis
Episcopus Augustensis
Episcopus Patauiensis
Episcopus Frisingensis
Episcopus Basilensis
Episcopus Curiensis in Heluetia
Episcopus Hildeshemensis
Episcopus Paderbornensis.
Episcopus Misnensis
Episcopus Tridentinus

Episcopus

Episcopus Brixiensis
Episcopus Mersburgensis
Episcopus Lubecensis
Episcopus Numburgensis
Episcopus Sedunensis
Episcopus Monasterienſis
Episcopus Mindensis
Episcopus Halberstatensis
Episcopus Verdensis
Episcopus Metensis
Episcopus Tullensis
Episcopus Verdunensis
Episcopus Osnabrugensis
Episcopus Leodiensis
Episcopus Curiensis in Curlandia Liuoniæ
Episcopus Reualiensis
Episcopus Oesilienſis
Episcopus Derptensis seu Atrebatensis in Liuonia
Episcopus Lebussensis
Episcopus Hauelburgensis
Episcopus Ratzenburgensis
Episcopus Schuerinensis
Episcopus Caminensis
Episcopus Secouiensis
Episcopus Gorcensis
Episcopus Gebensis
Episcopus Schlesuicensis
Episcopus Kemsensis.

PROVINCIALES SEV COMMENDATORES Ordinis Dominorum Teutonicorum.

Magister ordinis Dominorum Teutonicorum per Germaniam & Italiam.
Magister ord. Teutonicorum per Liuoniam
Magister Iohanniterum per Germaniam.

PRÆLATI SEV ABBATES, Principes Imperii.

Abbas Fuldensis, Archicancellarius Imperatricis

Abbas Campidonenſis
Abbas Murbachcenſis
Præpoſitus Weiſſenburgenſis in Alſatia
Abbas Richenauenſis ſeu maioris Augiæ
Abbas Hirsfeldenſis
Abbas Sancti Galli
Præpoſitus Berchtolſgadenſis
Præpoſitus Elwangenſis ſupra Wormatiam.
Abbas Stabulenſis.
Abbas Corbienſis.
Abbas Saluelденſis.
Abbas Werdenſis in Weſtphalia.

ABBATES SEV PRÆLATI Imperii, non Principes.

Abbas Cæſarienſis ſeu Keisheimenſis.
Abbas Echternacenſis.
Abbas Prumienſis.
Abbas Elchingenſis.
Abbas Weingardenſis.
Abbas Ochſenhuſenſis.
Abbas Marchthalenſis.
Abbas Maulbrunnenſis.
Abbas Schafhauſenſis.
Abbas ſancti Heimerani Ratiſponæ.
Abbas Weiſſenauenſis, ſeu minoris Augiæ.
Abbas Monaſterii ſancti Cornelii apud Aquiſgranum.
Abbas Salmans Weilerenſis.
Abbas Creutzlingenſis.
Abbas Walckenredenſis.
Abbas Schutternenſis.
Abbas Sancti Blaſii ad ſiluam Herciniam.
Abbas Schuſſenredenſis.
Abbas Rickershauſenſis.
Abbas Rockenburgenſis.
Abbas Hundelshauſenſis.
Abbas Reckenhauſenſis.
Abbas Conigsbrunnenſis.

Abbas

Abbas Sancti Petri in Hercinia.
Abbas Rockenhauſenſis.
Abbas Cuntzlingenſis.
Abbas Blanckenburgenſis.
Abbas Waltſachſenenſis.
Abbas Vallis Sancti Georgii &c.

COMMENDATORES PROVINciales quatuor Baliuarum Imperii, Ordinis Teutonicorum.

Commendator Baliuatus Confluentiæ.
Commendator Baliuatus in Alſatia & Burgundia.
Commendator Baliuatus Auſtriæ.
Commendator Baliuatus ad Atheſim.

PRÆLATÆ SEV ABBATISſæ, Imperii Principes.

Abbatiſſa ſuperioris Monaſterii Ratiſponæ.
Abbatiſſa Gandershemenſis.
Abbatiſſa in Gernrat.
Abbatiſſa in Quedelburg.

ABBATISSÆ IMPERII, non Principes.

Abbatiſſa inferioris Monaſterii Ratiſponenſis
Abbatiſſa Lindauenſis
Abbatiſſa Rotmonaſterii
Abbatiſſa Buchauenſis
Abbatiſſa Ebbacheenſis
Abbatiſſa Bunnenſis
Abbatiſſa Guttecellenſis
Abbatiſſa Cauffingenſis.

A Siniſtris.

Elector Treuericus
Elector Colonianus. Hi duo per vices alternis diebus ſeſſionem mutant.

Elector Saxonicus
Elector Brandenburgus.
Dux Bauariæ
Dux Brunſuicenſis & Lunenburgenſis.
Dux Iuliacenſis, Cliuenſis, & Bergenſis.
Dux Mechelburgenſis
Dux Wirtembergenſis.
Dux Sabaudiæ. Hic ob contentionem; & quod rarius comparet, ægre in ſeſſionem recipitur.
Dux Pomeraniæ
Dux Holſatiæ
Marchio Badenſis
Landgrauius Heſſiæ
Landgrauius Leuchtembergenſis
Princeps Anhaltenſis
Comes Hennenbergenſis, Imperii Princeps
Burggrauius Miſnenſis

Comites Imperii.

Comes à Naſſouia
Comes ab Oettinga
Comes ab Helffenſtein
Comes à Montfordia
Comes à Furſtemberga
Comes à Zolnern
Comes à Stolburgo
Comes ab Ortemburgo
Comes à Mansfeldia
Comes à Solmis
Comes à Salm
Comes à Sultz
Comes ab Iſemburgo
Comes à Manderſcheida
Comes ab Ebersteino
Comes à Nuenari, ſeu noua Aquila
Comes ab Hoenloch
Comes ab Hanau
Comes ab Haideck
Comes ab Honſteino
Comes ab Hag
Comes à Wirtemberga

Comes ab Armberga & Marca
Comes à Falckensteino
Comes a Conigsteino
Comes à Lupfen
Comes a Wertheim
Comes à Dengen
Comes à Leiningen
Comes ab Altemburg
Comes à Gleichen
Comes à Rhineck
Comes à Waldeck
Comes a Bitsch
Comes à Westerberg, semper liber
Comes à Steinhart & Benthaim
Comes à Schaumberga & Gennua in Westphalia
Comes à Lewenstain.
Comes à Barbei
Comes à Schuartzenburgo
Comes ab Erbach
Comes a Sayne
Comes a Zimmern.

Barones.

Baro à Limburgo, semper liber
Baro à Waltburgo
Baro à Geroseck
Baro à Ripolskirch
Baro à Gondelinga
Baro à Falckensteino
Baro à Schuarzenberg & Hoenlantzberg
Baro a Wolckensteino
Baro ab Heydeck
Baro ab Cuntzeck & Altdorf
Baro a Conigseck
Baro a Rogendorf
Baro a Tautemberga
Baro a Mörsberga & Beffort
Baro a Kriechingen in Westria
Baro a Superiore Holtzburgo
Baro ab Alendorf

Baro à Degemberga
Baro à Rifferſcheida
Baro à winnemberga
Baro à Stauf & Ernfeltz. &c.

DE SESSIONE ORDINVM STAtuumque Imperii in abſentia Cæſaris aut Regis Romanorum, in Electione Cæſaris aut Regis Romanorum & in Comitiorum actionibus aut iudiciis.

Ordinum, Statuumque Imperii cum ad vota deſcenditur, atque voces ſeu ſuffragia colliguntur, duplex ſeſſio eſt: Altera Principum Electorum ſeorſum: Altera non Electorum vna cum Prælatis, Comitibus, & Baronibus Imperii, abſentiumque legatis, itidem ſeorſum:

Electores Eccleſiaſtici vna cum Sæcularibus vnum habent conclaue in quo hoc ordine conſident.

A DEXTRIS	A SINISTRIS
Moguntinus	Treuericus
Bohemus	Colonianus per vices.
Palatinus	Saxonicus
	Brandenburgus.

DE RELIQVIS PRINCIPIbus, Statibusq; Imperii.

Reliqui Principes Imperii Eccleſiaſtici & Sæculares, vna cum Prælatis, Comitibus & Baronibus vnum item habent conclaue, in quo ſic fere ſedere ſolent.

A Dextris.

Archidux Auſtriæ receptus in ſeſſionem Eccleſiaſticorum, ob contentionem primi loci apud Sæculares, ſed ita vt vices ſedendi proponerentur inter ipſum & Archiepiſcopum Salisburgenſem:

burgensem: quas tamē honoris gratia fere semper remittunt, ipsiq; Archiduci deferunt.

Archidux Austriæ.

Archiepiscopus Salisburgensis.

Archiepiscopus Magdenburgensis seu Parthenopolitanus, qui licet Primas Germaniæ sit, & fortasse ratione Primatus, primus illi locus deberetur, tamen Archiepiscopatus Salisburgensis, cum vetustior esse memoretur, primus ipsi locus defertur.

Archiepiscopus Bremensis.

Archiepiscopus Rigensis.

Archiepiscopus Bisuntinensis.

Magnus Magister Ordinis Teutonici vt Administrator magni Magistratus Prussiæ.

Episcopus Bambergensis tanquam Archiepiscopus in sua diœceli. Ac post hunc sedent deinde singulorum Archiepiscoporum suffraganei, hoc est, subiecti Episcopi ordine, si adsunt, veluti

Moguntini

Episcopus Herbipolitanus
Episcopus Wormatiensis
Episcopus Spirensis
Episcopus Argentinensis
Episcopus Eystetensis
Episcopus Churiensis
Episcopus Werdensis
Episcopus Constantiensis.
Episcopus Augustensis
Episcopus Hildeshemensis
Episcopus Paderbornensis
Episcopus Halberstatensis.

Treuerici.

Episcopus Metensis
Episcopus Tullensis
Episcopus Verdunensis.

Agrippini.

Episcopus Monasterienſis

Episcopus Traiectensis
Episcopus Leodiensis
Episcopus Mindensis
Episcopus Osnabrugensis.

Salisburgi.

Episcopus Ratisponensis.
Episcopus Patauiensis
Episcopus Tridentinensis
Episcopus Brixiensis
Episcopus Frisingensis
Episcopus Chremensis, perpetuus Vicarius in Pontificialibus.

MAGDENBVRGI SEV Parthenopolitani.

Episcopus Mersburgensis
Episcopus Misnensis
Episcopus Numburgensis
Episcopus Brandenburgensis
Episcopus Hauelburgensis

Bremani.

Episcopus Lubecensis
Episcopus Schuerinensis
Episcopus Lebussinensis
Episcopus Schlesuicensis
Episcopus Ratzemburgensis.

Rigani.

Episcopus Reualiensis
Episcopus Curiensis
Episcopus Oeselienſis
Episcopus Derptensis.

Bisuntini.

Episcopus Basilienſis
Episcopus Lausanensis
Episcopus Gebenensis

Episcopus

Episcopus Bellicensis
Episcopus Cabilonensis ad Sonam fluuium in Burgundia.
Et hi duo postremi, non sunt Principes Imperii.

SVBIECTI MAGNO MAGISTRO Prussiæ, tanquam vicem gerenti Archiepiscopi.

Magister Ordinis Dominorum Teutonicorum per Germaniam & Italiam.
Magister Ordinum Dominorum. Teutonicorum per Liuoniam.
Magister Ordinum Dominorum Iohannitarum per Germaniam.

Post hos sedent Prælati seu Abbates & Commendatores Baliuarum Ordinum Teutonicorum & Prælatæ seu Abbatissæ, eodem ordine, quo supra positi sunt. Atque hunc postremum Ecclesiasticorum ordinem, crediderim etiam in illa superiore sessione obseruari debere, licet mihi aliter a nonnullis relatum sit.

A Sinistris.

Duces Bauariæ, qui iidem Comites Palatini.
Duces Saxoniæ
Marchiones Brandenburgenses
Duces Brunsuicenses & Lunenburgenses
Dux Iuliacensis, Cliuensis & Bergensis.
Duces Mechelburgenses
Dux Wirtembergensis.
Dux Sabaudiæ &c. sicuti in superiore ordine memorati sunt Principes sæculares vna cum Comitibus & Baronibus.

Habent autem omnes Imperii Principes tam Ecclesiastici, quam Sæculares in huiusmodi consessibus suam singuli in suo consilio vocem: præter Regem Bohemiæ, qui vocem non habet, sed si quid forte dissentionis & controuersiæ inter Electores oboriri contingat, id componit, & in quam ille partem accedit, hoc ratum, discluſa omni controuersia, habetur. Prælati vero ii, qui non sunt Principes, sed tantum Imperii Abbates, habent vna cum ipsis Imperii Abbatissis Prælatis, tantū duas voces omnes simul: quemadmodum & Comites

atque Barones Imperii, omnes tantum duas voces simul obtinent. Porro Principes postquam concluserunt, proponunt Ciuitatibus quid concluserint. Quæ consultatione super propositis & conclusis à Principibus habita, si in quo grauari sibi forte videantur, id referunt. Quod si tum moderari & componi forte per Principes nequit, ipsi offerunt Cæsari, qui vt pronunciauerit, ita ratum & firmum permanet. De qua re cum grandis sit inter Principes & Ciuitates contentio, non consultum est plura ponere Ordinem autem sedendi, quem seorsum quoque in suo conclaui Ciuitates habent, in duo diuidunt latera, dextrum nimirum & sinistrum. In dextrum Rhenanas Imperii Ciuitates collocant: In sinistrum, Sueuicas. Contendunt autem & altercantur nonnullæ etiam Ciuitates inter sese de sessionis honore. Quare nec hic ordo certus vbique & sine dissentione indubitatus haberi potest.

Latus dextrum.

Colonia.

Aquisgranum. Sunt qui putant Aquisgrano primum deberi locum, quod & antiquissima Imperij ciuitas sit, & prima Imperatoris in ipsa coronatio fiat, verum an honoris gratia, an de consuetudine nescio, Colonia fere semper ipsi præsidet.

Argentina.

Metæ seu Mediomatrices.

Wormatia.

Lubecum.

Spira.

Francofurdia.

Hagenoa

Columbaria.

Schleusingium.

Goslaria.

Northusium.

Mülhusium in Thuringia.

Dantzig.

Tremonia.

Landauia.

Basilea.

Basuntium.

Geneua.

Lausan-

Lauſanna
Tullum
Verdunum
Cameracum
Keiſersberga
Wetzlaria
Fridburgum
Weiſſemburgum ad Rhenum
Geylenhuſium
Offenburgum
Gegenbachium
Zell
Durckheimium
Buchauia
Fridberga
Rosheimium
Ehenheimium ſuperius
Monaſterium in valle ſancti Gregorii &c.

Latus Siniſtrum.

Ratiſpona
Auguſta
Nureimberga
Conſtantia
Vlma
Eſſelinga
Nortlinga
Hala Sueuorum
Rotemburgum ad Tuberim
Memminga
Campidunum
Rotwila
Reitlinga
Hailbrunna
Dinchelſpuhela
Gemunda
Weiſſemburgum in Nortgouia
Wintzem

Lindauia
Donauerda
Kaufbeura
Rauensburgum
Bibracum
Wimpina
Bopfinga
Wangena
Gienga
Lickircha
Pfullendorpium
Schueinfurdia
Vberlinga
Mulhufium in Alfatia
Buchorna
Weil
Iſny &c.

Nunquam tamen viſum eſt in vllis Imperii conuentibus, vt vel ex maiore parte omnes hi Imperii Principes (exceptis Electorib.) Status & Ordines ſic perſonaliter ſimul in vnam ſeſſionem comparuerint.

FIGVRA QVOMODO ELECTOR Moguntinus in priuata ſynodo cum ſuis ſuffraganeis ſedere ſoleat.

DEXTRVM	*Moguntinus Archiepiſcopus.*	SINISTRVM
Herbipolenſis		Wormatienſis
Eiſtetenſis		Spirenſis
Argentinenſis		Werdenſis
Churienſis		Hildeshemenſis
Paderbornenſis		Conſtantienſis
Halberſtatenſis		Auguſtenſis.

Sed Prognoſtica apud Moguntiam impreſſa alium habent ordinem, nimirum hunc qui ſequitur.

DEXTRVM	*Moguntinus*	SINISTRVM
Spirenſis		Herbipolenſis
		Eiſte-

Wormatiensis	Eistetensis
Churiensis	Werdensis
Argentinensis	Hildeshemensis
Halberstatensis	Constantiensis
Paderbornensis.	Augustensis.

Verum, vti intelligo, confusaneus hic ordo est: licet Melchior Secretarius Moguntini sæpe à me super hac re interrogatus, nihil prorsus omnino certi vel de hoc vel de isto scire se dixerit, nisi fortasse pro ea, qua est austeritate, sciens dicere noluerit. Turpius est enim Secretarium sui domini in rebus seriis ac grauibus ordinem nescire, quam scire & nolle cuiuis dicere.

EXEMPLVM STATIONIS PRINCIPVM AD FRIDERICUM III. Imperatorem apud Ratisponam in Comitiis.

Delineatio quo modo Electores & Imperij Ordines ante & iuxta Fridericum III. Imperatorem in Comitiis Ratisponensibus Anno 1471. in campo super prandium adfuerint & steterint; excerpta Spiræ ex pictura in domo cuiusdam Canonici aute Ædem Maiorem. Quam rem quidam Otho eius Ecclesiæ quondam Canonicus sic depingi super panno lineo ad parietem curauit. Estque eadem cum illa, quæ Halæ Saxonicæ in noua illa Regia eleganti pictura expressa est: nisi quod illa Halensis & locupletior est, pluresq; ex Statibus continet. & paulo ordinatior. nam in hac statione, vt campestris fuit, ita non adeo superstitiose, neque ad exactam cuiusq; iuris portionem obseruatus dignitatum ordo est; quod sibi inuicem nonnulli, alius alij honorem detulerint.

Cæsar in tentorio defixo, in Maiestatis suæ splendore residet, statque parata ante ipsum mensa, ante quam Electores Ecclesiastici iuxta se inuicem consistunt.

Moguntinus dexter: Treuericus medius: Colonianus sinister. Post horum terga tres ministri cum vexillis singulorum istorum Electorum insignium.

Post hos stat Elector Saxonicus Archimarschalcus, tenens mensuram auenaceam, à Bappenheimio hæreditario Marschalco sibi oblatam. Post quem stat minister quidam cum vexillo armorum seu insignium ipsius Electoris Saxonici. A dextra mensæ accedit Elector Brandenburgus Archicubicularius, ferens peluim argenteam, à Falckenstei no hæreditario cubiculario sibi porrectam, cum mappa nitida ad proluendas extergendasque manus. Eumque sequitur minister cum vexillo insignium eius Electoris.

A sinistra mensæ accedit Elector Palatinus Archidapifer, gestans discos aliquot argenteos ad mensam cum ferculis, porrectos sibi à Nortembergo hæreditario culinę Præfecto. Quem & ipsum sequitur minister cum vexillo armorum seu insignium Palatini.

E regione Palatini paulo infra accedit Rex Bohemiæ Archipincerna, portans Phialam cum potu à Limburgo hæreditario Pincerna sibi porrectam: quem quoq; minister cum vexillo armorum Regis Bohemiæ subsequitur.

Reliqui autem Principes hoc stant vtrinq; ad mensam ordine, cum charta supra singulorum capita, in qua singuli cuiusque nomen inscriptum est.

A DEXTRIS.

Archiepiscopus Salisburgensis.
Archiepiscopus Magdemburgensis.
Archiepiscopus Bremensis.
Episcopus Bambergensis.
Episcopus Herbipolensis.
Episcopus Eistetensis.
Episcopus Wormatiensis.
Episcopus Spirensis.
Episcopus Constantiensis.
Episcopus Argentinensis.
Episcopus Curiensis.
Episcopus Verdensis.
Episcopus Hildeshemensis.
Episcopus Walburnensis.
Episcopus Augustensis.
Episcopus Halberstatensis.

Episcopus

Episcopus Metensis.
Episcopus Tullensis.
Episcopus Traiectensis.
Episcopus Leodiensis.
Episcopus Monasterienſis. hic habet literas in manu.
Episcopus Misnensis.
Episcopus Tridentinensis.
Episcopus Patauiensis.
Episcopus Brixiensis.
Episcopus Frisingensis.
Episcopus Gaecensis.

A SINISTRIS.

Rex Poloniæ.
Rex Daniæ.
Rex Suediæ.
Rex Nortuegiæ.
Dux Bauariæ.
Dux Austriæ.
Dux Brunsuichiæ.
Dux Sabaudiæ.
Dux Lotharingiæ.
Dux Bergæ, qui habet literas in manu.
Dux Brys.
Dux Cliuiæ.
Dux Stetinæ.
Marchio Misniæ.
Marchio Morauiæ.
Marchio Badensis.

Hic stat quidam Princeps sine charta supra caput, quæ nomen contineret, in eius scuto sunt duo Leones cœrulei in flauo campo.

Dux Schueidenitz.
Dux Ligenitz.
Lantgrauius Thuringiæ.
Comes Lucemburgiæ.
Comes Wirtembergiæ.
N. Marca.
Marchio Lusatiæ.
Dux Holsatiæ.

Et hic ſtat quidam Princeps ſine charta, ſed eius ſcutum habet Rhomboides in flauo campo veluti hodie Dux Wirtembergiæ & Teck geſtat.

Dux Mechelburgiæ

Lantgrauius Leuchtembergiæ.

Atq; hic ordo Principum etſi confuſaneus videri queat, nec in ſui cuiuſque iuris obſeruationem diſtinctus, tamen ſic ibi ponitur, tanquam ita in eo conuentu conſtiterint.

ONV-

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS FRATRIS Eremitæ Augustiniani

DE COMITIIS IMPERATORIIS LIBER;

In quo præter cætera septem Imperii Electorum origo demonstrata est, atque communis, quæ adhuc obtinuit fama, refutata.

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS fratris Eremitæ Augustiniani

DE COMITIIS IMPERATORIIS LIBER.

Varia creandi Romanos Imperatores ratio demonstratur, ab Augusto Cæsare vsq; ad veteris Romani Imperii declinationem.

IMperium populi Romani à Iulio Cæsare Dictatore fundatum, atq; ab eius adoptiuo filio & hærede Augusto stabilitum, hæreditarium principio fuit. Diuus enim Augustus Tiberium Cæsarem, Tiberius Caium Caligulam, hæredes potentiæ reliquerunt. Caio cæso, ius electionis principium habuit: quæ, tribus aut quatuor Imperatoribus exceptis, Nerua, Maximo & Balbino, ac Tacito (quos ex Senatusconsulto renuntiatos fuisse constat) penes milites semper fuit. duplexque deinceps facta est succedendi ratio: aut ex militum electione, aut ex Imperatorum voluntate. omnes enim deinceps Romani principes, præter illos quatuor, vel priuati ad Imperium euecti sunt, & tunc exercituum populi Romani suffragiis præfecti fuerunt: vel ex Imperatorum superiorum voluntate designati sunt, quorum filij vel adoptiui vel naturales fuerunt, & tunc hæreditario quasi iure Imperium sunt adepti. Quæ omnia qua ratione facta fuerint, explicaturus; primo loquar de eis Imperatoribus, qui vel iure hæreditario, vel ex prædecessorum voluntate rerum potiti sunt quorum primus fuit Tiberius Cæsar. Quum enim Lepidi Antoniiq; armis, quibus nefanda illa ciuium proscriptione, patriæ libertas omnino sublata fuerat, atque in Triumuirorum potestatem Respublica deducta erat, in solum Augustum demum cessissent, ipse cunctis discordiis ciuilibus fessis, sub Principis nomine Imperium populi Romani primus accepit. Quod

quum

quum iam multis artibus stabilisset, subsidia dominationi quærens, Claudium Marcellum sororis Octauiæ filium, admodum adolescentem, pontificatu & curuli ædilitate: mox Marcum Agrippam ignobilé loco, militiæ tamen idoneum, victoriarum suarum socium, Tribunicia potestate, & geminatis consulatibus extulit. quem etiam Marcello defuncto generum sibi sumpsit. Tiberium Neronem, & Claudium Drusum, priuignos, Imperatoriis nominibus auxit. Agrippa genitos Caium & Lucium, in Cæsarum familiam induxit: nec dum posita pueili prætexta, Principes Iuuentutis appellare, destinare quoque Consules, specie recusantis flagrantissime concupierat. Vt Agrippa vita concessit, Lucium Cæsarem euntem ad Hispanienses exercitus, Caium remeantem Armenia, & vulnere inualidum, mors præpropera, vel nouercæ Liuiæ dolus abstulit: Drusoque pridem extincto, Nero solus è priuignis erat. Illuc autem, cuncta Augustus vergere: filius, conlega Imperij, consors Tribuniciæ potestatis assumitur, omneisque per exercitus ostentatur, non obscuris (vt antea) matris artibus, sed palam Nam senem Augustum deuinxerat adeo, vt nepotem vnicum Agrippam Postumum, in insulam Planasiam proiiceret; nullius flagitij compertum, sed corporis viribus stolide ferocem. Germanicum vero Druso ortum, octo apud Rhenum legionibus impositum, adscirique per adoptionem à Tiberio iussit, quanquam domi esset Tiberij filius iuuenis: sed quo pluribus firmamentis rem suam stabiliret. Sub Augusti autem exitu Tiberius in Illyricum profectus, vix dum Prouinciam ingressus fuerat, quum properis matris litteris accitur. Neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud vrbem Nolam, an exanimem repetierit. acribus namque custodiis domum & vias sepserat Liuia: lætiq; interdum nunt j vulgabantur, donec prouisis quæ tempus monebat, simul excessisse Augustum, & rerum potiri Tiberium fama tulit. Quo Romæ audito, ruere in seruitium Consules, patres, equites: quanto quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinantes, vultuq; composito, ne læti excessu principis, neu tristiori primordio, lacrimas, gaudium, questus adulatione miscebant. Sextus Pompeius, & Sextus Appuleius Consules, primi in verba Tiberij Cæsaris iurauere: apudque eos Seius Strabo, & Caius Turannius, ille Prætorianarum cohortium Præfectus, hic

annonæ. mox Senatus militesq; ac populus Romanus, &c. Hac itaque ratione Tiberius Cæsar iure hæreditario Imperium adeptus est. Huius quoq; rei Velleius Paterculis libro secundo meminit: *Mortuis* (inquit) *Caio & Lucio Cæsaribus, Tiberius Nero reuersus Rhodo, incredibili latitia patriam repleuerat. Nō est diu cunctatus Cæsar Augustus: neq; enim quarendus erat quem legeret, sed legendus qui eminebat. Itaq; quod post Lucii mortem, adhuc Caio viuo facere voluerat, atque vehementer repugnante Nerone erat inhibitus, post vtriusq; adulescentum obitum facere perseuerauit, vt & Tribunicia potestatis consortionem Neroni constitueret, multum quidem eo tum domi, tum in Senatu recusante: & eum Ælio Cato & Caio Sentio Consulibus, quinto Calendas Iulii, post vrbem conditam annis septingentis quinquaginta quatuor, adoptaret. Adoptatus eadem die etiam Marcus Agrippa, quem post mortem Agrippæ Iulia enixa erat. Sed in Neronis adoptione adiectum, his ipsis Cæsaris verbis: Hoc (inquit) Reipublica causa facio, &c.* Et paulo post: *Post obitum Augusti, vna tamen veluti luctatio ciuitatis fuit, pugnantis cum Cæsare S. P. Q. R. vt stationi paternæ succederet: illius, vt potius æqualem ciuem quam eminentem liceret agere principem. tandem magis ratione quam honore victus est: quum quicquid tuendum non suscepisset, periturum videretur, &c.* Tacitus quoque libro XVII. vbi de Galba Imperatore Pisonem adoptante agit: *Igitur* (inquit) *Galba apprehensa Pisonis manu, in hunc modum loquutus fertur: Si te priuatus lege Curiata apud Pontifices, vt moris est, adoptarem, & mihi egregium erat tunc Pompeii & M. Crassi sobolem in penates meos adscisere, & tibi insignia Sulpitiæ ac Lutatiæ domus decora nobilitati tuæ adiecisse: nunc me deorum hominumque consensu ad Imperium vocatum, præclara indoles tua, & amor patriæ impulit, vt principatum, de quo maiores nostri armis certabant, bello adeptus quiescenti offeram: exemplo Diui Augusti, qui sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiber. Neronem priuignum, in proximo sibi fastigio collocauit. Sed Augustus in domo successorem quæsiuit, ego in Republica: non quia propinquos aut socios belli non habeam, sed neq; ipse Imperium ambitione accepi, vt iudicii mei documentum sit, nō meæ tantū necessitudines quas tibi postposui, sed tuæ, &c.* Tranquillus quoq; in vita Diui Augusti, capite 101. ait:

Tesla-

Testamẽtũ L. Planco, C. Silio Coss. tertio Nonas Aprilis ante annum & quatuor menses quam decederet, factum ab eo, ac duobus codicibus partim ipsius, partim libertorum Polybii & Hilarionis manu scriptum, depositumque apud sex virgines Vestales, cum tribus signatis æque voluminibus protulerunt, quæ omnia in Senatu aperta & recitata sunt. Haredes instituit primos, Tiberium ex parte dimidia & sextante, Liviam ex parte tertia: quos & ferre nomen suum iussit. Secundos Drusum Ti. filium, ex triente, & ex partibus reliquis Germanicum, liberosque eius tres sexus virilis. Hoc igitur modo Ti. Cæsar post excessum D. Augusti populi Romani Imperium tanquam eius hæres susceperit. Qua ratione C. quoque Cæsar Caligula, Germanici Cæsaris filius, Tiberio mortuo Imperium obtinuerit, Tacitus declarat in fine lib. sexti Annalium, his verbis: *Mortuo Ti. Cæsare, multò gratantium concursu ad capienda Imperii primordia C. Cæsar egrediebatur: quum repente adfertur, redire Tiberio vocem, ac visus, vocarique qui recreandæ defectioni cibum adferrent, &c.* Et Tranquillus in Tiberio cap. LXXVI. ita scribit: *Testamentum duplex ante biennium fecerat, alterum sua, alterum liberti manu, sed eodem exemplo, obsignaueratque etiam humillimorum signis: eo testamento hæredes æquis partibus reliquit Caium ex Germanico, & Tiberium ex Druso nepotes, substituitque inuicem, &c.* Idem in Caligula cap. XIIII. *Ingresso* (inquit) *Caio vrbem, statim consensu Senatus, & inrumpentis in curiam turbæ, inrita Tiberii voluntate, qui testamento alterum nepotem suum prætextatum adhuc cohæredem ei dederat, ius arbitriumque omnium rerum illi permissum est, &c.* Hoc etiam modo Nero Imperator in Claudii defuncti locum Imperium populi Romani obtinuit, quippe quod Agrippinæ matris artibus à Claudio adoptatus fuerat, Britannicoque filio naturali prælatus. De qua adoptione ita Tacitus Historiæ Augustæ libro XII. loquitur: *C. Antistio, M. Suillio Cos. adoptio in Domitium auctoritate Palantis festinatur, qui obstrictus Agrippinæ, vt conciliator nuptiarum, & mox stupro eius inligatus, stimulabat Claudium, vt consuleret Reipublicæ, Britannici pueritiam robore circundaret. sic apud Diuum Augustum quanquam nepotibus subnixum viguisse priuignos, à Tiberio super propriam stirpem Germanicum assumptum, se quoque accingeret iuuene partem curarum capescituro. His eiusdem biennio maiorem natu Domitium fi-*

lio anteponit, habita apud senatum pratione in eundem, quem à liberto acceperat, modum. Annotabant periti, nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri: eosque ab Ap. Claudio continuos durauisse. Caterum acta principi grates exquisitiore in Domitium adulatione: rogataque lex, qua in familiam Claudiam & nomen Neronis transiret. Augetur & Agrippina cognomento Augusta. Item in fine libri duodecimi *Mortuo Claudio, tunc* (inquit) *medio diei* III *ant. Idus Octobris, foribus palatii repente deductis, comitante Burrho, Nero egreditur ad cohortem, qua more militia excubiis adesi: ibi monente Prafecto festis vocibus exceptus, inditur lectica. Illatusque castris Nero, & congruentia tempori prafatus, promisso donatiuo ad exemplum paterna largitionis, Imperator consalutatur: sententiam militum sequuta patrum consulta. Nec dubitatum est apud prouincias. Tranquillus quoque in Claudio cap.* XXX X. *Adsciturus* (inquit) *in nomen familia Neronem, quasi parum reprehenderetur, quod adulto iam filio priuignum adoptaret, identidem diuulgauit, neminem vnquam per adoptionem familia Claudia insertum.* Idem cap. XLV. *Mors eius celata est, donec circa successorem omnia ordinarentur. Itaque & quasi pro agro adhuc vota suscepta sunt, & inducti per simulationem comœdi, qui velut de siderante eo oblectarent.* Idem in Nerone cap. VII. *Vndecimo Nero ætatis anno à Claudio adoptatus est: & paulo post septem decim natus annos, vt de Claudio palam factum est, inter horam sextam septimamque processit ad excubitores, quum ob totius diei diritatem, non aliud auspicandi tempus accommodatius videretur: proque palatii gradibus Imp. consalutatus, lectica in castra, & inde raptim appellatis militibus in curiam delatus est. Discessit iam vesperi, ex immensis quibus cumulabatur honoribus, tantum patris patria nomine recusato, propter ætatem.* Eadem quoque ratione Titus & Domitianus patri suo naturali Vespasiano successores fuerunt. Itemque Neruæ Trajanus, Traiano Hadrianus, Hadriano L. Aelius Cæsar primo, mox eo mortuo Antoninus Pius, Pio M. Aurelius & L. Verus, prædecessorum omnes filii adoptiui, Marcoq. Commodus filius naturalis successerunt. Similiter Seuero filii Geta & Caracallus; Antonino Alagabalo Alexander filius adoptiuus, Valeriano seniori Gallienus & Valerianus iunior filii; Caro Carinus & Numerianus liberi; Diocletiano & Maximia-

Maximiano Constantius & Galerius adoptiui filii; Galerio Maximinus & Licinius similiter adoptiui; Constantio filius Constantinus Magnus; Constantino tres filii Constantinus & Constantius iuniores ac Constans: Constantio iuniori cõsobrinus Iulianus: Valentiniano Valens frater, & filii Gratianus, iuniorq; Valentinianus; Theodosio filii Arcadius & Honorius; Arcadio Theodosius iunior filius, Honorio vero tertius Valentinianus sororis demum suæ filius successerunt. Eadem etiam ferme ratione Diadumenus a patre Macrino, Maximus a Maximino, Gordianus Iunior a patre Gordiano seniore, Philippus Iunior a patre Philippo, Decius Iunior & Hostilius Valens a Decio patre Volusianus, a patre Gallo, Valerianus tertius & Gallienus Iunior a patre Gallieno, Herculius Maximianus a Diocletiano, Seuerus a Galerio, Gallus a Constantio. Theodosius senior a Gratiano Imperatores partim Cæsares, partim Augusti appellati sunt. Hos autem a superioribus ideo separaui, quod superiores superstites prædecessorib. suis fuerint: hi autem, Herculeo & Theodosio seniore exceptis, omnes vel cum iis qui eos Imperatores appellauerant, vel ante eorum obitum mortui sint. Hæc autem prima fuit Imperii successionis ratio, cuius forma ex iis quæ ex Tranquillo & Tacito decerpsi, satis manifesta esse potest: altera vero fuit, qua cæso, vel morte naturali sublato Imp. nouus Princeps ex S. C absq; vel ante militum suffragia creatus fuit: quæ raro admodũ vsu venit. Ex quib. Nerua primus fuit, qui occiso Domitiano, ex S. C. accedentib. etiã militum prætorianorũ suffragiis, Augustus renunciatus est, vt in eius vita prodit Dio Cassius. Lõgo quoq; post Neruam interuallo, cõtra Maximinum Thracem (qui necato Alexandro optimo Imperatore, Imperium in Germania nondũ Senator primus ex corpore militari arripuerat: occisisq; duob. Gordianis, qui Imperatores contra eum in Africa creati fuerant) Romæ ex S. C. ex concione Vettii Sabini patres Imperium duobus Senatoribus decreuere & populus Romanus sciuit. Hi fuere, D. Celius Balbinus, & M. Clodius Maximus Pupienus. Hic enim etsi homo nouus, per gradus dignitatis satis inlustris erat, & grauitate ac seueritate venerabilis: Balbinus vero nobilitate familiæ (summo namque loco natus erat) fortunisq; & clementia satis cognitus fuit: hic Cæsaris, ille Catonis morib. comparatus: hic vrbis gubernationem suscepit, illius auspi-

ciis cæsi Maximini, huius bonitate tumultus in vrbe inter ciues, & prætorianos exortus est. Tandem neque illi seueritas, neque huic clementia profuerunt: ambos milites, tanquã non à se electos, sed à Senatu datos, occiderũt, Senatorios Imperatores tollẽdos clamitantes. Interest autem scire, quo modo ex S. C. creati fuerint: quod ex Iulio Capitolino in eorum vita colligitur. ait enim: *Interemptis in Africa Gordiano seniore cum filio, quum Maximinus ad vrbem furens veniret, vt quod Gordiani Augusti appellati fuerant vendicaret: Senatus pertrepidus in ædem Concordiæ VII. Calend. Iunii concurrit, ludis Apollinaribus remedium contra furorem hominis improbissimi requirens. Quum igitur duo Consulares & eminentes quidem viri, Maximus Pupienus, & Balbinus, quorum bonitate & virtute, alter etiam seueritate clari habebantur, ingressi essent Curiam, ac præcipue timorẽ aduentu Maximini ferrent, ostenderentque, referente Consule de aliis rebus, qui primam sententiam erat dicturus, sic orsus est: Minora nos solicitant, & prope aniles res feruentissimo tempore tractamus in curia. Quid enim opus est de restitutione templorum, de basilica ornatu, de thermis Titianis, de exædificatione amphitheatri agere, quum immineat Maximinus, quem hostem mecum antea dixistis? Gordiani duo, in quibus præsidium fuerat, interempti sunt: neque in præsenti vllum sit auxilium, quo respirare possimus. Agite igitur P.C. Principes dicite. Quid moramini, ne dum singillatim pertimescitis, in timore potiusã qu in virtute opperiamini. Post hac tacentibus cunctis, quũ Maximus, qui & natu grandior erat, & meritis ac virtute & seueritate clarior, dicere sententiam cæpisset, quã ostenderet, duos principes esse faciendos, Vettius Sabinius ex familia Vlpiorum rogato Consule, vt sibi dicere atque interfari liceret, sic orsus est: Scio P.C. hanc rebus nouis ineſſe oportere constantiam, vt rapienda sint consilia, non quarenda: verbis quin etiam plurimis abstinendum sit, atque sententiis, vbi res perurgent: ceruicem suam quisque respiciat, vxorem ac liberos cogitet: auitas patriasque fortunas, quibus omnibus imminet Maximinus, natura furiosus, truculentus, immanis. Caussa vero (vt sibi videtur) satis iusta, truculentior ille quadrato agmine castris vtique positis, ad vrbem tendit: vos sedendo, atque consultando diem teritis. longa oratione opus non est, faciendus est Imperator. Imo faciendi sunt principes: vnus qui res domesticas, alter qui bellicas curet: vnus qui in vrbe resi-*

be resideat, alter qui obuiam cum exercitu latronibus pergat. Ego Principes dico, vos firmate, si placet: sin minus, meliores ostendite. Maximum igitur atque Balbinum, quorum vnus in re militari tantus est, vt nobilitatem generis splendore virtutis allexerit: alter ita clarus nobilitate est, vt & morum lenitate Reip. sit necessarius, & vita sanctimonia, quam à prima ætate in studiis semper, & in litteris tenuit. Habetis sententiam P.C. mihi fortasse periculosiorem quam vobis, sed nec vobis satis tutam, si non aut alios, aut hos principes feceritis. Post hæc acclamatum est, vno consensu: Æquum est, iustum est, sententia Sabini omnes consentimus. Maxime, & Balbine, Augusti, Dii vos seruẽt, Dii vos Principes fecerunt, Dii vos cõseruent. Vos Senatũ à latronib. vendicate, vobis bellum contra latrones mandamus. Hostis publicus Maximinus cum filio pereat. Hostem publicum vos persequimini. Felices vos iudicio Senatus. Felicem Rempublicam vestro Imperio: quod vobis Senatus detulit, fortiter agite. Quod vobis Senatus detulit, libenter accipite. His itaq; atq; aliis acclamationibus Imperatores sunt facti Maximus & Balbinus. Egressi igitur à Senatu primum Capitolium ascenderunt, acrem diuinam fecerunt. Hæc quoque omnia breuiter explicat libro VII. Historiæ temporum suorum Herodianus, Græcus scriptor, his verbis: *Postea vero quam Romæ audita est mors senioris Gordiani, ingens perturbatio S.P.Q.R. ingensque terror inuasit, extincto in quem vnum spes suas collocauerat. Neque enim illos præteribat, nemini iam parsurum Maximinum, cum sponte alienum ab ipsis atque hostili animo, tum iustis etiam causis & professo quasi odio succensentem. Itaque frequentes in vnum conuenere, ac de tõto negocio deliberantes, quando semel in periculum venerant, bellum comparare decreuerunt: duobus electis Imperatoribus qui Remp. pari potestate administrarent, ne rursus principatus auctoritas in tyrannidem proueheretur. Conuenerunt igitur non quidem in curiam, quo ante consueuerant: sed in templum Capitolini Iouis, quod in arce summa præcipua venerationis Romani habent: ibi clausis foribus, soli quasi teste & consessore atque adeo rerum omnium inspectore Deo, selectis qui ætate ac dignitate cæteros anteirent, de quibus suffragia ferrentur, duo ex omni numero Maximus atque Balbinus plurimis suffragatoribus Imperatores creati. Horum Maximus quum sæpe exercitibus præfuerat, tum præfectura vrbi egregie gesta, maximam ingenii, prouidentiaque,*

praterea vitæ continentis opinionem vulgo de se præbuerat. Balbinus autem Patricii generis homo, Consulatu iterum gesto, multisque prouinciis sine vlla querela administratis, morum simplicior habebatur. Ita creati Principes, Augustique appellati, ac S. C. omnibus Imperatoriis honoribus affecti sunt. Qua ratione vero à Senatu creatus fuerit Imp. Tacitus, docet Flauius Vopiscus Syracusius, eius vitæ scriptor, his verbis: *Interfecto serui nequissimi calliditate Imperatore Aureliano, cœptum est quari, quis fieri deberet ex omnibus princeps. Tunc odio præsentium, exercitus qui creare Imperatores raptim solebat, ad Senatum litteras misit, vt ex ordine suo Principem legerent. Verum Senatus sciens, lectos à se principes militibus non placere, rem ad milites rettulit. Dum id sæpius fit, sextus peractus est mensis. Demum* VII. *Cal. Octob. die, quum in curiam Pompilianam ordo amplissimus consedisset, Vettius Cornificius Gordianus Consul dixit: Referimus ad vos P. C. quod sæpe rettulimus: Imperator est deligendus, exercitus sine Principe recte diutius stare non potest: simul quia cogit necessitas. Nam limitem trans Rhenum Germani rupisse dicuntur, occupasse vrbes validas, nobiles, diuites, & potentes. Iam si nihil de Persicis motibus nuntiatur: cogitate tamen leues esse Syrorum mentes, vt regnare vel fœminas cupiant, potius quam nostram perpeti sanctimoniam. Quid Africam? quid Illyricum? quid Ægyptum? earumque omnium partium exercituum, quousque sine Principe credimus posse consistere? Quare agite P. C. & Principem dicite: aut accipiet eum exercitus quem delegeritis: aut si refutauerit, alterum faciet. Post hæc quum Tacitus, qui erat primæ sententiæ consularis, sententiam incertam quam vellet diceret, omnis Senatus acclamauit: Tacite Auguste Dii te seruent: Te deligimus, te principem facimus, tibi curam Reipub. orbisque mandamus. Suscipe Imperium ex Senatus auctoritate: tui loci tuæ vitæ, tuæ mentis est, quod mereris. Princeps Senatus recte Augustus creatur, prima sententia vir recte Imperator creatur. Et quis melius quam grauis imperat, & quis melius quam litteratus imperat? Quod bonum faustum salutareque sit. Diu priuatus fuisti: scis quemadmodum debeas imperare. Qui alios Principes pertulisti, scis quemadmodum debeas imperare, qui de aliis Principibus iudicasti. Acclamatum quoque est à populo: Felicissime Tacite Auguste Dii te seruent, & reliqua quæ solent dici. Inde ad exercitus profectus, ibi quoq; quum primum*

primum tribunal ascendit Mattius Gallicanus Praefectus praetorio, in haec verba disseruit: Dedit sanctissimi commilitones Senatus Principem, quem petiistis: paruit praeceptu & voluntati castrensium, ordo ille nobilissimus: plura mihi apud vos praesente Imperatore non licet loqui. Ipsum igitur qui tueri vos debet, loquentem dignanter audite. Post haec Tacitus Augustus dixit: Traianus ad Imperium senex venit: sed ille ab vno deductus est. At me sanctissimi commilitones primum vos, qui scitis principes approbare, deinde amplissimus Senatus dignum hoc nomine iudicauit. Curabo, enitar, efficiam, ne vobis desim, si non fortia facta, at saltim nobis atque Imperatore digna consilia. Post haec stipendiū & donatiuū de more promisit. Hi igitur sunt omnes Imperatores qui ex S.C. ad Imperiū euecti sunt. Qua ratione autem reliqui deinceps omnes Romani principes ab exercitibus creati fuerint, nunc est differendum. Quum Imperium populi Romani longe lateque per Europam, Asiam & Africam extenderetur, multi per diuersas orbis partes exercitus Romani erant, per legiones à Diuo Augusto distincti, qui fluuiorum ripis rem Romanam à Barbaris diuidentibus, vel extremis Imperii finibus insidentes, ditionis Romanæ limites tuebantur, ne ex solo barbarico in Romanas proximiores prouincias barbari excursiones & prædas agerent. Ex iis præcipuum robur, commune in Germanos Gallosque subsidium, legiones VIII. super Rhenum à Diuo Augusto conlocatæ sunt, in duos exercitus distinctæ: quorum vnus, qui erat quattuor legionum in Germania inferiore, alter vero totidem legionum in Germania superiore manebant, qui Germanorum in Gallias excursiones prohiberent. Tres in Hispania recens perdomita, vna in Africa quæ Garamantum, duæ in Ægypto quæ Arabum, quattuor per omnem Suriam, & super Euphratem, quæ Parthorum: tres in Pannonia, duæ in Moesia, & totidem in Dalmatia Danubii ripis insidebant, quæ eorundem Germanorum, Getarum, Dacorum, Sarmatarumque impetus coercerent. Quæ omnes suos quum ductes tum præfectos habebant: qui si vni legioni præerant, *legati legionis*: si pluribus, *legati consulares* appellabantur. Vrbis vero præsidio vrbanæ cohortes III. vigilumque totidem, quibus præfectus vrbis: & prætoriæ VIII. quibus Præfectus prætorio præerant adscriptæ. Italiam vero vtroque mari duæ classes tuebantur,

quarum altera in sinu Baiano, altera prope Rauennam locatæ erant. Proximo vero Galliæ littori rostratæ naues præsidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus, in oppidum Foroiulienſe miſerat valido cum remige. Hæc erant Romani Imperii præsidia, quum Augustus exceſſit. Quibus ſequentes principes noua ſupplementa, prout temporum ratio exigere videbatur, in dies addidere. Superius enim relatis legionibus, quas Diuum Augustum conſcripſiſſe dixi, Nero vnam, Galba duas, Domitianus duas, Traianus & Marcus ſinguli totidem, Seuerus tres, & ſequentes Imperatores pleraſque alias legiones adiunxere. Quæ omnia accurate docet Herodianus lib. 11. Hiſtoriæ Augustæ: *Hæc* (inquit) *dum agitaret, leui incertaque ſpe ſubnixus, fama iam per Pannonios Illyricoſque increbuerat, perque exercitus omnes, qui pro ripis Danubii Rhenique excubantes, cohercendis barbaris Romanum tuentur Imperium.* Item paulo poſt, de Seueri aduentu ad vrbem loquens ait: *Homines in Italia pridem ab armis belloque remotiſſimi, agros pacemque colebant. Et enim quamdiu libera ciuitas egit, atque à Senatu belli Duces eligebantur, fuere in armis Italiæ nationes: Græciſque & barbaris ſubactis, terra ſibi mariſque Imperium pepererunt. Poſtea vero quam Auguſtus rerum potitus eſt, & laborem Italis ademit, & arma detraxit, milites tantum quoſdam certis auctoramentis habuit mercenarios, qui Romanum tuerentur Imperium, tam fluuiorum magnitudine quam foſſarum, montibuſque aſperrimis deſertiſque locis circumſeptos, Imperii limites communiuit.* Hæc autem haud temere à me relata ſunt: ab iis enim exercitibus Imperatores reliqui variis deinceps temporibus creati fuerunt. Nam Claudius, Otho, Pertinax, Iulianus, tertius Gordianus, Maxentius, & alii quidam Romæ à Prætorianis: Galba autem ab Hiſpanicis, Vitellius & Maximinus à Germanicis. Albinus & Carauſius à Britannicis: Veſpaſianus, Niger, Macrinus, Alagabalus, Philippus, Probus, Diocletianus, Iouianus, & Valentinianus à Syriacis, vel Orientalibus: Seuerus Decius, Galluſque à Pannoniacis & Moeſiacis: duo Gordiani ab Africanis: Valerianus, Claudius ſecundus, Aurelianus, & Carus ab Illyricianis legionibus, & alii per diuerſas orbis Romani partes Imperatores creati fuerunt. Quod qua ratione ſinguli exercitus fecerint, reponamus. Quoties Imperatorem Romanum abſque filiis vel legitimo hærede decedere

decedere contigisset, sæpissime vsuenire solebat, vt vel Romæ statim Prætoriani Principem darent, vel duo aut tres, & aliquando quatuor, aut Senatores, aut legati consulares Imperatores renunciarentur, & Romæ à Prætorianis, & extra ab eis potissimum quibus præerant exercitibus: quibus postea inter se bello ciuili digladiantibus, ad hoc demum deuenire necesse erat, vt vel mutuo se conficerent, vel à validiore minus fortes perderentur: vnusque tantum reliquus esset, qui rerum potiretur. Primæ successionis exemplum peti potest à Claudio Imperatore, qui Caio cæso, à Prætorianis Augustus appellatus est. Cuius rei Tranquillus cap. x. in Claudio meminit his verbis: *Per hæc ac talia, maxima ætatis parte transacta, quinquagesimo anno Imperium cœpit, quantumuis mirabili casu, exclusus inter cæteros ab insidiatoribus Caii, quum quasi secretum eo desiderante turbam submouerent, in diætam cui nomen est Hermæum recesserat: neque multo post rumore cædis exterritus, prorepsit ad solarium proximū interque prætenta foribus vela se abdidit, latentem discurrens forte gregarius miles animaduersis pedibus, è studio sciscitandi quisnam esset, agnouit: extractumque, & prā metu ad genua sibi accidentem Imperatorem salutauit. hinc ad alios cōmilitones fluctuantes, nec quicquam adhuc quam frementes perduxit, ab his lectica impositus, & quia serui diffugerant vicissim succollantibus in castra delatus est: tristis ac trepidus, miserante obuia turba, quasi ad pœnam raperetur insons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctauit, aliquanto minore spe quam fiducia. Nam consules cum Senatu & cohortibus vrbanis forum Capitoliumque occupauerant, asserturi communem libertatem. accitusque & ipse per tribunos plebis in curia, ad suadenda quæ viderentur, vi se & necessitate teneri respondit. Postero vero die senatu segniore in exequendis conatibus, per tædium ac dissensionem diuersa sentientium, & multitudine, quæ circunstabat, vnum rectorem iam & nominatim exposcente, armatos pro concione iurare in nemen suum passus est: promisitque singulis quinadena, primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pigneratus.* Hæc ipsa accuratissime enarrantur à Iosepho Antiquitatum libro xx. capitibus i. ii. iii & iiii. Eadem fere ratione à prætorianis cæso Commodo Pertinax, occisisque Maximo & Balbino tertius Gordianus, Imperatores appellati sunt. De vtrisque multa Herodianus libris ii.

& VI I. Historiæ temporum suorum, & in ipsorū vitis Iulius Capitolinus, qui de Pertinace loquens: *Commodo* (inquit) *interempto, Latus præfectus prætorio, & Electus cubicularius ad eum venerunt, vt eum confirmarent: atque in castra duterent. Illic Pertinax milites allocutus est, donativum promisit, ingeri sibi Imperium à Lato & Electo dixit. Fictum est autem, quod morbo esset Commodus extinctus: quia & milites ne tentarentur pertimescebant, denique a paucis primum est Pertinax Imp. appellatus.* In Gordiano vero ait: *Post mortem duorum Gordianorum Senatus trepidus, & Maximinum vehementius timens, ex XX. viru, quos ad Remp. tuendam delegerat, Pupienus siue Maximum, & Clodium Balbinum, Augustos appellauit, ambos ex Consulibus. Tunc populus & milites Gordianū paruulum, annos agentem* XI. *alias* XIII. *vel vt alii* XVI. *petierunt vt Cæsar appellaretur: raptusque ad Senatum atque inde in concionem positus, indumento Imperatorio tectus, Cæsar appellatus est. Qui Cæsar factus, apud matrem educatus fuit. Quum autem extincti Maximinus, Maximus & Balbinus interempti essent, Gordianus adolescens, qui Cæsar creatus fuerat a militibus, & populo, & Senatu, & omnibus gentibus, ingenti amore, ingenti gaudio & gratia Augustus est appellatus.* Herodianus vero lib. II de Pertinacis imperio loquens: *Occiso Commodo Latus* (inquit) *& Electus, Marciaque, quid agendum foret diu deliberato, tandem decernunt, ita de eius morte rumores serere, quasi repente in apoplexiam incidisset: quod facile de illo creditum iri existimabant, quem constabat identidem solitum immoderatis epulis saginari. Sed ante omnia tamen visum est aliquem profectum ætate, ac modestum hominem deligere ad Imperium, per quem & ipsi incolumes forent, & omnes a sæua immoderataque tyrannide respirarent. Igitur diu consultato, neminem sic idoneum inuenerunt, vt Pertinacem. Erat autem Pertinax genere Italus, domi belliquæ rebus gestis clarus, multisque insignis trophæis, quæ aduersus Germanos atque Orientales Barbaros erexerat. Hunc igitur nocte intempesta sopitis omnibus, Latus atque Electus cum paucis eiusdem factionis adeunt: & quum tanuam occlusam offendissent, ianitorem excitauerunt. qui vbi adaperuit, militesque & electum adesse vidit, perterritus atq; expauefactus Pertinaci renunciat. is admittere eos illico iubet. Qui omni re intellecta, totum se illorum potestati permisit. Placuit igitur primo exercitum adiri, & militum*

tum tentari animos, quos tamen Latus in sententiam sum facile se adducturum polliceatur: quippe cuius aliqua, vtpote Prafecti, futura esset apud illos auctoritas. Quocirca omnes quotquot aderant, ad exercitum festinant. Quum igitur multum noctis processisset, instante Cal. Ian. die. Ad castra autem cum veniissent, ingressi Latus & Electus vna tum Pertinace sunt. ibi conuocatis militibus, oratione que a Lato habita, minime iam se cohibuit populus, qui frequens conuenerat, quin cessante adhuc & dubitabundo milite, Augustū illum declararet, patremq; appellaret, & faustis omnibus adclamationibus prosequeretur. Idem etiam milites facitabant, quanquam non pari alacritate: sed circumfusa vndique inermib. festumque agitantibus diem populi turba, facile illos adclamare, atque Pertinacem votare Augustum coegit. Mox vrati de more in illius nomen, factaq; re diuina laureati omnes populus atque exercitus prosequebantur. Item lib. VIII de Maximo arq; Balbino loquens: *Maximo* (inquit) *vrbem post cæsos Maximinos ingredienti, etiam Balbinus occurrit, Gordianum Cæsarem secum adducens. Senatus autem populusq; vniuersus latis acclamationibus veluti triumphantes exceperunt. Post id autem quum publice priuatimque, magna modestia & grauitate imperium gubernaretur, omnesque omnia bona dicerent, lataretur que populus, & gloriaretur Patriciis imperioque dignis Principibus, militum tamen vlceroſi animi populares illas acclamationes haud æquis auribus accipiebant: ipsamque illam nobilitatem grauabantur, indigne ferentes datos sibi a Senatu Principes. Quum itaque ludi Capitolini celebrarentur, deditis festo ac spectaculis omnium mentibus, repente dissimulatum diu sensum milites indicarunt. Namque ita instincti, ac vesano quodam motu vnanimiter ad regiam concurrentes, senes Principes ad necem poscebant: impetuque in aulam facto, turbatis ianuarum custodibus, senem corripiunt vtrunque: laceratisque vestibus quas gerebant, nudos ipsos ex aula abstrahunt, acper omnem ignominiam, contumeliamque cedentes, irridentesque senatorios Imperatores, barbamque & supercilia vellentes, neque vlli parcentes corporis totius ludibrio, per mediam vrbem ad castra deducebant, ne occidere quidem illos in regia decreti, sed lento mortis genere prius excarnificare, quo dolorem diutius perpeterentur. Sed vbi Germanos re cognita raptis armis in auxilium concurrere nunciatum Prætorianis est, statim illos nullo non*

ludibrio prius affectos contrucidant: relictisq; in via cadaueribus, tollentes in altum manibus, Gordianum Cæsarem, quando aliud nihil occurrit, Imperatorem consalutabant, identidem ad populum vociferantes, iacere ipsorum manu quos populus ab initio recusauerat, electumque Gordianum Gordiani nepotem, quem ipse Romanus populus ad Imperium compulisset. Hunc igitur secum deducentes coiere in castra, clausisque portis quietem agitabant. at Germani, vbi occisos proiectosque audierunt, quorum causa properauerant, quum nollent inritum bellum pro viris vita functis suscipere, in sua diuersoria reuertuntur. Hunc finem vita habuerunt, indignum videlicet ac nefarium, sancti ac venerabiles senes, claritudine generis atque egregiis meritis ad Imperii fastigium profecti. Caterum Gordianus quum annorum esset ferme XIII. *princeps ab vniuersis declaratus, Romanum suscepit Imperium.* Ex Imperatoribus autem, qui à variis exercitibus, per diuersas populi Romani prouincias eodem tempore creati sunt, exemplum haberi potest, de Galba qui in Hispania, Vitellio qui in Germania, Othone qui Romæ à prætorianis, & Vespasiano qui in Iudæa, Syria, à legionibus quibus præerant, Nerone occiso, intra vnius anni spacium Imperatores renuntiati sunt. Ex quibus Galbam Otho Othonem Vitellius, Vitellium Vespasianus acerrimis ciuilibus bellis confecerunt, solusque rerum Vespasianus potitus est: quæ omnia accuratissime explicantur à Tacito, Historiæ Augustæ quinque posterioribus (qui extant) libris. Tranquillus quoque breuissime principio vitæ Vespasiani his verbis comprehendit: *Rebellione trium principum & cæde, incertum diu, & quasi vagum Imperium suscepit firmauitque tandem gens Flauia.* Idem fere accidit cæso Pertinace Imperatore, quando Iulianus Romæ à prætorianis, Pescennius Nigerius in Oriente a legionibus Syriacis, Seuerus in Pannonia ab Illyricianis, & Albinus in Britanniis ab iis quibus præerant exercitibus Augusti eodem fere tempore appellati sunt quum tres ex iis essent consulares earum prouinciarum, & exercituum legati. Quos omnes Seuerus bello ciuili victos interfecit, solusque rerum annos XVIII. potitus est. quæ diligentissime enarrantur ab Herodiano libro III. Historiæ Augustæ, Aelio Spartiano, & Iulio Capitolino in horum quatuor Principum vitis. Eadem ratione militum suffragiis, Alagabalus contra Macrinũ in Suria, Maximinus cõtra Alexandrum

xandrum in Germania, duo Gordiani contra Maximinum in Africa, Philippus contra Gordianum in Oriente, Decius contra Philippum in Moesia, Æmilianus contra Gallum & Volusianum in Illyrico, Valerianus contra Aemelianum in Alpibus ab exercitibus Illyricianis: triginta tyranni per varias orbis Romani prouincias, à diuersis legionibus, contra Gallienum: item Aurelianus contra Quintillum in Illyrico, contra Florianum Probus in Oriente, contra Carinum Diocletianus in Syria, postremo contra Constantinum Maxentius Romæ a prætorianis, Imperatores renuntiati sunt. Qui vel bellis ciuilibus susceptis, vel tumultu militari cõcitato, eos principes, contra quos Imperium arripuerant, occiderunt. Diuersa autem ratio fuit in eorum Principum creatione, qui ab iis exercitibus Augusti renuntiati fuerunt. Nam ante Constantini tempora, quum per omnem Romanum orbem diuisæ essent Romanæ legiones, quum Imperator a militibus legendus esset, dux siue legatus consularis eius exercitus qui Imperatorem facere decreuerat, cæteris præferebatur: vt fuere Galba, Vitellius, Vespasianus, Seuerus, Niger, Albinus, & plerique alii, qui ex legatis consularibus earum legionum, á quibus Augusti salutati fuerant, ad Imperium euecti sunt. Porro autem, quum Imperator Romæ a prætorianis creandus esset (quod quinquies vel sexies tantum quod sciam, accidit) certa ratio tradi non potest, cur vnus cæteris prælatus fuerit: sed alii aliis causis præpositi: & si ea militum colluuies hoc vnum præ cæteris semper intendisset, vt eum potissimum Imperatorem renuntiarent, qui majus eis donatiuum elargiri posset, nulla nec dignitatum, nec ætatum ratione habita. Claudius enim, qui primus a prætorianis ad Imperium euectus est, cæteris ideo prælatus, quod tum cum legendus esset Imperator, ipse vnus potissimum occurrit qui ex gente & familia Imperatoria esset. nefas enim milites tunc existimarunt, alienum ab eâ gente Augustum creare, quæ Imperiũ ipsum orbi Romano intulerat: tum etiã, quod rigidam & seuerã timebant Senatus potestatem, ad quem ius Imperii, nisi nouum principem facere maturassent, deuenire facile poterat. Qui occiso Caio, adeo constans in asserenda libertate fuit, vt non amplius in Basilicam Iuliam, vt moris erat, sed in Capitolium congregatus sit. Militibus enim vniuersis gratior semper fuit vnius principis arbitrio, quam ex

Senatus auctoritate regi. Otho vero cæteris senatoribus, occiso Galba à prætorianis, potissimum præpositus est, quod eius conspiratione Galba ipse cæsus esset, cuius intempestiua seueritate, & immani auaritia quam maxime offensi fuerant, simulque quod maximum eis pollicebatur donatiuum. Postremo quod, quum Imperator creandus esset, ne Germaniciano exercitu, qui Vitellium paulo ante principem legerat, inferiores esse viderentur, nemo eius esset competitor qui sibi Imperium procuraret: præsertim quum eum exercitum, qui primus Imperatorem appellasset, maiore donatiuo honorari mos esset. Cæso autem Commodo, Pertinax præfecti prætorio potius astu, quam prætorianorum militum votis, Augustus renunciatus est: quem etiam non longe post, quum eius mores & sanctimoniam non probarent, impie interfecerunt. Quo neci dato, Didius Iulianus suo competitori Sulpiciano præpositus est, tum quod maiorem pecuniæ summam ipsis polliceretur, tum etiam quod Sulpicianum suspectum haberent, tanquam Pertinacis occisi generum. ne si Imperium adeptus esset socceri, necem vlciscereturur. Gordianum quoque puerum, in odium Balbini & Pupieni principum à Senatu creatorum, quos etiam ipsi ob eam potissimum causam occiderant, Imperatorem acclamauerunt, quum & nepos esset Imperatorum, & diu ante ex S. C. Cæsar appellatus esset: nullusq; eo aptior eo tumultu occurrisset, in quo matura & propera electione opus erat. Maxentius Herculii filius nouissimus omnium Romæ a prætorianis, contra Constantinum Magnum, Augustus acclamatus fuit: quum quod eos ingenti sibi donatiui spe conciliasset, tum etiam vt haberent nobilissimum Principem, & fortissimi Imperatoris filium, quem Constantino opponerent in Gallijs, & non ab se iam Augustum vocitatum. bella enim ciuilia eorum commodis semper cedere videbantur: quod secus atque interpretabantur euenit. Ea namque præcipua causa fuit, vt victo & occiso Maxentio, vrbeque ipsa in Constantini potestatem redacta, castrum ipsum prætorium, omnibus prætorianis cohortibus, quæ tot ante Imperatoribus negocium fecerant, in perpetuum exauctoratis atque dimissis, penitus exscinderetur. Quæ ab Augusto ad principum tutelam in vrbe institutæ, mox vagantes per vrbem, & sine certa sede palantes, à Tiberio Cæsare, Seiani præfecti prætorio consilio, castro

castro in extremis vrbis partibus, inter portas Tiburtinam & Nomentanam prope viuarium extructo, in vnum congregatæ fuerant. Hicque fuit tam castri prætorii, quam prætorianorum militum exitus. Alia quoque ratione milites siue exercitus Imperatorem aliquando crearunt, à superioribus diuersa, quæ tam ante quam post Constantini imperium in vsu fuit. Ea autem erat: Si quum plurium Romani Imperii limitum legiones Imperatorum iussu, vel ad bellum vel ob alias causas in vnum coiissent, atque ex variis legionibus exercitus vnus congregatus, vel de nouo conscriptus esset, Imperatorem eo potissimum tempore vel occidi, vel sine hærede legitimo mori contigisset: vt eo tempore, quo Caracallus, Decius, Gallienus, Iulianus, Iouianus, & plerique alii cecidere. Quo casu in noua principis lectione hoc seruari solitum fuit, vt is, in quem plurium ducum, præfectorum vel legatorum consularium, legionum, tribunorum & centurionũ suffragia conuenissent, Imperator designaretur. Perinde ac occiso Caracallo accidit Macrino, qui ex præfecto prætorio Augustus in eius locum, ab iis potissimum quos supra nominaui profectus est. Ita cæso Alexandro Maximinus ex tribuno, Imperio abrogato Gordiano tertio, Philippus ex præfecto prætorio, mortuo Decio, Volusianus ex duce limitis Moesiaci, occiso Gallieno, Claudius trucidato Quintillo, Aurelianus necato Floriano, Probus ex legato consulari, occiso Probo, Carus ex præfecto prætorio, occiso Numeriano, Diocletianus ex præpositio domesticorum, sublato Iuliano, Iouianus ex tribuno militum, & eo breui mortuo Valentinianus Agens scholam secundam Scutariorum, successere. Quæ electionis forma, tam Romæ in Occidente, quam Constantinopoli in Oriente, obseruata fuit. Omnes enim deinceps Imperatores vel militum suffragiis, vel ex successione siue hæreditario iure, siue ex Imperatorum prædecessorum voluntate renunciati fuerunt. In Occidente quidem vsque ad Augustulum, in Oriente vero vsque ad Constãtinũ Eirenes. Post cuius tempora Constantinopoli aliquando variata est succedendi ratio. mulieres enim quatuor diuersis temporibus rerum in Oriente potitę sunt: ex quarum auctoritate, Imperatores quoq; aliquot cõstituti. Antiquitus vero nullum Imperatorem fieri mos erat, qui Senator nõ fuisset. Primus autẽ ex corpore militari nondũ Senator Augustulus in Germania appellatus fuit

Maximinus Thrax: quod an ante Constantinū: terū accide-rit, nunquam memini me legisse. Qualis autem fuerit ea militum electio, quibusque artibus ac conditionibus duces populi Romani ad imperium prouehebantur, elegantissime explicatur ab Erasmo in præfatione, quam in Tranquillum editam ad duces Saxoniæ Fridericum & Georgium misit: cuius partem quod ad hoc opus maximē inlustrandum commoda sit, subnicere placuit. *Sed multo magis* (inquit) *ad rem pertinet, in his contemplari nomen illud Imperii, quod & olim sacrosanctum Augustumque fuit, & nunc etiamnum multorum affectibus religiosum ac venerabile est: quum nihil fere supersit præter inanem magni nominis vmbram; quam fœdis initiis in mundum inrepserit: primum in Iulio scelerate, mox in Octauio, Antonioque & Lepido sceleratius. Quid non potest fortuna libido in rebus humanis? potestas ea quam postea Diis æquauit hominum consensus, impietate, cædibus, parricidiis, incestis, tyrannide condita consecrataque fuit. His felicibus auspiciis cœpit illa regibus adorata maiestas, ac sceleratius fere propagata fuit quam nata. Fœda barbarorum militum colluuies non suffragiis, sed insanis tumultibus dominum orbi dabat. Non alta succedendi lex, nisi mactato superiore. His auibus auspicabatur Imperium: quod nihilo secius tamen interim emendum erat, quanticunque inexplebili militum auaritiæ libuisset. Nec satis erat, in vnum sæuire caput: ad liberos, ad affines, ad amicos omnes crudelissima laniena proferebatur, ac sæpenumero reciprocantibus (vt fit) vindicta vicibus. Quos viros, quas matronas effera immanitas indigna laniabat? Sæpe pluribus hinc & hinc imperium ad se trahentibus, miscebantur omnia. Ita semper ad nouum Imperii successorem totus terrarum orbis concutiebatur; summa rerum in manibus erat, non Senatus, non populi Romani; sed mercenarii facinorosique militis: nec aliter, neque diutius imperare licuit, quam illis belluis collibuisset: qui nec bonos nec malos principes diu ferre poterant. alius parcior erat, alius profusior, alius eruditior quam vellent, alius matri obsequentior, alius militaris disciplinæ tenacior, alius imbellis, alius immodice bellator, alius in Senatum propensior, alii cognomen obstabat militi parum gratiosum, alii affinitas. Qualibet leuis caussa satis erat ad iugulandum orbis Principem, denique vt nihil erat caussæ, expediebat illis subinde mutare Principem. Insatiabilis habendi fames ad res nouandas incita-*

inuitabat. Trucidabatur vt inutilis, quem iam exsuxerant: acterfebatur alius, qui exhauriretur, mox & ipse trucidandus. Atque hisce rebus factum est, vt nonnullorum Imperium paucis modo mensibus, nonnullorum paucissimis etiam diebus finiretur. Vt me quidem inter legendum crebro subeat admiratio, fuisse vllos qui vellent Imperii vices capessere: quum toi exemplis didicissent, quibus legibus esset suscipiendum. Et hoc honoris sic venditum, immo locatum, Imperium vocabant. O miserum ac deplorandum illorum temporum statum. Oppressa Senatus auctoritate, oppressis legibus, oppressa populi Romani libertate, sic creato principi seruiebat orbis, princeps ipse seruiebat ijs, qualem nemo vir bonus domi vellet habere seruum. Imperatorem timebat Senatus, Imperator sceleftam illam militum turbam formidabat. Imperator leges dabat reipublicæ: at huic leges dabant conducticii milites. Summa rerum orbis ab armata paucorum temeritate pendebat. O magnificam & exoptandam omnibus monarchiam: & tamen nescio quo pacto velut ex composito conueniebat inter Cæsares, & milites Cæsarum dominos, quos legimus aliquoties se decimari passos, ab ijs quos mox erant suo arbitratu iugulaturi, quasi vices alternas inter se paci dominandi ac seruiendi, &c.

VETERVM IMPERATORVM INsignia.

IMperatorum autem insignia erant, sella eburnea, XXIIII, lictores cum fascibus & securibus, corona radiata vel laurea, sceptrum eburneum, vestis purpurea, & quod supremum erat, ignis prælatio. Posterioribus vero temporibus Constantinopoli ocreæ siue talaria purpurea addita sunt. Hæc autem sunt, quæ breuiter de antiquis Imperii Romani comitiis, a Iulio Cæsare vsque ad Augustulum in Occidente, & vsque ad Constantinum XIII. Palæologum in Oriente, dicenda proposui. Constantinopoli autem, vel sub Iustiniano, vel post eius statim obitum electioni Imperatoris additum, vt quum primum Imp. renunciatus esset a patriarcha Constantinopolitano in magna Byzantii basilica oleo vncius diademate aureo redimiretur, quem ritum *coronationem* appellarunt, exemplo ab antiquis Hebræorum regib. ex sacris Bibliis petito, qui a propheta primo, mox a summis sa-

cerdotibus vngebantur : vnde etiam in *Sacris* litteris reges *Christi*, hoc est vncti appellari solent.

DE DISCRIMINE INTER CAESARIS Augustique appellationes.

POst Augustum, omnes Romani principes, quum ad supremũ Imperii fastigium euecti essent, Augusti appellati sunt: quo nomine summum eis rerum arbitrium permissum esse designabatur, ab Augusto primo tanquam hæreditarium acceptum. Quoniam vero Diui Augusti filii adoptiui (naturales enim non habuit) & cæterorum sequentium Imperatorum, quod familiæ Cæsarum essent insiti, Cæsares omnes appellabantur, vt Caius, Lucius, Tiberius, Germanicus, Nero, Drusus, Caligula, & alii plerique, qui omnes Cæsares dicti sunt: hoc est, è Cæsarum gente, in quam adoptati fuerant: ex quibus postea Augustis fato functis, vnus vel testamento vel electione cæteris Cæsaribus prælatus, Imperator & Augustus in defuncti principis locum subrogabatur. Hinc ortum est, vt posterioribus temporibus, si qui ad Imperii fastigiũ, atque Augusti nomen essent promouendi, primo *Cæsares* appellarentur, hoc est Imperii hæredes vel successores: quo nomine à priuatis gradus erat ad Augusti supremam potestatem, quũ duos simul Augustos esse ante M. Aurelii Imperatoris tempora nunquam auditum fuerit. Quare factum est, vt, & Imperatorum sequentium filii, quamuis ex Cæsarum gente non essent, Cæsares tamen statim appellarentur: hoc est, Imperii successores: perinde ac in Augusti gente Cæsares, eius filii vel nepotes dicebantur, qui postea ei in Imperio succedentes Augusti appellati sunt. Nam sicut Diuus Augustus viuens Augustus dicebatur, & eius filii & hæredes Cæsares: ita & sequentes post Neronem, vltimum ex gente Cæsarum Imperatorem, Romani principes quũ Augusti appellati fuerunt, filios quoque suos vel naturales vel adoptiuos Cæsares appellarunt: id est Imperii successores, & qui eum locum apud ipsos obtinerent, quem apud Diuum Augustum, C & L. Cæsares primo, mox eis defunctis Ti. Cæsar, eius filii adoptiui, & apud ipsum Tiberium Germanicus adoptiuus. & Drusus naturalis, filii Cæsares, Tiberiusque & Caius Cæsares eius nepotes,

nepotes, postremo apud Claudium Augustum Britannicus naturalis & Nero adoptiuus filii Cæsares obtinuerunt. Ex quibus Diuo Augusto Tiberius, Tiberio Caius, Claudio Nero successerunt: qui omnes ex Cæsarum gente ratione adoptionis fuerunt. Nam & D. Augustus Cæsar quoque appellatus fuit, quod à D. Iulio Cæsare maiore auunculo in Iuliam familiam adoptatus fuisset, cuius Cæsar cognomen erat: ex qua adoptione ipse & omnes eius hæredes & successores vsque ad Neronem Cæsares dicti sunt, quod omnes Iuliæ genti insiti per varias adoptiones fuissent. Porro autem, etsi reliqui deinceps Imperatores Cæsares quoque suos haberent; tamen ad familiam Cæsarum quæ in Nerone defecit, nulla ratione pertinebant. Tiberii autem Cæsaris fuerunt (vt dixi) duo filii, alter naturalis Drusus Cæsar, alter adoptiuus, Drusique fratris sui filius, Germanicus Cæsar: quorum alter, vel si vtrique Tiberio superstites fuissent, Augusti appellati fuissent, perinde ac Tiber. Cæsar qui ab Augusto adoptatus, pro Ti. Claudio Nerone, Ti. Iulius Cæsar eo viuente nominatus est, mox eodem mortuo in eius locum Imp. factus, Augustus vocitatus est. Germanico autem & Druso ante Tiberium mortuis, Nerone quoque & Druso Cæsaribus Germanici filiis occisis, vtrorumque Ti. filiorum liberi superfuerunt Cæsares dicti, videlicet Tiberius ex Druso, vt Caius ex Germanico, ipsius Ti. nepotes. Ex quibus mortuo auo Tiberio Augusto, Caius Cæsar Augusti nomen ac potestatem accipiens, consobrinum Tiberium adolescentulum, eique ab auo cohæredem institutum interemit. Mortuo Caio, Ti. Claudius Cæsar, Cæsarum genti ratione matris Iuliæ insitus, Augustus & Imperator appellatus, duos Cæsares filios reliquit, alterum naturalem Britannicum Cæsarem, alterum adoptiuum vxoris suæ Agrippinæ filium Neronem Cæsarem: qui mox Claudio mortuo Augustus appellatus, fratrem Britannicum veneno necauit. Nerone vero, in quo Cæsarum gens defecit, è medio sublato, quum Galba Imp. creatus, Cæsaris & Augusti cognomen accepisset, liberosque non haberet, exemplo Diui Augusti filium sibi adoptauit ex familia Calpurnia L. Pisonem, quem & *Cæsarem* appellauit, hoc est Imperii successorem: sicut ipse Imperium adeptus Cæsar & Augustus nominatus fuerat, licet nullo gradu Augusti gentem attingeret: qui eum locum apud se Pisonem

habere voluit, quem Tiberius apud patrem Augustum habuerat, cui mortuo postea in Imperium successit. Galbæ exemplum imitatus est Vespasianus, qui Imperator Augustus appellatus, duos filios suos Titum & Domitianum Cæsares statim nominauit, videlicet Imperii successores: quod etiam factum est. Idem fecit Nerua, qui occiso Domitiano Augustus creatus, adoptiuum filium Traianum Cæsarem creauit. Neruæ exemplo Traianus Hadrianum, Hadrianus L. Commodum primo, mox Antoninum Pium, Pius Marcum & L. Verum adoptarunt, Cæsaresque nominauerunt. Mortuo autem Imperatore Pio, Marcus maior eius adoptiuus filius, ex Cæsare Augustus factus, fratrem adoptiuum quoque natu minorem L. Verum ex Cæsare secum Augustum nominauit. Tuncque primum duo Augusti eodem tempore esse cœperunt, quod antea nunquam factum fuerat. Non longe post Imperatore L. Vero mortuo, idem Marcus filio Commodo, quem Cæsarem antea appellauerat, eundem contulit honorem, secumque Augustum dixit, qui pari potestate cum patre erat: erantque simul duo Augusti, hoc est, duo æqualis auctoritatis Imperatores. Nam Cæsares Augustis minores erant, iisque tāquam pater filio subiecti erant. M Antoninum imitatus est Imp. Seuerus, qui ante obitum duos filios suos Caracallum & Getam Cæsares primo, mox vtrumque Augustum appellauit. Quo tempore primum tres Augusti simul fuerunt. Marci & Seueri exempla omnes deinceps fere sequentes Imperatores sequuti sunt, qui filios suos vel naturales vel adoptiuos Cæsares primo, deinde Augustos dixerunt. Idque fieri solebat, non sine militum & Senatus consensu atque approbatione: quibus tamen nunquam refragatum fuisse legi. Cæsaris igitur nomen & dignitas, Imperii tantum certam successionem significat, sicut Augusti certam rerum possessionem, similitudine ab antiquis Imperatoribus ex Cæsarum genere ortis accepta, qui ante Imperium Cæsares, mox eo adepto Augusti appellabantur. Principes autem Romani, *Imperatores* & *Augusti*, non *Reges* vel *Dictatores* dicebantur, cui omnia regia vel dictatoria iura haberent (nominibus enim odiosis abstinuere) quod regis post exactos Tarquinios lege Iunia, Dictatoris vero Caio Cæsare occiso lege Antonia, ex S. C populique iussu nomina abolita & subiata fuerant. Imperatoris autem nomen erat veteris Reipublicæ

blicæ Ducum, Consulum, Proconsulum, Prætorum & Dictatorum: qui quum res triumpho dignas contra populi Romani hostes gessissent, eo nomine à militibus honorabantur, dicebanturque Imperatores exercitus. Cæsaris nomen habent à primo Cæsare Dictatore, qui singulare Imperium fundauit, tanquam hæreditarium, quo Cæsar Augustus eius adoptiuus filius primo, mox sequentes Imperatores nominati fuerunt. Ab Augusto quoque iidem Imperatores *Augusti* etiam dicti sunt, quod Augustus ipse primus omnium imperium singulare populi Romani, additis certissimis quibusdam firmamentis stabiliuit, & tanquam hæreditarium fecit.

ORIENTALIS IMPERII ORIGO Et Occidentalis excidium cum eius restitutione edocentur.

A Vito autem imperandi more CCCXXV interregni anno restituto, postea quam abdicante Augustulo Imperium Occidentale esse desierat, Caroloque Magno Francorum rege Romæ S. P. Q. R. suffragiis Imperatore appellato, atque à Leone III. pontifice Maximo, more Imperatoris Constantinopolitani inuncto, & aureo diademate redimito, nouæ quædam paullatim succreuerunt in hoc Imperio consuetudines, de quibus in præsenti sum verba facturus. Sed quo omnia accuratius intelligantur, non ab re erit exponere, quanam ducti occasione Romani, Carolum Magnum tunc Imperatorem Occidentis appellauerint, quum non longe ante Imperii Orientalis pars fuerint. Res autem est paullo altius repetenda.

Constantinus Magnus Imperator Maximiano Galerio mortuo, Maxentio, Licinio, Maximino, cæterisque aduersarum factionum tyrannis è medio sublatis, quum solus iam orbis terrarum imperio potiretur, id sibi in animum induxit agere, quod Cæsar dictator primo, mox Seueri Imp. filii Caracallus & Geta aliquando cogitarunt, vt nouam & maximam in Oriente vrbem conderet, in qua parte opum Imperii translata, eam in omnibus Romæ parem faceret, qua

Orientis Imperium firmaretur, atq; Persarum opes toto Orienti imminentes & formidabiles facilius contuderentur. Germanos enim Dacos, Getas, Sarmatasq; & cæteras barbaras nationes, quæ inter Rhenum, Danubium, mare Oceanum, & Scytharum solitudines continentur, adeo grauib. & atrocibus bellis represserat, coercueratq; in solo etiam barbarico, vt nullæ incursiones, nullaque vis amplius ex Septentrione, nullus quoq; metus ab iis gentibus oriri posse facile arbitratus est: tutissimasq; existimauit esse eas imperii, quod postea Occidentale dictum est, prouintias, quæ antea earum gentium excursionibus infestatæ fuerant. Quare ad Persarum opes, longe lateq; per Orientem omnem se extendentes, vel euertendas, vel saltim debilitandas, hanc nouam vrbem in iis partibus extruendam curauit, qua facillime Persæ adoriri possent, atq; etiam ea nouæ vrbis à se conditæ exædificatione sibi gloriam quæsiisse visus est. Commodissimum enim tunc videbatur, & ad Imperii conseruationem quam maxime profuturum, si altera vrbs Romæ par in Oriente esset, cuius robore ita Orientis Imperium firmaretur, sicut vrbis Romæ fortitudine Occidentale sustentabatur. Quumque Orientalium omnium, & Syrorum præcipue, animos leuissimos esse constaret, & ad quamlibet rebellionem pronos, eos in officio teneri posse existimauit hac nouæ vrbis in iis partib. conditione. Tandem quum multos per diuersas Orientis partes situs tentasset, & quæsiisset, neque omnino sibi satisfaceret, ad hoc tandem deuentum est, vt antiqua Byzantium, quam in angustissimo Europæ Asiæq; Euripo Lacedæmonii Pausania duce olim coloniam condiderant, & bello ciuili Pescenniano, quod Nigro constantissime adhæsisset, Seuerus Imperator penitus excisam in vici formam redegerat, restitueretur. Tuncque Constantinus vrbem ampliore mœnium circuitu construxit, Romæ operibus etiam & nomine æmulam futuram. quam cum variis signis ac monimentis vndique conquisitis ornasset, eam ex ante diem v. Idus Maii Mariæ virgini dedicauit, anno Salutis CCCXXXI. Annio Basso & Ablabio Ægyptio Consulibus: Anno vero ex quo Augustus appellatus fuerat, XXV. Tuncque populi Romani Imperium diuisit, in Orientale, cuius caput fuit vrbs à se condita, tunc *Noua Roma* dicta: & Occidentale, cuius sedes fuit antiqua Roma. Duos quoque in futurum Imperatores fieri procura-

uit,

uit, alterum qui Occidenti, alterum qui Orienti præesset. Prouinciæ omnes transmarinæ Orientales ab Augusto Propõtidis freto ad Nili vsq. ostia & Ægyptum, qua Africæ contermina est: Illyricus quoque, Epirus, Achaia, Græcia, Thessalia, Macedonia, Thracia, Creta, Dacia omnis & Moesia, cæteræq; eius tractus prouinciæ Imperio Orientali adiudicatæ. Hispania vero, Britannia, Galliæ Noricum, Pannoniæ, & cæteræ Germaniæ prouinciæ, Dalmatia, Africa omnis, & Italia, Occidentalis Imperii fuerunt. Et quum orbi Romano diu ante ciuitas data fuisset ab Antonino Caracallo, Senatores omnes lecti ex Occidentalis Imperii prouinciis Romæ manserunt, ex Orientalis vero Constantinopoli translati. Eadem & de Consule ratio fuit. Quum enim duo Consules more vetusto essent, quo vrbem a te cõditam in omnibus Romæ parem faceret, alterum ex Consulibus Constantinopoli, alterum Romæ manere instituit. Tuncq; Imperium omne Romanum tutissimum factum esse existimauit, duabus vrbibus tanquam firmissimis propugnaculis, hinc à Germanis, illinc a Persis defendum. Eadem quoque priuilegia, immunitates, dignitates, & honores, quibus vrbs ipsa ab antiquis Imperatoribus exornata fuerat atq; inlustrata, Constantinopoli concessit. Quam etiam in XIIII. regiones diuisit, eius Præfectum instituit iisdem priuilegiis donatum quibus Præfectus vrbis Romæ. Pleraſque nouas dignitates, & magistratus excogitauit. Quum enim prætorianos, quod pro Maxentio contra se stetissent, exauctorasset: quattuor Præfectos prætorio instituit, quibus post principem suprema auctoritas esset, quorũ munus longe diuersum ab antiquis Præfectis prætorio esset. Orbem enim vniuersum Romanæ ditionis in quattuor præcipuas partes siue dioeceses diuidens, singulis vnum ex iis Præfectis præposuit, qui in prouinciis sibi creditis Imperatorum vices gererent. Vnum enim Africæ & Italiæ, alterum Hispaniæ, Galliis, Britanniæ & Germaniæ præposuit: quorum prior Præfectus prætorio Italiæ, alter Galliarum dicebantur: eosque Imperatori Occidentis subiecit. Prouinciis autem reliquis cismarinis, qui Orientis Imperatoris ditioni suberant, quas omnes vno Illyrici nomine comprehendit, Præfectum tertium præposuit, dictum Præfectum prætorio Illyrici. Quartum vero Præfectum prætorio Orientis ordinauit, qui omnibus trans mare Romanis prouinciis præerat.

Hos vero duos præfectos Orientis Augusto parere voluit. Hoc autem vnum nescio quam bene fecerit, quod præcipua imperii subsidentacula, limites videlicet Romani orbis, qui ab Augusto super Rhenum & Danubium xv legionum præsidio addito, prouidentissime firmati fuerant, translatis in Orientem exercitibus substulit: quorum loco castella & muntiones quasdam condens, debilibus admodum præsidiis eas ripas munitas reliquit, quæ per tot annos egregia Romanorum militum virtute ab immanissimis barbaris defensæ fuerant. Ex qua re Occidentalis Imperii primo, mox etiam Orientalis ruina manauit. Orientale enim Imperium, quia fortioribus præsidiis munitum, & à minoris roboris barbaris inuasum fuit, diutius mansit: quamuis paullatim Imperatorum Græculorum incredibili ignauia, ad nihilum fere redactum, demum à Turcis auorum memoria omnino absumptum fuerit. Imperium vero Occidentis Romanum, xv ad minus fortissimis legionibus spoliatum, quibus ad ea vsque tempora conseruatum fuerat, atque a valentissimis Barbarorum, Gothorum, Alanorum, Burgundionum, & Francorum copiis inuasum, quum qui cohercerent eorum impressionem, nullus amplius esset exercitus, quam primum corruit, & in barbarorum potestatem deuenit. Vandali enim Africam Franci & Burgundiones Gallias, Saxones Angli, Picti, & Scoti Britanniam, Hunni, Gepidæ, & Longobardi Germaniam, Ostrogothi & Alani Hispanias, Heruli & Visegothi Italiam cum Vrbe ipsa olim rerum domina, breuissimo temporis interuallo, pulsis iis qui remanserant Romani Occidentalis Imperii debilibus præsidiis, occuparunt: qui omnes barbari Septentrionales fuerunt, iis potissimum ripis egressi, quas tanto studio, xv que fortiss. legionibus ad Imperii tutelam contra eorundem barbarorum incursiones diu ante D. Augustus prudentissimus princeps, & ad æternitatem Romani nominis natus munitas, Constantinus demum abductis, quo res suas in Oriente firmaret, legionibus spoliauit. Barbari enim, quos omnino strauisse Constantinus existimauerat, haud diu post eius obitum fluuiorum ripis tractis, nullo negocio oppida & castella tenuioribus præsidiis munita, quæ vtrisque ripis Constantinus extruxerat, expugnantes Romanas prouincias & Imperium ipsum primo labefactare deuastarunt: & postremo Italia capta, & Imperatoribus

ribus exactis, breui præclarissima omnium vrbs Roma Imperii paulo ante domicilium, fœdissimorum barbarorum mancip um facta fuit. Vix enim c & XL anni a Constantini morte elapsi erant, quum Odouacer Herulus rex Gothorum Augustulum nouissimum Occidentis Imperatorem, Oreste patre suo, qui filio Imperium parauerat, occiso, Imperio Italiæ, quæ vna tantum prouinciarum omnium Occidentalium supererat, exegit: Italiaque & vrbe Roma, nobilissima Imperii Occidentalis parte, potitus est. Post quem, octo alii Gothorum reges rebus Italicis LXXVII annorum interuallo præfuerunt ii fuere, Theodericus, Athalaricus, Theodahatus, Vitiges, Ildoualdus, Araricus, Totilas, & Teias. Quorum incredibili virtute, quum longo temporis spacio, quo in Italia fuerunt, tam mores Italicos imbibissent, & sapientia, vrbs ipsa pristinum Imperii decus recuperare posse videbatur, si per Iustinianum Imperatorem licuisset. qui adeo egregie, prudenter & perhumane res Italicas moderati sunt, vt eorum Imperium non Barbarorum, sed nobilissimorum ciuium videretur. Romanas enim litteras, mores & consuetudines adeo hauserant, vt nihil inter eos & Romanos ipsos discriminis esse appareret. Belli quoque & pacis artibus clarissimi euaserant, vt cum antiquis bonis Imperatoribus conferri possent: quæ tamen omnia ipsis parum valuerunt. A Iustiniano enim Imperatore iniuste admodum bello petiti tanquam Imperii inuasores, decimo octauo anno tandem non sine maximis totius orbis, & præsertim miseræ Italiæ cladibus, per Iustiniani duces Belisarium & Narsim, Italia omni penitus exacti sunt. quæ statim Orientis Imperio accessit. Quæ res omnium malorum, dissensionum, discordiarum ciuilium, intestinorumque bellorum, quibus postea infelix Italia toties & per tot annos vexata fuit, maximam attulit occasionem: ita vt præclare admodum nobiscum actum fuisset, si id Iustinianus ipse nunquam attentasset. Gothis exactis, & Italia Imperio Orientis adiuncta, proprium Imperatorem vel regem habere desiit, quæ olim Imperium ipsum pepererat: atque ad eas prouincias transiit, quæ a Romanis ipsis victę fuerant. adeo vana, fluxa, mutationibusque & interitui obnoxia sunt, ea quæ tantopere vt æterna miramur. Quo interim tempore quum Narses, qui pro Imperatore ducis titulo Italiam obtinebat, iniuriis Sophiæ Imperatricis lacessitus, Lou-

gobardos ad Italiam possidendam euocasset, quorum præcipue opera bello Gothico vsus fuerat: rursum, vix sextodecimo anno finito, ex quo Gothi Italia exacti fuerant, sæuissimis bellorum procellis infelix prouincia exposita fuit. Lōgobardi enim eam ingressi, omnia resistentia ferro flammisq; immanium Barbarorum more consumpserunt. Nam per ea tempora mortuo Narse, in eius locum Imp. Iustinus Iunior contra Longobardos Lōginum patricium Præfectum suum ducem misit: qui Exarchi titulo eam Italiæ partem obtinuit, quam Longobardi primo illo impetu inuadere non potuere. hinc variæ cædes, crebra prælia, vrbium expugnationes, direptiones, incendiaq; fieri cœperunt, dum illi aliena appetunt, is sua defendere nititur: atq; per ducentos fere annos iis cladib. laboratum est. Quorum denique interuallo Longobardi post multas cædes, rapinas, incendia, prælia, & alia id genus quæ in bellis contingere solent, Imperatoris Orientis & Græcorum omnibus præsidiis, qui eorum primo impetu superfuerant, pulsis atque cæsis, libere Italia fere omni potiti sunt, vrbe ipsa excepta. Ad quam obtinendam, Rauenna Exarchorum sede paullo ante post multos labores capta, aspirare cœperūt. Quo interim tempore eorum furori, à Romano pontifice, cuius tum auctoritas maxima esse cœperat, partim precibus, partim pollicitationibus (bello enim decertare impar erat) obuiā itum est. Durum namq; & asperum Romanis videbatur, Barbarorum tum iugum subire, libertati iam per cc. fere annos assuetis. Romanus quoq; pontifex, qui sanctitate & doctrina & vitæ integritate præfulgebat, Romanorumque caput, Princeps & conseruator appellabatur, non æquo animo populum sibi creditum Longobardorum sæuitiam & diritatem subire ferebat. Quare quum ab Imperatoribus Orientalibus sæpius auxilia à Romanis contra Longobardorum immanitatem implorata essent, eaque ab eis negarentur: tum quod imbecille factum Imperium, ad vicina loca à Sarracenis, Auaribus, Bulgaris, Hunnis, & cæteris circumuicinis barbaris tuenda vix sibi vires suppeditarent: tum etiam quod Constantinopolitani Imperatores in fœdam Iconomachiæ hæresim lapsi, maximas & plusquam hostiles cum Romano pontifice acriter ipsorum insaniæ aduersanti, simultates gerebant: tunc primo ad Francorum potentissimos reges à Romana sede respici cœptum, eorumque præsidium contra Longobardos implo-

imploratum. Non possum autem vehementer non mirari horum temporum conditionem, Orientalium principum maximam sine fructu impietatem, qua præcipue factum est, vt occidentalia iura omnino amiserint, nouusq; Imp. Romæ in Occidente creatus sit Carolus Magnus Quum enim Diuorum imagines Constantinopoli & in Oriente vndiq; impie admodum abradi iussissent, id quoq; Romanum pont. interminato mortis metu facere persuaserunt: sed inuicta aduersus eorum amentiam Constantini & Gregorii II. Romanorum pontificum pectora, ipsorum nefaria iussa non solum contempsere, sed eos etiam variis notis & ignominiis affecerunt. Nam Constantinus papa, Philippici hæretici Imperatoris nomen in Missarum solennijs reticuit, eius imaginem Romæ in nummis cudi vetuit, atq; eam in ecclesiam introduci nõ permisit, epistolas omnes & decreta respuit: primusq; omniũ Romanorum Pont. fuit, qui aperte & palam Imperatorum furori resistere posse docuit. In Leonis quoq; Isauri Imperatoris, Iconomachorum omnium perditissimi, contumeliam Gregorius papa II. paulo maiora ausus, tributa omnia & vectigalia tam Italiæ quã vrbis Romæ, ei impendi ab vllo, acri sub anathemate prohibuit. Quare factum est, vt ipsorum impietate quicquid eorum ditionis reliquũ fuerat in Occidente, paucorum annorum interuallo amiserint Quam ob caussam Romanus populus, ipseq; pontifex Gregorius II. cum a Longobardis premerentur, ad Francorum regum opes longe lateq; per Occidentẽ florentes primum confugere, quas contra Longobardos in sui auxilium sæpius euocarunt. Karolus enim Martellus, Francorum dux potentissimus, primo pro Gregorio ipso apud Luitprandum Longobardorum regem precib. egit, mox eius filius Pipinus contra Aistulphum stephanum II armis defendit Deinde paternæ atq; auitæ pietatis hæres Carolus Magnus, Romanam sedem vrbemque ipsam, pro Hadriano primo contra Desiderium Longobardum bello egregie tutatus est, donec quum quiescere nollent, postremo ab eodem Carolo prælio victi Papiaq; eorum regni sede cum rege Desiderio in suam potestatem redacta à Francis in deditionem omnes accepti sunt. Quum autem his factis, Romanam præterea sedem magnis oppibus & tẽporali ditione extulisset (quippe Rauennam cum Exarchatu, Flaminiã & Picenũ prouincias de Longobardis captas, sedi Roma-

næ liberalissime largitus est) & ipse vicissim ab eadem sancta sede magnis honoribus & dignitatibus auctus fuit. Francorum enim primo, mox Longobardorum rex inunctus, Patricius Romanorum postea creatus est: quæ tum suprema in Vrbe dignitas erat. Hæc autem dum in Occidente gererentur, Constantinopoli Eirene mulier filio Constantino Imperio priuato, oculisque (familiari Græcorum pœna) erutis, Imperii habenas sola susceperat tractandas, quod nouum omnino, & ad eam vsque diem Constantinopoli inauditū fuerat. quare quum Rom. Imperii maiestas, omnia sibi barbaris vendicantibus, obsoleisceret, neque in ea fœmina quamuis altę indolis multum præsidii inesse videretur, eius rei occasione Romanæ adducti, & præcipue Leo papa III. qui tum vinebat, eiusdem populi scito, cleriq; rogatu, Carolum Magnum Francorum regem, & patricium Romanorum, qui per eos dies in Vrbem venerat, ob egregia in Christianum nomen & Romanam sedem merita, Romanorum Occidentis Imperatorem primus appellauit, inunctumq; ac diademate aureo redimitum, Augustam appellauit. VIII. Cal. Ian. die, celeberrimo Christiani natalis ineunte anno a partu Virginis DCCCI posteaquam vero in Italia imperari desitum fuerat, CCC & XXV. Regni vero eius, ex quo Francis præerat, XXXIII. Subsequutaque mox populi Romani adclamatio est, Carolo Augusto Magno, & Pacifico, vita & victoria. Hac igitur ratione Carolus Francorum rex primus ex Francis, Romæ veteris & Occidentis Imperator creatus est, auito imperandi more post longissimum interregnum occidenti tandem restituto.

QVA RATIONE IMPERATORES Francos occidentales in eius Imperii primordiis creari mos fuerit.

IMperium autem Francicum Romanum, hæreditarium in sui primordio fuit. Carolus enim Magnus Hludouicum Pium filium, Hludouicus Pius Hlotharium, Hlotharius Hludouicum II filios hæredes Imperii reliquerunt. Mox Hludouico sine liberis mortuo, eius patruus Carolus iunior, Hludouici filius, rex Francorum Occidentalium, tanquam

quam ei cui ex hæreditate Imperii iura rite deuenirent, Romam ventens, Imperatoris nomen à Romanis proceribus, & Ioanne VIII. papa magna pecuniarum summa mercatus est. Cui filius Hludouicus Balbus successit. Quo vita functo, Carolus III. Hludouici Regis Germaniæ filius, Hludouici Pii Imp. nepos, Imperium à Romano populo, & eodem Ioanne papa VIII. obtinuit, quod Hludouico Balba affinitate cæteris coniunctior erat, cui sine liberis decedenti, eius fratris Carolomanni filius Arnulphus suffectus est. post quem, eius filius Hludouicus IIII. Imperium obtinuit. iique omnes sunt Imperatores ex Caroli magni gente, qui iure potius hæreditario, quam aliqua principum lectione ad imperium euecti sunt. Quorum temporibus nulli ritus, nullæ cæremoniæ in Imperii comitiis erant, præterquam quod cum primum Imperator & Augustus renuntiatus fuisset, à Romano pontifice vngebatur, aureoque diademate coronabatur, tanquam Romani Imperii, immo totius orbis primario sacerdote: more accepto ab Imperatoribus Orientalibus, qui a patriarchis Constantinopolitanis, primariis Imperii Græcanici pontificibus consecrati, aurea corona redimibantur Cuius consuetudinis (quamuis nihil certi quod afferam habeam) Iustinum iuniorem Augustum facile mihi persuaserim. neque enim ante ipsum aliquem Imperatorem Constantinopoli coronatum fuisse, vel vnctum initio Imperii iis cum cæremoniis ab aliquo patriarcha, vnquam (quod sciã) me legisse memini. Hunc vero coronandi Imp. Occidentis morem, primi instituisse videntur Leo papa III. & Carolus Magnus. Eratque coronatio ipsa perinde ac præcipuum signum legitimi Imperii, sicut antiquis Imperatoribus erat Ignis prælatio. Qua coronatione demonstrabatur, eum hominem vel regem, aut ex priuato ad Imperium euectum, aut id iure hæreditario consequutum, ius habere in omnes Imperii partes tanquã veros & legitimos Rom. principes. Porro autem, etsi satis constet, aliquos Imperatores bis inunctos & cõsecratos à Rom. pont. vel ex eius auctoritate ab alus episcopis, id variorũ regnorũ ratione factum fuit. Nam Carolus Magnus primo a Stephano II. papa, rex Fran. inunctus est: inox ab Hadriano pont. Max. Longobardorum: postremo à Leone papa III. Imp. Rom. coronatus fuit. Simili ratione Hludouicus Pius, eius filius, ab Hadriano primũ coronatus

fuit rex Frãcorũ, mox à Stephano III. Augustus appellatus. Item Hludouicus iunior à Sergio papa II rex Longob. primo; deinde ab Hadriano II. pon. Max. Imp Augustus inunctus fuit. Reges enim vngi, paulo ante in Occidente vsurpari cœptum fuerat. Idq; in Galliis primo factum quod à Constantinopolitanis Imperatorib mutuatum est, qui id ab Hebræis didicere. Primus enim (quod sciam) regum in Occidente vnctus est Pipinus rex Fran. à S. Bonifacio Moguntino archiepisc. ex auctoritate Zachariæ papæ: fortassis quia primus esset qui ex priuato, & non ex regio stemmate Francis præpositus fuerit, Merouingorum stirpe regia regno mulctata. quem deinceps cæteri reges Francorum primo, mox Imperatores imitati sunt. iccirco igitur Imperatores primo reges Francorum vel Longob. vngebantur. Quum enim nunquam in hoc Imperio vsuuenerit, vt non nisi reges ad Imperii fastigiũ proueherentur, regesq; & Imperatores vngi mos inualuisset, ideo iterum Augustos vngi & coronari contingebat. Illud autem non ignorandum, à quatuor primis Francis Imperatorib. minime obseruatum fuisse, quod sequentes principes religiose admodum coluere. Ipsi enim cum ex sola hæreditate, nullo electionis iure, sibi inuicem successissent, Augusti vel Imp nomen nõ die suæ coronationis à Rom. pont. assumpsere, sed eo potissimum die quo à patre appellabatur Imperator: à quo etiã die eorum Imperii annos numerare solebant, nulla habita consecrationis Pontificiæ ratione. Id autẽ satis ex eorũ priuilegiis & diplomatibus liquet, in quibus tam ante quam post Romani pontificis coronationem, se ipsos Imperatores Cæsares Augustos appellant. Quod nullus sequentium deinceps Imperatorum fecit: qui ante Pont. ficiam coronationẽ se reges tantum, vel electos Imperatores appellare consueuerunt: post supremam vero, quæ Romani pont. erat, vnctionem, omnes antiquorum Augustorum titulos assumere solebant. Idq; primus omniũ obseruauit Carolus II. cognomine Crassus, Hludouici Pii Imperatoris natu minor filius: qui quum post mortem Hludouici II. Imperatoris, fratris sui, Hlotharii Augusti filii, statim Imperator appellatus fuisset, non tamen se Imperatorem vel Augustum nominauit, sed tantum regem Francorum, vsque ad VIII. Cal. Ianuarias proximas, ineuntis anni Christi DCCCLXVI. quo die à Ioanne papa VIII. Romæ inunctus & Imperator coronatus fuit. A quo tempore deinceps se

ceps se & Imperatorem & Augustum dixit. atque hoc modo in diplomatib. scribebat: *Datum anno regni nostri* XLII. *& Imperii* I. Quod omnes postea eius successores vsque ad nostra tempora religiose admodum obseruarunt. Eius autē rei causa fuit, quod ipse primus omnium Imperium nec sola hæreditate, nec sola electione habuit nam neque hæres à Hludouico II. Imp. sine liberis decedente, institutus fuerat: neque ab vllo electus, sed per se ipsum Imperii titulum accipiens (tanquam is ad quem hæreditario iure pertineret, quod ipse Imperatoris filius, & defuncti Augusti patruus fuisset) Pontificiam Imperii coronam Romanique pont. consensum magna pecunia emit. Multi enim præterea tūc erant Hludouici Imp. mortui propinqui, qui ad Imperiū aspirabant: vt Hludouicus ipsiusmet Caroli natu grandior frater, & eius filii Germaniæ reges: quumque mortuo Hludouico II. incertum esset, an ipse Carolus, vel frater eius atq; ipsius filii Augusti essent appellandi. Ideo ab eo potissimū coronationis Pōtificiæ die Imperii nomina & titulos suscepit, qua tum ei vni stabilitū Imperiū fuit, tam ex papæ, quā ex Rom. pop. consensu. Quod postea à successorib. Imperatorib. obseruatum est. Ei autē vita functo, in regno Francorum & Imperio successit filius Hludouicus III. Balbus & ipse bis consecratus, primo rex Franc. ab Archiepiscopo Remense, & Imp a Ioanne VIII. papa. quo breui sine legitima prole mortuo, regnū quidem Francorum Occidentalium ad eius filios spurios deuenit: Imperii vero iura & titulos nulla electione expectata, tanquam in ea gente hæreditaria arripuit, eadē qua Carolus II. ratione ductus, Carolus III. cognomine Caluus, defuncti Imp. Balbi patruelis, filius Hludouici regis Germaniæ, neposque Imp. Hludouici Pii. qui tum Germaniæ regnum iure hæreditario obtinebat. Carolus enim Magnus rex Francorum & Imperator, eiusque successores, prouincias & Imperii regna filiis partiti sunt, vt nūc in rebus priuatis fieri solet. Mortuo vero Carolo III. sine filiis, regnum Germaniæ, & Imperii titulos, tam iure hæreditario quam ex principum lectione deuenit ad Arnulphum, eius fratris Carolomāni regis Bauariæ filium qui a Metropolitano Germaniæ Moguntino archiepisc. Liutberto coronatus, rex tātū Germaniæ primo appellabatur. Deinde IX anno post a Formoso papa Ro. consecratus, Imp. & Augusti titulos assumpsit. Omnes autem superiores principes, Augusti appel-

lati sunt, & in Imperatorum numero ideo a posteriorib censentur, quod Imperij diadema omnes a Romanis pont. habuerint. Ex quibus primus Carolus Magnus ex Romanorum lectione, tres sequentes sola hæreditate: quatuor vero posteriores ex hæreditate quidem, verum accedentibus Romani pontificis, Romanorum, Italiæ, & Francorum consensu atque approbatione. Hludouicus vero Arnulphi filius iure hæreditario Germaniæ regnum post patris mortem obtinuit. Coronatus autem ab archiepiscopo Moguntino Hattone, rex Germaniæ tantum dictus est. Imperatoris autem vel Augusti nomina nunquam assumpsit, quod pontificia coronatione caruerit. qui si a Romano pontifice, more maiorum suorum consecratus fuisset, inter Imperatores enumerari deberet, seque ipsum Imperatorem appellasset. Quo demum fine filiis vita functo in Germaniæ regno, tunc primum pura puta electio esse cœpit: quæ ex solo procerum regni arbitrio & voluntate dependebat, quum nullum iam hæreditarium ius amplius esset. Verum Augusti & Imperatoris speciosa nomina atque Imperii dignitas trans alpes multis annis omnino esse desiit. Arnulphi enim, & eius filii Ludouici ignauia, incredibilique socordia, cum Italici aliquot principes ab Imperio Francico defecissent, Italiæ sibi regnum vendicantes, Imperii quoque insignia & titulos a Romanis pontificibus per multos annos obtinuerunt. Quorum primus fuit Vuido quidam dux Spoletanus, Longobardici sanguinis vir: qui contra Arnulphum, competitore Berengario fugato, Imperium sibi Italiæ vendicans anno Do. DCCCXCVIII Imperatoris quoque & Augusti nomina a Romano pontifice coronatus assumpsit. Post quem etiam eius filius Lambertus, Italiæ regnum sub Augusti nomine, a Romano & ipse pontifice inunctus, obtinuit. Quo mortuo, Berengarius ex duce Foroiulensi, sub Augusti & Imperatoris titulis, & post eum Rodolphus Burgundionum rex, Hugo comes Arelatensis, Hlotharius eius filius, Berengarius II. primi ex filia nepos, & eius filius Adelbertus, regum nomine Italiam tenuerunt. Germaniæ vero reges post Arnulphum, Imperii nomina & titulos omnino amisere: quum iam usu confirmatum esset, id regnum Imperium vocari non debere, vbi Romani pontificis deesset consecratio. Quod ita esse, manifeste liquet ex Imperatoribus ipsis, vel Germaniæ regibus

a Carolo

a Carolo II deinceps, qui ante Romani pont. coronationem nō Imperatores, sed reges tantum se ipsos nominarunt. Post papæ vero inaugurationem non reges amplius, sed Imperatores & Augusti vocitantur. Non possum autem hic non vehementer mirari & reprehendere aliquot recentiorū Germanicarum rerum scriptorum audaciam, ne dicam temeritatem, qui vndique clamant. Italos omnes, & præsertim Romanos, male agere, rem indignam facere, quod non omnes Germaniæ reges Imperatores appellant, neque omnium ipsorum ratio habeatur in eis numerorum notis, quibus distinguuntur inter se ii principes, qui idem nomen habēt. nam volunt, omnes Germaniæ reges, quamuis à Romanis pontificibus inaugurati non fuerint, Imperatores & Augustos appellari: omniumque habendam esse rationem in iis ipsis quibus inter se distinguūtur numerorum notis, quamuis à Pont. Maxim. non fuerint coronati: vt in Henricis, Chunradis, & Hludouicis. Quod an recte factum sit, iudicent ii qui veterum diplomatum perquirendorum studio vacant. Neque enim arbitror nos debere eos principes iis nominibus appellare, quibus ipsimet consulto abstinuere: & iis notis insignire, quas ab eis approbaras non fuisse constat. Quum præsertim nulla ratione prohibiti vnquam fuerint, quin se quibusuis appellationibus nominarent. Nescio enim cur Hludouicum IV, Chunradum primum, Henricum Aucipem, Chunradum Sueuum, Rodulphum, Adolphum, Albertum, Rupertum, & cæteros Germaniæ reges, qui Imperiali benedictione caruerunt, Imperatores Cæsares & Augustos appellari velint: quum ipsimet principes in suis diplomatibus, priuilegiis, elogiis, & cæteris publicis actionibus, his nominibus abstinuerint: quod etiam ab eorundem ætatum scriptoribus, etiam Germanis ipsis, diligentissime obseruatū est, qui eos nunquam Imperatores vel Augustos, sed tantum reges, ante Pontificiam coronationem vocant. Item cur Hēricum Chunradi filium III, & eius filium IV, eiusque nepotem V. Itemque Chunradum Sueuum III vocent, nescio: quum Henricus ipse auus II, alter III, & eius filius IV, se ipsos vbiq; nominent, & ita etiam vocentur à maiori parte illorum temporum scriptoribus. Simili ratione Chunradus Sueuus Friderici Ahenobarbi patruus, seipsum secundum vocat. Extant adhuc Spiræ Chunradi & trium Henriçorum sepulchra,

cum elogiis, in quibus Chunradus ipse non secundus, neque cæteri tres Henrici III, IV, & V, vt ab aliquo veterum & à recentioribus dicti sunt Germanis scriptoribus, sed II, III, & IV, ibidem appellantur. Quod etiam accuratissime obseruatum est in eorum Diplomatibus & priuilegiis, quorum apud me sunt multa exemplaria ab archetypis ipsis à me ipso exscripta. Ego igitur hos & plerosq; alios Imperatores, ita censeo nominandos esse, perinde ac seipsos nominari voluerunt, & à maiori suorum temporum scriptorum parte nuncupati sunt: neq; horum nostri temporis Germanorum auctorum rationem habendam, qui quod minus intelligunt, multoties reprehendere solent. Neque quis mihi obiiciat, non inauguratos à Romano pontifice, ita fuisse Imperatores designatos, vt cæteros qui pontificia coronatione potiti sunt: vel Romani pontificis diadema nihil ad Imperium pertinere, & alias similes nugas quæ à recentioribus Germanis scriptoribus afferri solent. Nam etsi hoc ita re ipsa esse faceremus, hoc non est nostri studii speculari: sed historici munus est, res gestas eadem ratione narrare qua factæ sunt, & non, vt fieri debuisse sibi videatur: eosque ita nominare debent legitimi historiarum scriptores, perinde ac se ipsos vocitari voluere. Temerarii enim mihi hominis esse videtur, ea velle priuata auctoritate innouare, quæ longissimo ipsorum temporum vsu, Romanorum pontificum, & ipsorummet Imperatorum voluntate, publicoque omnium scriptorum consensu diu ante confirmata sunt. Magna certe est mortalium mentibus rerum nouandarum ambitio fixa, quæ quantum præ cæteris gentibus in Germanis sit (bonos semper excipio, quos infinitos etiam in Germania esse arbitror) testimonio esse potest eius religionis mutatio, quam ipsi, nouissimi omnium nostri orbis Christianorum, acceptam, primi etiam dimiserunt. Ita vt mirari non deberem, si in hisce quoque nullius, vel parui momenti rebus, mutationis causas sine vlla ratione quærant. quod non ob aliam causam eos facere crediderim, quam vt Pontificiæ consecrationi, tāquam nullius valoris, detraherent: cum tamen hæ consuetudines non à Romanis pontificibus, sed ab ipsis potissimum Francis & Germanis Imperatoribus manarint. Quis enim pontificum Romanorum vnquam iussit, Cæsaribus designatis, vt se ante inaugurationē suam, non Imperatores vel reges appella-

pellarent? Quis pontifex iussit Henricis & Chunradis, vt eas numerorum notas vsurparent? Nullus profecto: sed has sibi ipsis leges ipsimet Imperatores longo temporis interuallo paullatim præscripsere. Ita vt non opus esse mihi videatur, etsi Romano pontifici detrahere in animo haberent, has nugas in historiis, vbi veritas facti requiritur, inserere, quæ sine Romanorum pontificum scitu & auctoritate, sed sensim ab ipsis Imperatoribus exortæ, per manus posteris traditæ sunt, quo in eorum Imperiis aliqua distinctio esset, ad eorum maiestatem augendam. Sic apud veteres obseruati videmus: non enim omnes Augusti, sed multi tantum Cæsares fuerunt. Quæ discrimina ab ipsismet (vt dixi) ad ipsius Imperii decus augendum excogitata sunt. Eos itaque ea ratione & iis numerorum notis appellabimus, quibus ipsi se ipsos, & à suorum temporum grauissimis scriptoribus nominatos comperimus. Quanquam non abnuerim, regnum Germaniæ, post trium tamen Othonum & quattuor Henricorum tempora, Imperium hac ratione dici posse, quod iam vsu confirmatum esset; Imperatorem non nisi ex Germanorum rege eligi. quem etiam per ea potissimum tempora ante coronationem Rom. pont. Imperatorem etiam aliquando, à scriptoribus tamen appellatum fuisse legi: quod cũ Germaniæ rex renuntiatus sit, ad eum solum spectant Imperii iura, neque alium præter eum à Romano pontifice consecrari mos sit: eaque iura habent in Germania, ac si Romani pont. consecrationem adepti essent. Prima enim Germaniæ principum electio est, quæ Imperatorem re ipsa facit. Pontificis vero inauguratio est, quæ eum Imperatorem rite renuntiatum fuisse, Imperioque dignum declarat; atque ei speciosa Imperatoris & Augusti nomina indidit. Sed me à priore proposito satis digressum, rex Germaniæ Chunradus quem primum dicunt, monet vt ad rem reuertar; atque de eo verba faciam, qui primus regum Germaniæ fuit (ex quibus postea Imperatores prodiere) qui puræ electionis iure regnum Germanicum adeptus sit, quum nihil ad mortuum regem Hludouicum IV. cognationis ratione attineret. Prima igitur sola & pura electio in regno Germaniæ fuit Chunradi ipsius, alieni omnino ab Imperatorio Caroli Magni stemate: qui Hludouico IV. sine liberis vita functo, consensu & lectione regni optimatum Francorum, Saxonum, Bauatorum, Thuringo-

rum, Alemannorũ, & cæterorũ Germaniæ principũ suffectus fuit, quũ tamẽ multũ præ cæteris principib. ius ante in Imperio habuisset. nã etsi principũ voluntas in superiorum Impp. comitiis accesserit, ea tamen cõsensus quidã potius quam electio dici debuit: cũ ex Caroli Magni & Hludouici Pii Impp. hæreditate, a quib. Imperium partum fuerat, imperarint. Verum eo stẽmate deficiente, quod vnum ius in Imperio hęreditatis ratione habebat, quũ à gẽte imperatoria alieni in regnũ succesisset, tũ primũ ea Imperii comitia sola principũ electione fieri cœpta sunt: qualia fuerunt in Chunrado I, successore Hludouici IV. Eadẽ quoq; ratione, mortuo Chunrado, iterũ mera principũ electione Henricus cognomine Auceps, Saxoniæ dux, rex Germanorũ salutatus est quẽ etsi regni proceres ꝑcipue ob Chunradi defuncti cõmendationẽ regẽ creassent, nihilominus libera comitia dici debẽt, cũ nullius vi (vt id agerent) coacti sint, & cũ ipse quoq; ob Chunradi cõmendationẽ supra cæteros multũ haberet in Imperio iuris. Post Henricum ipsum, omnes deinceps Germaniæ reges, qui etiã Imperatores vel designati, vel coronati fuerunt, non amplius per successionẽ, sed ex principũ suffragiis ad Imperii fastigiũ euecti sunt. quæ electio deinceps duplex fuit: aut omnino libera, aut coacta. libera fuit electio, quæ habebatur, cũ Impp. sine legitimo hærede morientes, nullũ Imperii successorẽ ante obitũ designassent: vti fuerũt comitia Henrici I Saxonis, & Chunradi I Franci, Hlotharii II Saxonis, Chũradi II Sueui, Friderici I Ahenobarbi, Philippi Sueui, Othonis IV Saxonis, Henrici Lãtgrauii Thuringiæ, Guillelmi comitis Hollandiæ, Rodulphi, Adolphi, Albertorum I & II, Henrici VII dicti, VIII Hludouici, IV Bauari, Caroli IV Boemi, Ruperti Bauari, Sigismundi, Friderici III, & nouissime Caroli V Imperatorũ, qui absque prædecessorũ suorũ volũtate Imperatores libere ab iis qui ius eligendi habebant renuntiati sunt. Electio vero nõ adeo libera sed quasi coacta est, quũ Imperator se viuo, more veterum principũ Romanorũ, Imperii successorẽ designare facit. Cõuocatis enim Imperii Romani Electorib. quẽpiã vel filiũ vel fratrẽ suos eligere, se præsente, procurat, in Romanorum & Germaniæ regẽ, qui gradus proximus est ad supremũ Imperii fastigium: quæ suffragia non adeo libera sunt, quũ multa, immo fere omnia in gratiã Imperatoris fiant. Atq; hac ratione tres Othones priores, quattuor Hẽrici, II, III, IV, & VI. Fridericus II, Wenceslaus, Maximilianus, & nouissime Ferdinã-

dus Cæsar creati sunt. Qui viuentib. prædecessorib. suis, Imperii successores designati fuerũt, & in Germanię reges inuncti.

Ea quæ de septem Imperii Electorum origine fama hactenus obtinuit, exagitata, & qui Principes ante eorundem institutionem Imperatores creare consueuerint, demonstrantur.

QVi autẽ fuerint hi principes, ad quos Imperatoris electio spectarit, nũc enarrare operæ preciũ est. Quinã autẽ fuerint ante Henricum primũ Imp. Saxonẽ, vel Othonẽ III, nõ explicatur, q̃ scitã, à recentioribus scriptoribus. Post Othonẽ vero III, omnes fere, quos vidi tã Germanicos quã Italicos scriptores, hoc vnũ sentiunt, q̃ fuerint VII illi Germanię principes, quos nunc Electores vocant: tres scil. archiepiscopi, Moguntinus, Treuerensis, & Colonien sis: ac quattuor profani principes, rex Boemiæ, dux Saxoniæ, marchio Brandeburgensis, & comes Palatinus Rheni, quos sub Othone III à Gregorio V pon. Max. Saxone, in gẽtis suæ gratiã instituros fuisse scribũt. Quod quã falsum & absurdũ sit, ac à veritate omnino alienũ, nunc est explicandũ: præsertim, quũ huius rei describẽdæ causa, vtq; huius cõmẽti veritatẽ eruerẽ, hoc vniuersum opus mihi desumpserim explicãdum. Atq; ante omnia non inficias eo, me aliquãdo etiã huius fuisse sententiæ, quæ tot eruditissimorũ scriptorũ auctoritate iã cõfirmata est: adeo vt si quis cõtra nunc reclamare audeat, piaculũ facere videatur. Verũ quũ ad veterum Germanicarũ rerum scriptorũ monumẽta euoluẽda diligentius animum intendissem, & historias à fontibus ipsis haurire mihi iãdiu proposuissem, recentioribus. quãuis grauissimis auctoribus neglectis, diligenter & paulo accuratius cœpi antiquis Germanicis historicis operam nauare, vt Reginoni, Sigeberto, Ammonio, Lamberto, Witichindo, Luitprando, Othoni, Radeuuico, Abbati, Helmoldo, & cæteris id genus vetustis Germanis scriptoribus ex quibus quũ pleraq; vel cæteris incognita, aut nõ obseruata, multarũq; rerũ veritatẽ eruissem, quæ à recentioribus scriptoribus vel silẽtio prætereũtur vel falsatæ, hoc vnũ præ cæteris percepi, quã maxime recẽtiores historicos errare in tradẽda origine horũ VII virorũ Imperii Electorũ: ex quo errore infinita propemodũ in cęteris Germanicis historiis à recẽtioribus cõscriptis mẽdacia manarũt. quę quãtum ab historia abesse debeãt, omnes existimare possunt. Quum autẽ hæc VII Imperii Electorũ institutio ita peruersę intellecta, & ab omnibus perperam descripta, mihi digna visa sit diligenti examinatione, cæteris omnibus quæ ad hoc

opus non multum faciant, omissis, hoc vnum mihi assumpsi explicandum, huiusque obscurissimæ cæteris, mihi vero clarissimæ rei veritatem eruendam. res digna, quæ ab omnibus historiarum studiosis & intelligatur, & cognoscatur: quum infiniti propemodum errores ex eius rei cognitione tolli possint. Hic autem non possum non vehementer mirari recentiorum quorundam rerum Germanicarum scriptorum parum accuratam in rebus propriis conquirendis diligentiam, & præsertim omnium eorum qui historias Germanicas intra ducentesimum annum conscripsere; vno tantum Ioanne Auentino, viro accuratissimo & doctissimo, excepto, quem honoris ergo hic nominare volui. qui huius & multarū præterea rerum veritatem attigisse visus est, à cæteris omnibus tanquam sibi vno agmine incognitas, præterita. omnes enim, vbi sese occasio offert, non cessant historicos Italos carpere & lacerare, tanquam ineptos, negligentes, & mendaces, & præsertim quum in rebus Germanicis tradendis laborant. Quasi hoc vnum sibi ipsis proposuerint, propriis domesticisque actionibus relictis, rebus tantum Germanorum tradendis vacare: ipsi vero adeo diligentes & accurati rerum suarum scriptores, tam fœde omnes lapsi sint, in re Germanica, & omnium quidem nobilissima tradenda, quæ apud omnes veteres historicos apertissima esse, vel cæco videri possit. omitto errores innumeros, dictorum inconstantiam, contradictiones, quas in genealogiis suorum principum describendis habent, in enarrationibus actionum eorundem principum, ciuitatum, & prouinciarum. Hæc omnia autem missa faciam, quod forte illis obscura esse potuerunt. quamuis nullam excusationem admittere non deberem: sed in hac re tam nobili, graui, cognitu non solum digna, sed plane necessaria cui tot historiarum actiones nituntur, ex cuius ignoratione infiniti errores in dies oriūtur, qua cognita multæ historiæ explicantur & illustrantur, quæ ex vetustis ipsis Germanicis historiis apertissime colligitur, ab eis neglecta est & ignorata, atque absque aliqua diligenti examinatione præterita: & nēpe à quibus à Crantzio, Cuspiniano, & Munstero, viris alioqui doctissimis & diligētissimis, qui ex instituto Imperatorum vitas descripserunt: ab Eirenico, qui rerū præcipue Germanicarum magnum centonem edidit, & ab omnibus demum qui historias Germanicas nostris vel auorū tempo-

temporibus conscripserunt. Hæc autem non, vt clarissimis viris & tanquam literarum sideribus & de omni disciplinarum genere benemeritis ac iam diu vita functis conuiciarer, dixi: sed vt omnes homines sciant ignoscere iis, qui cum quod potuerunt præstiterint pro laudibus maledicta, & debitis honoribus sæpe iniurias referunt. Sed iis iam querelis omissis institutum nobis propositum aggrediamur. Omnes igitur hoc vnum sentiunt, VII Imperii Electores à Gregorio V. institutos fuisse, sub tertii Othonis principatu. Quod falsissimum esse, eosque trecentesimo anno post in ordinem hunc redactos fuisse, post Friderici II Imperatoris obitum, nunc demonstrabo. atque inter tempora Henrici I & Friderici II Imperatorum, eundem obseruatum fuisse morem in Romanorum principum comitiis, quem ante Othonem III, nullamque sub tertio Othone nouam factam fuisse eligendi Imperatoris institutionem, sed eandem omnino fuisse in iis qui post eum fuerunt Augustis, quæ ante eius creationem fuerit, ab obitu vsque Hludouici IV, filii Imp. Arnulphi. Quo temporum interuallo hoc semper obseruatum fuit, vt rex Germaniæ, vel Imperator, ab omnibus saltim regni Germanici principibus tam ecclesiasticis quam sæcularibus, qui ideo *Imperii principes* appellabantur, eligeretur. Ad quam rem demonstrandam non nisi grauissimos & accuratissimos Germanicarum rerum Germanos historicos citabo: rationesque adducam, quibus meum institutum aperte probari poterit. Quæ omnia vt accuratius explicari possint, commodissimum erit, primo enarrare qui fuerint ii principes, quorum suffragiis ante tertii Othonis tempora Imperatores creari solebant: quum sine controuersia ab omnibus affirmetur, non hos VII fuisse Electores. Hi igitur erant, Romanus Pontifex; qui id per legatos suos Cardinales facere solebat: Italiæ aliquot sæculares principes, vt comes Taurini, Marchio Mõtisferrati, & alii quidam: omnes Germaniæ Principes tam laici quam ecclesiastici, videlicet abbates aliquot, episcopi, & archiepiscopi, quotquot ex iis comitiis adesse volebant, & cæteri omnes Germani comites, marchiones & duces. Quæ ita fuisse, testimonio est ante omnes vetustissimus scriptor rerum Germanicarum, Vitichindus monachus. homo Germanus, qui lib I de gestis Othonis primi Imperatoris, sub quo vixit, quum de Chunradi primi electione, qui re-

gio genere Caroli Magni Imp. in Hludouico IV Arnulphi filio extincto, rex Germaniæ in eius locum factus est, loquitur, ita ait: *Regi autem Hludouico mortuo non erat filius, omnisque populus Francorum atq; Saxonum quærebat Othoni diadema imponere regni: ipse vero quasi iam grauior, recusabat Imperii onus: eius tamen consultu Chunradus quondam dux Francorum vngitur in regem, penes Othonem tamen summum semper & vbique vigebat Imperium, &c.*

Luitprandus quoque Ticinensis lib. II rerum suo tempore per Europam gestarum, capite VII. *Hac autem* (inquit) *tempestate Hludouicus rex moritur. Chunradus ergo Francorum ex genere oriundus, vir strenuus, bellorumque exercitio doctus, ex cunctis à populis ordinatur. Sub quo potentissimi principes, Arnoldus in Baioaria, Burcardus in Sueuia, Euerhardus comes potentissimus in Francia, Gisilbertus dux in Hlotharingia erant: quos inter Henricus Saxonum & Thuringorum dux prapotens clarebat, &c.*

Otho episcopus Frisingensis lib. VI. cap. XVI. Historiarum suarum: *Anno* (inquit) *ab incarnatione Domini DCCCCXIII. Chunradus, Chunradi quem Albertus occiderat filius, consilio præfati ducis Othonis, consensu omnium Orientalis Francia rex creatur. Hunc quidam Hludouici fratris filium fuisse dicunt, & ob hoc nouissimum eum Carolorum ponunt, &c.*

Abbas vero Vrspergensis sic ait: *Regi autem Hludouico quum non esset filius, post mortem eius omnis populus Francorum atque Saxonum, quærebat Othoni diadema imponere regni: sed ipse quasi iam grauior, recusabat onus Imperii: eius tamen consultu Chunradus quondam dux Francorum, filius illius Chunradi quem Adelbertus occidit, vngitur in regnum, &c.* vt Vitichindus.

De electione autem Henrici primi ad regnum Germaniæ, Luitprandus libro secundo cap. VII loquens ait: *Septimo regni Chunradi anno, vocationis mea ad Dominum tempus cognouit. quumque memoratos principes se adire fecisset, solummodo Henrico absente ita conuenit: Ex corruptione ad incorruptionem, ex mortalitate ad immortalitatem vocationis mea tempus agnosco, & vt cernitis præsto est. Proinde pacem atque concordiam vos sectari, etiam atque etiam rogo. Me hominem exuente, nulla vos regnandi cupiditas titillet, nulla præsi-*

præsidendi ambitio inflammet. Henricum Saxonum & Thuringorum ducem prudentissimum, regem eligite, Dominum constituite. Is enim est & sapientia pollens, & iustæ severitatis censura abundans. His itaque prolatis, propriam coronam, non auro, quo cuiuscunque ordinis pene principes pollent, verum gemmis pretiosissimis non solum ornatam, sed grauatam, sceptrum & cuncta quæ regalia sunt indumenta, in medium venire præcepit, & prout valuit huiusmodi verba effudit: Hæredem regiæque dignitatis vicarium, regalibus meis ornamentis Henricum constituo: cui vt obediatis, non solum consulo, sed etiam oro. Quam iussionem mox sequitur interitus, & interitum est obedientia prosequuta. Ipso nanque mortem obeunte, memorati principes coronam cunctaque regalia indumenta Henrico duci contulerunt, atque vt rex Chunradus dixerat, cuncta per ordinem narrauerunt. Qui regiæ dignitatis culmen prius humiliter declinauit, ac paullo post non ambitiose susceptit, &c.

Vitichindus quoque libro de gestis Imp. Othonis Magni: *Rex* (inquit) *Chunradus profectus in Baioariam, dimicauit cum Arnulpho, & ibi* (*vt quidam tradunt*) *vulneratus, reuertitur in patriam suam. Quumque se morbo sensisset laborare, pariter cum defectione primæ fortunæ vocat fratrem, qui eum visitandi gratia adierat. Quem ita alloquitur: Sentio, inquit, frater diutius istam vitam me tenere non posse, Deo qui ordinauit ita imperante, grauiq; morbo id cogente. quapropter considerationem tui habeto, & quod ad te maxime respicit Francorum toti regno consulito, attendendo fratris tui consilio. Sunt nobis frater copiæ exercitus congregandi atq; ducēdi. sunt vrbes & arma cum regalibus insigniis, & omne quod decus regium deposuit, præter fortunam atque mores. Fortuna, frater, cum nobilissimis moribus Henrico cedit: rerum publicarum sectus Saxones summa est. Sumptu igitur his insigniis, lancea sacra, armillis aureis, cum chlamyde, & veterum gladio regum, ac diademate, ito ad Henricum, facito pacem cum eo, vt eum fœderatum possis habere in perpetuum. Quid enim necesse est, vt cadat populus Francorum tecū coram eo? Ipse enim vere rex erit, & Imperator multorum populorum. His dictis frater lacrimans, se consentire respondit. Post hæc autem ipse rex moritur, vir fortis & potens, domi militiæque optimus, largitate serenus, & omnium virtutum insigniis clarus, se-*

petiturque in ciuitate sua Quidelingaburg, cum mœrore ac lacrimis omnium Francorum. Vt ergo rex imperauit, Euerhardus adiit Henricum, seque cum omnibus thesauris illi tradidit, pacem fecit, amicitiam promeruit, quam fideliter familiariterque vsque ad finem obtinuit. Denique congregatis principibus & natu maioribus exercitus Francorum, in loco qui dicitur Fridisleri, designauit eum regem coram omni populo Francorum atque Saxonum. Cumque ei offerretur vnctio cum diademate, à summa Moguntina sedis pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non sppeuit, nec tamen suscepit: Satis (inquiens) mihi est, vt pro maioribus meis rex dicar & designer, diuina annuente gratia, ac vestra pietate: penes meliores vero nobis vnctio & diadema sit, tanto honore nos indignos arbitramur. Placuit itaque sermo iste coram vniuersa multitudine: & dextris in cœlum leuatis, nomen regis cum clamore valido salutantes frequentabant. Hoc autem ordine rex factus fuit Henricus dux Saxonum, &c.

Regino autem monachus & abbas Prumiensis, vel is qui eum suppleuit antiquus scriptor chronici illius vniuersalis, lib. II: *Anno* (inquit) *Dominicæ incarnationis DCCCCXX, Henricus dux, consensu Francorum, Alemannorū, Bauarorum, Thuringorum & Saxonum, rex eligitur, qui initium sui regni disciplina seruandæ pacis inchoauit, &c.*

Eadem referunt abbas Vrspergensis, & Sigebertus monachus Gemblacensis in Chronicis, quæ ab orbe condito ad tempora sua perduxit. Vixit autem ante annos quadringentos & quinquaginta. Ait vero: *Chunradus rex moriens, coram Principibus regni regem designat Henricum, filium Othonis Saxonum Ducis, &c.*

Ea quoque Imperii comitia, quibus Otho Magnus Henrici filius, rex creatus est, subiicere placuit, quod etsi adeo libera non fuerint quod patre viuente designatus sit, tamē post Henrici mortem habita fuerunt, vt qua ratione facta fuerint cognoscatur, & qui mos per ea tempora in regum coronatione siue inauguratione vsurpari solebat, intelligatur.

Luitprandus libro IV capite VII. *Eo tempore* (inquit) *rex Henricus in castello quod est inter Thuringorum & Saxonum confinia, & dicitur Himeleuna, grauissima valetudine correptus, migrauit ad Dominū. Cuius corpus in Saxonia deportatum, in Quintelingaburch monasterio repositum est. Cuius filii*

Othonis

Othonis potentia mundi partes Aquilonaris & occidua reguntur, sapientia pacificantur, religione latantur, iustique iudicii seueritate terrentur, &c.

Vitichindus quoque in principio libri II de gestis Othonis Imp. ait: *Defuncto itaque patre patriæ, & regum optimo Henrico, omnis populus Francorum atque Saxonum, iam olim designatum regem à patre filium eius Othonem elegit sibi in principem. vniuersalisque electionis notantes locum, iusserunt ad Aquisgrani palatium. Quumque illo ventum esset, duces ac Prefectorum principes, cum cætera principum militum manu congregati, in sistorio basilica Magni Caroli cohærenti, collocarunt nouum ducem in solio ibidem constructo, manus ei dantes, ac fidem pollicentes, operamque suam contra omnes inimicos spondentes, more suo fecerunt eum regem. Dum ea geruntur à ducibus & cætero magistratu, pontifex Maximus cum vniuerso sacerdotali ordine, & omni plebe infra in basilica præstolabatur processionem noui regis: suaque dextra lituum gestans, linea indutus stola, planetaque insulatus, progressusque in medium vsque fani subsistit, & reuersus ad populum qui circumstabat (nam erant deambulatoria infra supraque in basilica illa in rotundum facta, quo ab omni populo cerni posset) En (inquit) adduco vobis à Deo electum, & à Domino rerum Henrico olim designatum, nunc vero à cunctis principibus regem factum Othonem: Si vobis ista electio placeat, dextris in cœlum leuatis significate. Ad hæc omnis populus dextras in excelsum leuans, cum clamore valido imprecati sunt prospera nouo duci. Proinde procedit Pontifex cum Rege, tunica stricta more Francorum induto, pone altare, super quod insignia regalia posita erant, gladius cum balteo, chlamys cum armillis, baculus cum sceptro ac diademate: eo quippe tempore erat summus pontifex Hildebertus nomine, Francus genere, monachus professione, nutritus vel doctus in Fulda monasterio, & ad id honoris merito progrediens, vt pater eiusdem loci constitueretur, deinde summi pontificatus Mogunciacæ sedis fastigium promeruerat. Et quum quæstio esset Pontificum in consecrando rege, Treuerensis videlicet, & Coloniæ Agrippinæ: illius, quia antiquior sedes esset, & tanquam à B. Petro apostolo fundata: istius vero, quia eius ad diœcesim pertineret locus, & ob id sibi conuenire arbitrati sunt huius consecrationis honorem. Cessit tamen vtrique eorum*

Hildeberti cunctis notæ sanctitati. Ipsi autem accedens ad altare, & sumpto inde gladio cum balteo, conuersus ad regem ait: Accipe hunc gladium, quo eiitias omnes Christi aduersarios, auctoritate diuina tibi tradita omni potestate totius Imperii Francorum, ad firmissimam pacem omnium Christianorum. Deinde sumptis armillis ac chlamyde, induit eum: His cornibus humerotenus demissis (inquit) moneris, quo telo fidei seruas, & in pace tuenda perducere vsque in finem debere. Exinde sumpto sceptro, baculoque: His signis (inquit) meritos paterna castigatione subiectos corripias, primumque Dei ministris, viduis ac pupillis manum misericordiæ porrigas, nunquam de capite tuo oleum misericordiæ deficiat, vt in præsenti & in futuro seculo sempiterno præmio coroneris. Perfusus itaque oleo sancto, & coronatus diademate aureo ab ipsis pontificibus Hildeberto & Vuichfrido, ac omni legitima consecratione completa ab iisdem Pontificibus ducitur ad solium, ad quod per cocleas ascendebatur, & erat inter duas marmoreas mirę pulchritudinis columnas constructum, vnde ipse omnes videre, & ab omnibus ipse videri posset: diuina deinde laude dicta, sacrificioque solemniter celebrato, descendebat rex ad palatium, & accedens ad mensam marmoream regio apparatu ornatam, resedit cum Pontificibus & omni populo. Duces vero administrabant: Hlotharionum dux Giselbertus, ad cuius potestatem locus ille pertinebat, omnia procurabat: Euerhardus mensæ præerat; Herimannus Francus pincernis, Arnulphus equestri ordini, & eligendis locandisque castris præerat: Sifridus vero Saxonum optimus, & à rege secundus, gener quondam regis, tunc affinis, eo tempore procurabat Saxoniam. Rex autem post hæc vnumquemque principum iuxta munificentiam regalem congruenti sibi munere honorans, multitudinem dimisit, &c.

Regino vero Prumiensis abbas, vel qui eum suppleuit antiquus Auctor: Anno Dominicæ Incarnationis (inquit) C ∞ XXXVI, *Henricus rex pacipuus pacis sectator, strenuusque paganorum insequutor, post plures fortiter, & viriliter actas victorias, dilatatis vndique regni sui terminis, VI nonas Iulii diem clausit extremum, cui filius suus Otho consensit primorum regni successor eligitur.*

Otho autem Episcopus Frisingensis libr. VI. capit. XIX Historiæ suæ sic ait: *Anno ab incarnatione Domini* D CCCCXXXVI. *Otho Henrici filius patri nobilis hæres*

in

in regno succedens, in palatio Aquis à Moguntino archiepiscopo Hildeberto coronatur. Idem abbas Vrspergensis & Sigibertus Gemblacensis.

Comitiorum vero, quibus secundus Otho, à patre Othone primo Imperatore renuntiatus fuit, meminit antiquus auctor qui Reginonē suppleuit, his verbis: *Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXI, Rex in Italiā ire disponens, maximā suorum fidelium multitudinem Vormaciæ coadunauit: vbi consensu & vnanimitate regni procerum, totiusq; populi, filius eius Otho rex eligitur. Indeq; progrediens, connumtia quoque & electione omnium Hlotharienſium Aquis rex ordinatur. Ordinato vero filio pater in Saxoniam rediēs, dispositis regni negotiis, filiū Vilhelmo archiepiscopo, tuendum & nutriendum cōmisit.*

De electione vero tertii Othonis, qui patre secundo Othone Imperatore mortuo, rex renuntiatus est, mentionē facit Sigebertus Gēblacensis his verbis: *Anno Do. DCCCCXXCIII, Otho Imperator tædio & angore animi deficiens, Romæ moritur: & de Imperatore substituendo inter primates dissentitur, aliis filio ipsius Othoni III imperium deberi certantib. aliis alio Imperatricis à filio eius imperium transferre volentib. ad Henricum ducem filium Henrici, qui fuit frater primi Othonis. His Henricus ipsum Othonem puerum factiose raptum in custodiam tenet: sed principes puerum de manu Henrici extorquentes, in regno sublimant, &c.*

Clare & manifeste ex tot veterum & grauissimorum auctorum locis videri potest, quomodo ab omnibus Germaniæ proceribus, tam reges Germani quam Imperatores renuntiati fuerint, inter Hludouici IV regis obitū, & Henrici I Imp. creationem. Quam certe cōsuetudinem adhuc post Othonis III Imp. mortem multis annis in Germania perdurasse, nunc demonstrabo: qua ratione fiet, vt VII Imperii Electorum institutio nullo modo sub hoc Othone III Imp. à Gregorio papa v inuenta esse possit. Quod antequā multis veterum rerum Germanicarum accuratissimorum scriptorū testimoniis demonstrē, id primo rationibus in medium adductis conuellendum esse existimo. Nam ante Friderici II fortissimi Imp obitū, qui anno Chr. ∞ CC L excessit, nullus eorum scriptorū, quorum testimonia mox citabo, de hac electionis vel electoris voce, siue officio vnquam mentionem facit, nec cum conuentus Imperiales, quos Diætas vocant, nec etiam cum comi-

tia ipsa Imperii describit. Quod si tunc hoc munus vel etiam vocabulum fuisset, illud profecto nō reticuissent veteres scriptores, saltim vbi occasio sese offert loquendi de eis VII Germaniæ principib. qui postea his titulis insigniti sunt. Omnia enim Imperatorum comitia ab omnibus Imperii siue regni principibus, siue sacris siue profanis, fieri solita esse describunt: inter quos non tantum referunt VII illos principes, sed & omnes alios Germaniæ proceres. Illud etiam multum refert, quod cum in Imperatorum comitiis multorum principum mentio sit, nunquam tamen marchionis Brandeburgēsis, vel comitis Palatini Rheni mentionem fieri inueni: quum cæteri episcopi, duces & principes nominentur. Quod si hi duo ex VII præcipuis fuissent, negligentes profecto fuerunt tot historici, qui eos ita silentio præterierint. qui adeo diligentes esse solent, vt quum aliquando nimii sint, fastidium lectoribus faciant: dum, vbi Imperator singulis noctibus pernoctauerit, vbi Pascha, Pentecoste, Natale & Quadragesimam singulis annis transegerit, scribunt, rem vero tanti momenti tacuerunt. Itaque cum nullus nec Germanus nec Italicus, nec cuiusuis gentis auctor, qui tamē ante Friderici II obitum vixerit, vel verbum quidem de hac re faciat: profecto necesse est, vt longo tempore post Othonis tempora hoc institutum fuerit, nempe post Friderici II obitum, vt me demōstraturum arbitror. Illud etiam adde, quod huius institutionis nullus vnquam auctor meminit, qui vitas vel Gregorii V, vel ipsius Othonis III scripserit, qui tamen ante Friderici II Imp. tempora vixerit: quod indignum profecto fuisset, rem tanti ponderis omissam esse, ab his præsertim auctoribus, qui vitas eorum accuratissime scripserūt: à quibus, Gregorium V papam, Othonem III coronasse tantum inscribitur. Ad hæc eius pontificis adhuc extat in basilica principis Apostolorum sepulchri elogium, in quo omnia ipsius præclare gesta breuissime enumerantur, de hac vero institutione nulla mentio est: digna alioqui, quæ non omitteretur ab auctore eius epitaphii, quod est:

Hic quem tegit humus oculis vultuque decorum
Papa fuit quintus nomine Gregorius;
Ante tamen Bruno Francorum regia proles
Filius Othonis de genetrice Iudith
Lingua Teutonicus, Vuangia doctus in vrbe

Sed

Sed iuuenis cathedram sedit Apostolicam
Ad binos annos, & menses circiter octo,
Ter senos Februo connumerante dies.
Pauperibus diues per singula sabbata vestes
Diuisit numero cautus Apostolico.
Vsus Francisca, vulgari, & voce Latina
Instituit populos eloquio triplici.
Tertius Otho sibi Petri commisit ouile,
Cognatis manibus vnctus in Imperium.
Exuit & postquam terrena vincula carnis
Æquinoci dextro substituit lateri.

DECESSIT XII. CAL. MARTII.

Illud deinde considerandum, quod rex Boemiæ, quem propter regiam dignitatem VII. Electorem factum scribunt (tanquam, si aliqua inter æquales Electorum partes controuersia orta esset, in legendo Imperatore, compositorem) tunc dux erat: nec nisi longo tempore post regiam adeptus est dignitatē. de quo mirum, quod in nullis imperialibus comitiis ante Fridericum II. vnquam mentio est apud quenquam scriptorem, quum cæteri fere omnes principes nominentur. Postremo in schismate Imperii, quod inter Philippum Sueuū, Friderici Ahenobarbi Imp filiū, & Othonem IIII. exortum est, omnes principes referuntur, qui vtrorumque comitiis interfuerunt: quo tēpore archiepiscopus Moguntinus Chunradus in Syria erat, nullusque omnino eorum sæcularium principum recensetur, qui nunc Electores dicuntur, nec quenquam illorum quid pro potestate egisse scribitur: sed vtrorumque comitia ab iis potissimum Germaniæ principibus habita fuisse narratur, quorum nullus nostra ætate electionis ius, vel Electoris titulum habet. Hæc autem vix ante CCCL. abhinc annum facta sunt, trecentesimo videlicet post Othonis III. Imperatoris obitum anno. Quibus rationibus adductus, mihi persuasi, hanc VII. Imperii Electorum institutionem lōge post Gregorii papæ V. & Othonis III. Imperatoris tempora exortam fuisse.

Sed age examinemus singulas deinceps Imperatorum electiones, quæ post Othonis III. Imp. obitum fuere: videamus-

que à quibusnam, & qua ratione Imperatores ipsi renuntiati fuerint. ac primo recenseamus, quid veteres auctores de Henrici II regis, & primi Imperatoris (quem primum VII Electorum tantum suffragiis renunciatum fuisse historici reconciliores scribunt) comitiis referunt.

Otho episcopus Frisingensis, qui ante annos quadringentos vixit, libro Historiarum suarū VII, capite XXVII. *Anno* (inquit) *ab incarnatione Domini* ∞ *primo. mortuo sine herede Othone* III, *Henricus patre Hezilone, natione Noricus, eiusdemque gentis dux, ab omnibus regni primoribus electus* LXXXVII *ab Augusto rex creatur. Hic multis in Germania, Boemia, Italia, Apulia fortiter ac prospere gestis bellis, postremo episcopatum Bābergensem fundauit, &c.*

Abbas Vrspergensis: *Anno Domini* ∞ I, *Henricus* II *primum dux Baioariæ, deinde Othone* III *absque filiis defuncto, in regni prouectus culmine,* LXXXIV *loco ab Augusto, regnum accepit: & annis* XXIII, *ac mensibus* V *regnauit,* XII *annis sub nomine regis,* XI *dignitate & nomine Imperatoris. Hic in regni sede sublimatus, quum Henricum marchionem, alioſq; in initio regni sui sibi resistentes superasset, Italiam, ac Boemiam, & Bolizlaum cum omni gente Sclauorum subiugasset, data sibi requie à Domino, episcopatum Babimbergensem fundauit, &c.*

Sigebertus vero Gemblacensis: *Otho Imperator* (inquit) *degens Romæ, dum cum Romanis seremissius agit, tractans qualiter iura regni & ecclesiæ ad antiquum statum reformaret: Romani per hoc ad contemptum eius adducti, subito contra eum conspirant: & aliquot militum eius peremptis, eum in palatio obsident. vnde per industriam Henrici ducis Baioariæ, & Hugonis marchionis Italiæ simulato pacto vix extractus, Roma decedit cum Siluestro papa: & quia vxor Crescentii Imperatorem spe regnandi ad amorem sui pellexerat, dolens pro eius discessu venenum ei misit: quo ille consumptus inter remeandum in Italia moritur. Milites autem Transalpini, corpus Imperatoris defuncti cum insignibus Imperii ad Galliam referentes, crebris Italorum insursibus lacessiti, armis sibi viam parant: sed quum iam res in tuto esse putaretur, dux Baioariæ Henricus inuriato Heriberto Colonienſium archiepiscopo, à cuius ore omnes pendebant, insignia regni ab eo violenter extorsit, quasi iure hereditario sibi competentia. Erat quippe*

filius

filius Henrici ducis, qui fuit genitus de Henrico fratre primi Othonis Imperatoris. Henricus ergo dux, conciliatis sibi animis quorundam principum regni, vngitur in regem à Villigiſo Moguntino archiepiſcopo, & imperauit annos XXII, *&c.*

Lambertus quoque Schafnaburgenſis, monachus Hirſueldenſis, homo Germanus, qui ante annos quingentos hiſtoriam rerum ab Imperatoribus Henricis II & III geſtarum ſcripſit, cum de Henrico Imp. primo loquitur, ait: *Anno Dom.* ∞ II, *Otho* III *Imp. obiit. cui Henricus Baioariæ ſucceſſit. Egginhartus marchio, regni vſurpator, Palodi occiſus eſt. Plerique principes a rege deficiunt: ſed poſt modicum correpti, in gratiam recipiuntur, &c.*

Credi igitur, vel coniici poteſt, ex ſuperiorum ſcriptorum teſtimoniis, Imp. Henricum I, VII Electorum ſuffragiis renunciatum fuiſſe? Minime omnium. Sed videamus, quid de Imperatore quoque Chunrado I ſcribant, qui ſtatim mortuo Henrico primo, in eius locum Imperator vel rex Germaniæ creatus fuit.

Otho Friſingenſis lib. VI capite XXVIII: *Anno* (inquit) *ab Incarnatione Domini* ∞ XXV, *defuncto ſine filio Henrico, Chunradus, natione Francus, conſilio anteceſſoris ſui, cuius tamen dum adhuc viueret, gratia carebat, ob omnibus electus,* LXXXVIII *ab Auguſto regnum ſortitur.*

Abbas vero Vrſpergenſis ait: *Anno Dominicæ incarnationis* ∞ XXV, *Chunradus ex regni primoribus vnus, ſed regno antea per rebellionem aduerſus, principibus pro eius electione diſſidentibus: Aribone autem Moguntino archiep. & Eberhardo Babembergenſi præſule ſibi fauentibus* LXXXV *loco ab Auguſto regnum ſuſcepit, &c.*

Sigebertus autem: *Anno* (inquit) *Dom.* ∞ XXIV, *Henricus Imp. conſulentibus ſibi principibus ſuper ſubſtitutione regni, Chunradum virum egregii generis, & egregiæ libertatis, quippe qui nunquam ſe ſubmiſerat alicuius ſeruituti, moritur. Cono vero dux præpotens, quum ad Imperium aſpirare vellet, repudiatur inſtinctu Abbonis Moguntini archiepiſcopi, & aliquot regni primatum, & Chunradus ad Imperium ſublimatus, imperauit annis* XV. Nec plura Lambertus dicit.

Eſt ne in his quoque comitiis aliqua Electorum mentio? poteſtne ex his dictis, eos ſaltim fuiſſe coniici? Quid epicopo Babimbergenſi cum noſtræ ætatis Electoribus, cuius

& Aribbonis Moguntini archiepiſcopi ſtudiis, Chunradum hunc potiſſimum Imperatorem vel regem creatum fuiſſe, ſcribit abbas Vrſpergenſis.

In comitiis quoque Imperii, quibus Henricus III Imp. Chunradi huius filius, rex renuntiatus eſt, quæ patre viuente, & procurante ſunt habita, nulla vnquam Electorũ VII mentio eſt apud hos ſcriptores, quibus diligentiores adhuc nullos inueni, qui tantum regni principum meminerũt, quo tempore Dux Boemiæ rebellis erat: tantum abeſt, vt electionis iure Imperii ardua hæc negotia tractaſſet.

De electione quoque Henrici III Imperatoris, qui patre Henrico II viuente rex appellatus fuerat, ſic ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis, qui eo tempore viuebat: *Anno Domini* ∞ LIII *Imp. Henricus* II *natalem Domini Polethæ celebraut, vbi filio ſuo Henrico adhuc catechumeno principes regni ſub iuramento fidem promittere fecit.* Quod ſi quis clarius & apertius hæc videre vellet, legat eiuſdem Lamberti Hiſtoriam, vbi electionem Rodulphi ducis Sueuorum deſcribit, qui rex Germaniæ in ſchiſmate contra Henricum III à principum Imperii parte renuntiatus fuit: quibus comitiis præter multos Germaniæ principes cum ſacros tum profanos, interfuerunt quoque duo Gregorii papæ VII legati cardinales. Inquit autem: *Interea Moguntinus, Vuirceburgenſis & Metenſis epiſcopi, Rodulphus Welf, Berdolphus duces, & alii plerique ex principibus Teuthonicis conuenientes, tractare de vtilitatibus reip. ſtatuerunt: vt principes Saxoniæ, & omnes quibuſcunque Reſp. cura foret,* III *Idus Martii in Forcheim occurrerent, & communi conſilio quid facto opus eſſet decernerent: præſertim cum per ab entiam regis tranquillis rebus tempus opportunum deliberationibus ac conſultationibus nacti fuiſſent. Romano quoque pontifici ſcripſerunt, vt quoniam in purificatione ſanctæ Mariæ Auguſtam, iuxta conditum, dolo regis præuentus occurrere non potuerat, ſaltim in Forcheim ſtatuta die præſto eſſe ſatageret & ſedandis bellorum ciuilium tempeſtatibus, quibus tam diu periclitaretur Reſp. apoſtolici moderaminis gubernaculum adhiberet. Qui vnum ex cardinalibus epiſcopis Romanæ eccleſiæ, Gregorium nomine, & alios, quos ei negocio idoneos arbitrabatur, ad regem Henricum miſit, qui ei dicerent: tempus eſſe, vt promiſſa compleret. Conuentu-*

uenturos in Forcheim III Idus Martii Principes Teuthonici regni; ad componendum statum Reip. Veniret ergo, vt pollicitus fuerat; & ipse ad conuentum. Legatis autem mandata perferentibus, ille dissimulatis mediocriter his quæ animo agitabat, respondit: se post acceptum regnum hac primum vice Italiam intrasse, & ideo multis nunc & magnis reipublicæ negotiis implicitum; non posse tam cito infectis rebus prouincia excedere quia si id faceret, Italos, quos longo tempore anxia aduentus sui expectatione suspendisset; grauissime offenderet. In hac & alia præterea multa verba legatos dimisit. Papa autem certior iam factus de immutatione animi eius, & cæteris rebus quas ad eum iampridem fama detulerat, misit protinus Bernardum abbatem de Massilia, item alium Bernardum S. R. E. diaconum cardinalem, vt principibus Theutonici regni, qui, vt supra dictum est, III idus Martii in Forcheim conuenturi erant, occurrerent, eosque per ordinem ea quæ gesta erant edocerent. Se iuxta placitum dedita opera enixum fuisse, vt die & loco statuto, communibus sanctæ ecclesiæ vtilitatibus tractandis præsto esset. Sed Henrici diligentia ita circumuentum, & omnes per quas transitus esse potuisset itinerum angustias præoccupatas, vt nec tuto in Germaniam progredi, nec tuto Romam regredi valeat. Proinde monere eos, vt suis interim rebus, & regno Francorum, quod diu iam vnius hominis puerili lenitate vexetur, quaqua possint ratione moderentur: donec, si Deus velit, adempta itineris difficultate, ipse venire, & collatis in medium consiliis, quid vtilitati, quid honestati omnium, quid paci ecclesiasticæ expediat, secundum ecclesiasticas leges decernere possit. Et hic historiæ finis est, quam Lambertus ipse, vsque ad electionem Rodulphi in regem, se perduxisse scribit. qui à superius relatis principibus in Forcheim rex creatus fuit, in schismate cõtra Henricum regem.

Porro autem hanc historiam sequitur abbas Vrspergensis, his verbis: *Anno Domini* ∞ LXXVII, *Rodulphus indigena Sueuiæ, quæ regalibus omnino stemmatibus est aliena, mediantibus Sigefrido Metropolitano, & Adalberone Wirciburgensi episcopo, Bertholdo quoque duce Carinthiæ, ac prædicto Othone, aliisque nonnullis principibus, in præsentia quorundam Romanæ sedis legatorum non voluntarie annuentium, apud Forcheim in regẽ eleuatur, à quibus etiã dedu-*

ctus Moguntiam, in media Quadrageſima XVI *Cal. Apr. à Sigefrido epiſcopo in regem vngitur, &c.* Si igitur tantum fuerunt VII Electores Imperii, quod ius hoc tempore habebant in Imperatore del gendo Virciburgenſis & Metenſis epiſcopi? quod Bertholdus dux Carinthiæ? Quod Otho olim dux Baioariæ, quum nondum (ex Munſteri ſententia) dux Bauariæ Palatinus Rheni eſſet? quod cæteri principes? Alia igitur hoc tempore fuit eligendi Imperatoris ratio, diuerſa ab ea quam poſteriores ſcriptores ſomniarunt. Quod etiam confirmatur in electione Henrici IV Imperatoris, & abrogatione Hen. III, pro qua, Mogunciæ LII Imperii principes congregatos fuiſſe, nullumque defuiſſe, excepto duce Saxoniæ Magno, ſcribitur Quo loco aperte liquet, an VII Electores, vel omnes Imperii proceres, abrogato Henrico III, ſuffecerint eius filium Henricum IV.

Videamus itaque, quid de hac re ſcribat Otho Friſingenſis, qui libro VII Hiſtoriæ ſuæ, capite XL. ſicait: *Anno ab incarnatione Domini* ∞ CVI *in natali Domini, maximus conuentus principum Mogunciæ factus eſt: vbi ſuperuenientes Apoſtolicæ ſedis legati, anathema à Romanis pontificibus in Imperatorem factum, manifeſte omnibus qui aderant promulgabant. Ea propter dum ipſe in caſtro quodam poſitus, ac cuſtodiæ mancipatus audientiam peteret, principes ſeditionem vulgi timentes, ei apud Ingelheym occurrunt. ibique multis modis commonitum, vel iuxta alios circumuentum ac coactum inſignia regni reſignare ac filio mittere,* XLIX *regni ſui poſt mortem patris, Imperii* V *anno, perſuadent. Reuerſi ad filium optimates, Imperialia deferunt: eumque primo à patre electum, per impoſitionem manus Apoſtolicæ ſedis legatorum, cunctorumque electione,* LXXXV *ab Auguſto regem creant: Anno, vt dixi,* ∞ CVI.

Abbas vero Viſpergenſis rem latius declarat, his verbis: *Anno Domini* ∞ CVI *mediante Henrico iuniore, tantus apud Mogunciam factus eſt in natali Domini co totius regni Theutonici conuentus, quantus per multa annorum curricula nunquam eſt viſus. Referunt enim qui aderant,* LII *ibi tunc optimates veleo amplius affuiſſe: ad o vt ſolus dux Saxoniæ Magnus nomine, quem tam grauior ætas impediebat, notaretur defuiſſe. Int ſuperuenientes Apoſtolicæ ſedis legati, epiſcopus ſcilicet Albanus, cum Corſtantienſi, ſententiam*

tiam anathematis in Henricum seniorem dictum Imperatorem, à tot sibi succedentibus Apostolicis sæpius sæpiusque promulgatam scriptis simul & dictis testificantes, vniuersam multitudinem, immo totam toto orbe diffusam ecclesiam ab eius communione sepositam confirmabant. Qua de causa quum ipse de castello quo manebat, Mogunciam se exhibere tentaret, principes propter cauendum tumultum vulgi, sua potius quam filii parti fauere solentis, ipsi Ingelheym occurrerunt: tandemque generali illum circumuenientes consilio: vsque ad reatus confessionem satisfactionisque professionem perducunt. Cui quum legati communionem seu pœnitentiæ modum absque generalis synodi & Apostolicæ discussionis censura reddere ad præsens non possent, ipse partis vtriusque consilius annuens, regalia vel Imperialia insignia, crucem scilicet & lanceam, sceptrum, globum atque coronam, filii potestati tradidit, prospera illi imprecans, illum primatibus multo fletu commendans. & extunc iuxta summi sacerdotis, totiusque eccl siæ decreta, sua consulturum animæ promisit. Hoc ordine Henricus illius nominis rex V, primum à patre, deinde ab vniuersis Germaniæ Principibus in regem iam secundo electus, ab Apostolicis quoque legatis per manus impositionem catholice confirmatus, acceptis tam ab episcopis quam laicis iuxta morem patriæ sacramentis, regnare cœpit, LXXXVIII *loco ab Augusto: Domini vero, vt dictum est,* ∞CVI. Idem refertur à Sigeberto, & reliquis Germanis scriptoribus.

Hic autem animaduertendum, Henricum hunc electum fuisse regem non à VII Electoribus: sed (vt abbas Vrspergensis, vel is auctor à quo ipse hæc decerpsit, quem per ea tempora vixisse constat) ab vniuersis Germaniæ principibus.

Videamus etiam quid de electione Hlotharii II. Imp. afferant, num VII Electorum meminerint? Robertus abbas Montis, qui Sigebertum suppleuit, huiusque Hlotharii tempore vixit, de eius electione verba faciens, ita scribit: *Anno Domini* ∞CXXV, *mortuo Imp. Henrico, corpusque eius Spiræ sepulto, proximo mense Augusto legati Apostolicæ sedis, & archiepiscopi, cum episcopis & optimatibus Imperii, ex condicto conuenientes Mogunciæ, consultant sibi & toti Romanorum Imperio, de substituendo rege. Hlotharius dux Saxonum, vir sapiens & industrius, ecclesiastico iuri deuotus, prapotens diuitiis & victoriis, omnium assensu eligitur. Hic*

mense Septembri cum eisdem legatis, duobus archiepiscopis, octo episcopis, multis abbatibus & cum eminentioribus aulæ regalis primatibus, Aquisgranum veniens, Dominica die Idibus Septem. à Friderico archipræsule Colonien si in regem benedicitur & vngitur, omni clero & populo festiuum Epinicium acclamantibus, &c.

Hoc autem loco scribitur, Hlotarium regem declaratum fuisse suffragiis legatorum Romani pont. duorum archiepiscoporum, octo episcoporum, ac cæterorum aulæ Palatinæ procerum: & non VII Electorum. Ita vt liquido pateat, an per hæc tempora fuerit eorundem magistratus. hoc idem iis verbis lib. VII, cap. XVII. confirmat Otho episcopus Frisingensis. ait enim: *Anno Dominicæ incarnationis* ∞ CXXV, *defuncto absque hærede Henrico rege* V, *Principes Moguncia conueniunt: ibique habito de successore consilio, quattuor regni optimates, Hlotharius dux Saxonum, Fridericus Dux Sueuorum, Leopoldus marchio Orientalis, Carolus comes Flandriæ, ad regnum designantur. Tamen Hlotharius natione Saxo, patre Gebehardo, voto omnium renitens valde, ac reclamans ad regnum tractus sub præsentia sedis Apostolicæ legati,* XXCIII *ab Augusto regnauit.* Libro vero I. cap. XVI, de gestis Friderici Ahenobarbi Imp. idem refert his verbis: *Igitur Albertus (nam id iuris, dum regnum vacat, Moguntini archiepiscopi ab antiquioribus esse traditur) principes regni in ipsa ciuitate Moguncia tempore autumnali conuocat: malorumque sibi à duce Friderico illatorum haud immemor, cum prædictus dux ad regnum à multis exposceretur, ipse Hlotharium ducem Saxonum, virum tamen ex probitatis industria omni honore dignum (plus familiari rei quantum in ipso erat, quam communi commodo consulens) in regem à cunctis qui aderant principibus eligi persuasit. quæ res laudabiliter facta, grauissimæ tamen scissuræ seminarium denuo fuit.* Eadem refert Abbas Vrspergensis. Comitia vero quibus Chunradus rex III Imp. II appellatus est, diligenter admodum explicantur ab eodem Othone, qui per ea tempora vixit. Is enim libro primo cap. XXII, de gestis Friderici Ahenobarbi Imperatoris: *Defuncto* (inquit) *Imp. Hlothario, ac in monasterio Lutre, quod in eius proprio fundo situm est, humato, principes regni apud Gallia oppidum Confluentiam, vbi Mosella Rhenum influit, conueniunt,*

& de

& de eligendo principe consilium ineunt. Igitur Chunradus Friderici ducis frater, ab omnibus qui aderant exposcitur, ad regnumque leuatus, in palatio Aquis coronatur. quod eo facilius fieri potuit, quod Imp. Henrici odium in mentibus plurimum iam deferbuerat, Albertusque Moguntinus archiepiscopus iam recenter viuendi finem fecerat. Accessit etiam ad huius negocii promotionem, quod Henricus Noricorum dux, pro nota superbia pene omnium qui in expeditione Italica cum Hlothario Imp. fuerunt, odium contraxerat, &c. Idem lib. VII historiarum capite XXII hæc propemodum his verbis refert: *Anno Domini* ∞ CXXVIII *defuncto in autumno sine filiis Imp. Hlothario, conuentus generalis principum Moguncia in proximo Pentecoste indicitur. Quidam autem ex principibus timentes, ne forte in generali curia Henricus dux, qui tunc præcipui & nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam præualeret, circa mediam Quadragesimam consilio habito in oppido Gallia Confluentia, conuentum celebrant, ibique Chunradum Imp. Henrici sororium, præsente Theodeuuino episcopo cardinali, ac S. R. E. legato, summi Pont. ac totius Rom. pop. vrbiumque Italiæ assensu promittente,* XXCIV *ab Augusto regem creant. qui mox ad palatium Aquis veniens, à prædicto cardinale (nam Colonienſis, qui id facere iure debuerat, nouiter intronizatus pallio carebat) cooperantibus Colonienſi & Treuerenſi archiepiscopis in regem vngitur. Proximum debinc Pascha Colonia celebraus, Moguntiam postea venit. At Saxones, & dux Henricus aliique qui electioni non interfuerant, Regem non legitime, sed per subreptionem electum calumniabantur. quibus omnibus in proximo Pentecoste generalis curia Babemberg indicitur. Itaque Chunradus R. Pentecosten & curiam in præfata ciuitate, vt cõdictum erat, cum maximo regni fastigio & maximo conuentu principum habuit, vbi omnes Saxones simul cum vidua imperatrice Richinza venientes, vltro se suæ ditioni subdidere. solus ex principibus dux Henricus regalia seruans aberat, ad quæ reddenda in festiuitate Apostolorum Petri & Pauli dies ei præfigitur Ratispona. quo veniens, regalia quidem multis illectus promissis reddidit, sed tamen ea minime consequutus, infecto pacis negocio, sine gratia eius recessit.*

Abbas vero Vrspergensis: *Anno Domini* ∞ CXXXVIII (inquit) *Hlotharius rex obiit, sine filiis, in autumno: dux*

vero Henricus, in cuius finibus obierat, regalia reseruauit, vt in generali conuentu principum, qui in proxima Pentecoste Moguncię indictus fuerat, præsentaret. Quidam vero ex principibus timentes, ne forte in generali curia, Henricus dux, qui tunc præcipui & nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam præualeret, circa mediam Quadragesimam consilio habito, in oppido Rheni Confluentia conuentum celebrant: ibique Chunradum fratrem Friderici, præsente Theodeuuino episcopo cardinali, regem creant. Cui primum Saxones & Dux Henricus, aliique qui eius electioni non interfuerunt, resistunt, calumniantes eum non legitime, sed per subreptionem electum fuisse. Quibus omnibus in proxima Pentecoste generalis curia Babemberg indicitur: quo Saxones omnes, simul cum vidua Imperatrice Richinza venientes, vltro se Chunrado regi subdidere. Henricus Dux regalia seruans aberat: ad quæ reddenda, in festum apostolorum Petri & Pauli Ratisponæ dies ei præfigitur. Quo veniens, regalia quidem multis illectius promissis reddidit: sed ad ea quæ vlterius inter eos tractanda erant, dies ei breui post Augusta præscribitur, &c. Nō aliena ab his dictis refert quoque Robertus Abbas Montis, qui Sigiberti Chronicon suppleuit.

Omnium vero clarissima sunt ea comitia Imperii, quibus Fridericus primus Ahenobarbus rex creatus fuit, ab Othone episcopo Frisingensi, qui iis interfuit, libro secundo capite primo de Gestis eiusdem Friderici Imp. descripta ait enim: *Anno ab incarnatione Domini ∞ CLII, decedente ab hac luce vernali tempore Bamberga pijssimo rege Chunrado, III nonas Martii, in oppido Francofurt, de tam immensa Transalpini regni latitudine vniuersum (mirum dictu) principum robur, non sine quibusdam ex Italia baronibus, tanquam in vnum corpus coadunari potuit: vbi quum de eligendo principe primates consultarent (nam id iuris Romani Imperii apex, videlicet non per sanguinis propaginem descendere, sed per principum electionem reges creare, sibi tanquam ex singulari vendicat prærogatiua) tandem ab omnibus Fridericus Sueuorum dux, Friderici ducis filius, petitur, cunctorumque fauore in regem sublimatur.* Et cap III: *Astrictis igitur omnibus qui illo confluxerant, fidelitate & hominio principibus, cum paucis, quos ad hoc idoneos iudicauit, cæterus in pace dimissis, rex cum multa iocunditate naues ingreditur:*

ingreditur; ac per Mogum & Rhenum nauigans, in villa regali Sinciche applicuit, ibi equos ascendens Aquisgranum venit. vbi sequenti die, id est, Dominica quarta Quadragesima, ab episcopis, à palatio in ecclesiam beatæ Mariæ semper virginis deductus, cum omnium qui aderant applausu ab Arnoldo Colonensi archiepiscopo, aliis cooperantibus, coronatus, in sede regni Francorum, quæ in eadem ecclesia à Carolo Magno posita est collocatur: non sine multorum stupore, quod in tam parvo temporis spatio, non solum tanta principum seu de regno nobilium confluxerat multitudo, sed & quod de Occidentali Gallia, ad quam nondum huius facti rumor peruenisse putabatur, nonnulli aduenerant, &c. Et capite IIII: *Peractis omnibus quæ ad coronæ decorem spectabant, rex, vocatis prudentioribus seu maioribus de numero principum, de statu Reip. consultans, Legatos ad Romanum pontificem Eugenium, vrbem ac totam Italiam destinandos, disposuit, de promotione sua in regnum significaturos. Mittuntur itaque Hillinus Treuerensis electus, & Eberhardus Babembergensis episcopus, viri prudentes & literati, &c.*

Abbas vero Vrspergensis; *Anno Domini* (inquit) ∞CLII, *Fridericus huius nominis primus regnum accepit, magis ex delegatione patrui sui, quam ex electione principum. Huic autem Imperium cessit, quod Vvelpho auunculus eius, & alii principes Alemanniæ proxima linea consanguinitatis eum attingerent, &c.* Eadem Robertus abbas Montis scribit. Abbas item Vrspergensis, vbi de electione Henrici V Imp. cuius tempore vixit, loquitur, sic ait: *Anno Dom.* ∞CXCI, *Henricus huius nominis* VI (*vel secundum Chronica Romanorum* V, *qui Henricum patrem primi Othonis in numero Imperatorum non ponunt*) *Friderici* I *Imp. filius, regnum accepit. Qui prius à patre Friderico rex designatus fuerat, & de consensu principum coronâ Aquisgrani acceperat, &c.*

Verum nulla Imperatorum comitia clarius & diligentius explicantur, quam ea quibus in schismate duo simul Imperatores vel reges creati sunt: nempe Philippus Sueuorum dux, Henrici V frater, & Otho IV. Ex his enim manifeste colligere poterimus, an ad illud vsque tempus VII Electorum nomina & munus inuenta fuerint, cum iam ab Othonis III Imp. obitu CC anni fuissent elapsi. Enarrantur autem accuratissime ab abbate Vrspergense, qui per ea tempora in Ger-

mania vixit. ait enim : *Mortuo Henrico rege* VI, *Imp.* V *Friderici primi filio, Philippus Sueuorum dux, frater eius, eo tempore exierat de Alemannia, vt veniret ad ipsum in Siciliam: processeratque vsque ad Montem Flasconem prope Viterbium, vbi de morte Imp. nuntiatum est ei. Quare ipse statim ab Italia recessit, & laborioſe peruenit in Alemanniam, vbi iã principes iuramenta sua posponentes. (nam procurante Henrico Imp. principes Alemanniæ pene omnes filium paruulum ipsius Fridericum, adhuc in cunis vagientem, sibi assumpserant in regem, fidelitatemque ei iurauerant, & litteras de hoc facto cum sigillis suis transmiserant Imperatori) de electione noui Imperatoris tractare cœperunt, cupientes diripere hæreditates, quæ ad præfatam Imperatoris generationem pertinebant Sed Deus conterens omnem impietatem, & perfidiam ipsorum, hoc fieri non permisit : inspirans cordibus hominum, vt suos natiuos dominos non derelinquant, & alienis adhæreant. Ideoque præfatus Philippus ad partes Rheni se contulit in continenti, & natalem Domini in castro Haginou celebrauit : vbi venerunt ad eum & officiales & ministeriales, & quidam de principibus & baronibus terræ, cum quibus habuit mysterium consilii sui. vbi etiam aderat Chunrãdus Argentinensis episcopus, qui etiam promisit fauorem & auxilium suum duci de obtinendo imperio. Volebat enim tenere Imperium, cum in potestate sua haberet insignia Imperialia, vtpote coronam & crucem, & alia quæ attinebant. non enim cautum esset sibi, vt ad alium transiret Imperium: & sic tam ipse quam fratruelis suus, licet tunc paruulus, omni hæreditate sua priuarentur. quod etiam non placuit Altissimo, quamuis multa cœperint interuenire impedimenta, &c. Innocentius siquidem papa* III, *tunc de nouo in sede Apostolica sublimatus, omni studio cœpit aduersari eidem, hoc agens vt ipsum impediret, ne ad sublimitatẽ culminis Imperialis posset ascendere: improperans ei, quæ frater suus & pater crudeliter peregerant contra ecclesiam, &c. His interpositis de oppositione sedis Apostolicæ, vt regium genus deperiret, redeamus ad describendum labores, quos iniquissimorum principum machinatione substinuit in Alemannia. Primum quidem de prudenti consilio quum videret sibi immineere aduersitates & bella, acquisiuit sibi fauorem principum & magnatum. De Saxonia quidem habuit*

habuit ducem Bernhardum, marchionem Moesiæ, & alios principes seculares potentissimos: insuper archiepiscopos Magdeburgensem & Bremensem, & suffraganeos eorundem. Sed genitrix & nutrix omnium malorum discordia noluit quiescere: quin potius Alemannos, qui omnem iustitiam detestantur, & odio habent, ad hoc commouit, vt in præiudicium dominationis antiquæ, & generationis in regno diuturnæ, conderent curiam apud Andirnach oppidum Rheni, quatenus ibidem eligerent Imperatorem. Quo audito, Philippus transmissis illuc legatis effecit, vt nulla ibidem celebraretur electio: tum propter sui & quorundam principum absentiam, tum propter regiæ generationis non destituendam prosapiam, quum propter iuramenta principum eidem generationi exhibita. Ideoque plus confidentes in diuitiis & potentia Colonienſium, illuc conuenticulum suum indicunt. Vbi rursus Philippus nuncios suos transmisit, impediens, ne in præiudicium suum qualibet fieret electio. Asserunt enim quidam, quod propter hoc promissa fuerint archiepiscopo Treuerensi duo millia Marcarum. Attamen Bertoldus dux Zaringiæ tunc denominatus fuit in regem, non propter hoc quod iustus esse videri posset: sed quia pecuniosus videbatur, cum esset auarissimus, & omni iniquitate plenus. Videns autem Philippus, quod à tali insolentia nollent Alemanni cessare, ipse cum principibus sibi fauentibus conuentum adunauit in oppido Milhusen, vbi à Sueuis, Saxonibus, Bauaris, Boemis, & Principibus quam pluribus regni eligitur in regem. Tunc cœperunt multiplicari mala in terris, &c. Item paullo post: Iam tunc Colonienſes & Argentinenſes, cum episcopis suis, & alii quidam cogitauerunt, & machinati sunt nequitiam, miserantque nuncios suos, Albertum videlicet de Tagisburgh, & de Liningen, comites in Angliam, vt inde aduocarent & adducerent Othonem, pro eo quod superbus & stultus, sed fortis videbatur viribus, & statura procerus, præsumentes nihilominus auxilio Richardi Angliæ regis, eiusdem auunculi Hunc igitur apud Coloniam elegerunt in regem. Factaque est hæc abusio, vt fieret quasi portentum multarum abusionum quæ subsequutæ sunt in terris, &c. Item paullo post: Properant electi reges, vterque vt occupet sedem regni Aquisgrani. Sane Philippus prior oppidum illud obtinuit, & ibidem viros strenuos & nobiles in præsidio constituit. Superuenit autem Otho cum Colonien-

sibus, & aliis fautoribus suis, & obsederunt ciuitatem: quumque interiores conclusi resistere non potuissent, accepta pace ac securitate personarum, dederunt ciuitatem. Tunc Adulphus archiepiscopus Colonienſis coronauit in regem ipsum Othonem. Tota vero curia Imperialis, & officiales Imperii adhæserunt Philippo, cum principibus quam plurimis. Interim redierat de vltramarinis partibus Chunradus Herbipolenſis episcopus, qui fuit cancellarius. Hic declinauit in partem Philippi. Hermannus vero Lantgrauius de Thuringia, cœpit aduersari Philippo, sperans ad se posse deuolui ius Imperii. Philippus itaque prudenti vsus consilio, censuit primum eos qui viciniores erant bellis auertere, & suo dominio subiugare. anno sequenti Argentinam obsedit, vbi suburbia prius incendit, & terras ciuium vastare cœpit. tunc videntes ciues se non posse resistere, Philippum tanquam dominum suum in ciuitatem receperunt, & ei fidelitatem iurauerunt. episcopus quoque in gratiam ipsius rediit. Principes vero Imperii nec curabant iuramenta infringere, nec fidem violare, & ius omne confundere, nunc recedentes à Philippo, & Othoni adhærentes, & è conuerso. Verum multis bellis feliciter gestis, decreuit agere bellum contra Colonienſes. Cum magno igitur exercitu venit in fines illorum, fiuntque incendia & vastationes terrarum, capiuntur oppida quædam in partibus illorum: multi siue compulsi, siue muneribus aut promissionibus illecti, recedunt ab Othone, & adhærent Philippo, inter quos præfatus Adolphus Colonienſis archiepiscopus cum rege reconciliatus, secum venit Aquisgranum, & ipsum coronauit in regem. Interim quoque redierat de vltramarinis partibus Chunradus archiepiscopus Moguntinus, qui caliide propter timorem papæ se gessit in hoc facto: latenter tamen aduersatus Philippo, potius quam fauens. timebat enim eum. Sed hic in breui vitam finiuit, &c.

Item, vbi Philippo rege occiso loquitur de Othonis confirmatione, sic ait: *Anno Domini* ∞CCIX, *Otho* IV *ex patre de Suevia & Saxonia, ex matre de Anglia, vbique nobili stirpe progenitus, regnum solus occiso Philippo, accepit & quum quattuor annis regnasset, regno pulsus est: quod propter illius superbiam præcipue contigisse creditur. Primum quidem in Francfurt aduenies, consensu principum accepit.*

accepit. veneruntque ad eum papæ duo legati, &c. Qui vero Imperio Othoni abrogato, Fridericum II iuuenem regem renuntiauerint, referuntur ab eodem Abbate Vrspergense. ex quo grauissimi auctoris testimonio colligi licet, num à VII Electoribus creatus fuerit, an ab aliis, qui modo tempore nullum in electione Imperatoris ius habent. Inquit enim: *Anno Dom.* ∞ CCX, *Otho excommunicatus denuntiatur. Tunc principes Alemaniæ, rex videlicet Boemiæ (qui paullo ante ex duce assumptus fuerat ab Henrico V Imp. ad regnum) dux Austriæ, dux Bauariæ, Lantgrauius Thuringiæ, & alii quamplures conuenientes, Fridericum regem Siciliæ elegerunt in Imperatorem coronandum, cui etiam olim, quum adhuc in cunis esset, iurauerant fidelitatem, &c.*

His igitur tot grauissimorum auctorum testimoniis satis liquere existimo, an ante Friderici II tempora VII hi fuerint Electores, qui nostra ætate sunt: vel longe plures, omnes videlicet Germaniæ, tam ecclesiastici quam sæculares principes. Inter quos hi etiam qui nostro seculo principes Electores sunt, numerandos esse existima, etsi nulla vnquam de marchione Brandeburgensi, vel comite Palatino Rheni, in tot comitiis Imperatorum mentio habita sit. Sed quum inter Germaniæ principes numerentur, eos proculdubio hisce electionibus interfuisse credendum, verum non supra cæterorum principum æqualitatem. Porro autem ex superius citatis auctoritatibus, ante Friderici II Imp. tempora colligitur, Imperii electores fuisse omnes Germaniæ principes, tum sacros tum profanos, qui in eius (vt opinor) rei memoriam hodie dicuntur principes Imperii, quorum numerum ad LIII, vel LIV fuisse, liquet ex Abbate ipso Vrspergense, vbi de Henrici IV Imperatoris comitiis verba facit. Antiqui autem Imperii principes ecclesiastici quos omnes Imperatorum comitiis interesse potuisse existimo, hi fuerunt: Archiepiscopi VIII, videlicet

Moguntinus, cuius vrbs Germaniæ Metropolis est
Colonienſis } qui nunc tantum sunt Imperii Electores ex
Treuerensis } ecclesiasticis

Magdeburgensis in Saxonia, qui dicitur Germaniæ primas.
Saltzburgensis, alias Iuuauiensis in Bauaria
Bremensis & Hamburgensis in Saxonia.

Bisuntinus in Burgundia
Rigensis in Liuonia

Episcopi xxxvii In his episcopi suffraganei archiepiscopi Moguntini xii, videlicet

Argentinensis	Augustanus	Curiensis
Constantiensis	Ehistatensis	Herbipolensis, alias
Halberstatensis	Hildeseimensis.	Vircemburgensis
Paderburnensis	Spirensis	Verdensis, &
Vormatiensis		

Episcopi suffraganei Archiepiscopi Coloniēsis v, videlicet

Mimigardeuordensis, alias Monasteriensis
Traiectensis — Tungrensis, alias Leodiensis
Mindensis — Osnaburgensis

Episcopi suffraganei archiepiscopi Treuirensis iii, videlicet

Metensis	Tullensis	Virdunensis

Episcopi suffraganei archiepiscopi Magdeburgensis iiii, videlicet

Merseburgensis in Thuringia
Citicensis in Misnia
Brandeburgensis in veteri Marchia
Hauelburgensis in Saxonia

Episcopi suffraganei archiepiscopi Saltzburgensis vi, videlicet

Tridentinus	Patauiensis	Viennensis
Gorcensis	Brixinensis	Frisingensis

Episcopi exempti septem

Babinbergensis	Ratisponensis	Basileensis
Ratcemburgensis	Lubecensis	Suerinensis
Misnensis		

Abbates v

Fuldensis	Hirsueldensis	Campidonensis
Vissemburgensis	Murbacensis	

Magister militum ordinis Teuthonicorum, posteaquam institutus fuit. laici vero Imperii principes erant

Dux primo, postea rex, Boemiæ		Dux Saxoniæ
Dux Bauariæ	Dux Sueuiæ	Brunsuicensis
Marchio primo, postea dux Austriæ		Dux Carinthiæ

Comes

Comes Palatinus Rheni Marchio Brandeburgensis: & alii multi, quorum nomina incerta & obscura sunt.

Horum autem principum nomina collegi ex Lamberto Schafnaburgensi, abbate Vrspergensi, & cæteris Germanis historicis. Hi igitur principes vel omnes, vel quotquot adesse poterant ante Friderici II Imp. obitum, comitiis Imperii adesse solebant. interregni enim tempore vocati, ad præscriptū sibi locum veniebant: perinde ac nostra ætate fieri solet in eis Germanorum principum conuentibus quos Diætas vocant. Qui autem ex competitoribus quos plures fuisse aliquando legimus, plura suffragia ab his qui aderant ferebat, is rex Romanorum demum appellabatur. Hanc autem consuetudinē seruatam fuisse vsque ad Friderici II Imp. obitum, satis ex tot auctorum superius citatis testimoniis liquere arbitror.

Porro autem, ex his omnibus principibus Imperii, antiquitus institutum fuit, vt tres priores archiepiscopi, videlicet Moguntinus, Colonienſis, & Treuerensis, Imperii cancellarii essent: Moguntinus siquidem in Germania, Colonienſis in Italia, Treuerensis per Burgundiam. Hlotharingiam, reguum Arelatense, & cæteras Galliarum prouincias quæ Imperio suberant. Per has enim potissimum prouincias Imperii Romani ditio tum extendebatur: regno Arelatensi & cæteris per Gallias Imperialibus prouinciis, nondum à Francis Occidentalibus occupatis. Hos autem tres archiepiscopos ideo præcipue electos fuisse præ cæteris, qui cancellarii Imperii essent, existimo, quod vetustissimi & nobilissimi omnium Germanicorum episcoporum essent. Moguntinus enim Metropolitanus est totius Germaniæ à S. Bonifacio primo archiepiscopo institutus: Colonienſis vero archiepiscopus ideo cancellarii dignitatem obtinuit, tum propter antiquitatem, tum etiam quod in eius diœcesi Aquisgrani regis inauguratio celebretur. porro omnium vetustissimus est Treuerensis episcopatus, à S. Petro Apost. institutus in Galliis. Ex abbatibus vero, Fuldensis archicapellanus erat Imperii. Hinc postea manasse crediderim, vt cum VII Electores instituti fuerunt, potissimum hi tres archiepiscopi cæteris prælati sint, solique electionis dignitate insigniti, tanquam Imperii Romani digniores principes, & eiusdem cancellarii, vel vt postea vsurparunt archicancellarii, ob

quod munus aliis archiepiscopis eminentiores erant. Horum autem trium cancellariorum Imperii institutionem paulo ante, vel potius circa primi Othonis Imp. tempora exortam fuisse, ex ipsorum Imperatorum priuilegiis vel diplomatibus publicis obseruaui. Quando victo Italiæ tyranno Berengario II, Germaniæ regnum, quod diu ante ab Italico segregatum fuerat, Otho ipse rex primus ex Germanis, accepto à Ioanne XII papa Imperii Romani diademate, coniunxit. Quo etiam tempore Otho ipse regnum Arelatense, & aliquot præterea Galliarum prouincias suo imperio adiunxit. Tunc enim negociorum prouinciarumque administrationem his tribus potissimum partitus est Archiepiscopis, quod tunc principaliores & digniores in Germania & Imperio trans Alpes essent. Sicque scribebant, *N. Archiepiscopus, &c. S. Romani Imperii, per Italiam, vel Gallias, vel Germaniam archicancellarius, &c.* Quoties enim Imperator esset in Italia, archiepiscopus Colonensis priuilegia vel diplomata Imperialia signabat, & eius interuentu & nomine edebantur. Quoties Imp. esset in Galliis, id munus obtinebat Treuerensis, in Germania vero Mogũtinus. Quæ consuetudo vsque ad Friderici II tempora in vsu fuit: postque Romano Imperio ad nihilum fere redacto, id munus paullatim deficiens solo nomine, vel potius eius quædam vmbra remansit. Hæc etiam omnia (vt dixi) obseruaui ex Imperatorum priuilegiis à Carolo Magno ad nostra vsque tempora, quorum multa sunt apud me exemplaria, ex ipsis archetypis per varias terræ Italiæ vrbes conquisitis, exscripta. Atq; hactenus de antiquis electoribus Imperatoris Franci ante Friderici II obitum, & VII virorum institutione, dicta sufficiant.

Varia

Varia explicantur ad Imperium pertinentia ante VII. Electorum institutionem.

LOcus comitiorum Imperij ante Fridericum II. Imp. incertus fuit: pro eius scilicet arbitrio, cuius munus erat principes ad nouam Imperatoris creationem conuocare. Legimus enim, Arnulphum apud Triburias, Hludouicum IV. in Forcheim, Henricum primum regem Fritzlarij, Othonem primum Aquisgrani, secundum Wormaciæ, tertium Romæ, Henricum primum Imperatorē Moguntiæ, Chunradum I. Imp. & Henricum II. Imp. Aquisgrani, Henricum III. Imp. Polethæ, IV. Henricum Moguntiæ, Hlotharium item Moguntiæ, Chunradum II. Confluentiæ, Fridericum Ahenobarbum Francofordiæ, & alios alibi renunciatos fuisse: qui locus postea stabilitus fuit Francofordiæ, vt non longe post ostendam. Ius conuocandi principes ad noua comitia, si habebantur vel viuente vel mortuo Imperatore, erat Archiepiscopi Moguntini: qui loco vel sibi, vel principibus commodiore, eos ad nouam Imperatoris creationem stato die per litteras conuocabat: quod postea munus ei continuatū adhuc etiam retinet. huius rei auctor est Otho Frisingensis Episcopus. Congregatis principibus ad Imperij comitiá, prima suffragia ferebat Archiepiscopus Moguntinus: quod videre licet in Epistola Episcoporum Germaniæ ad papam Hadrianum IV. de Imp. Friderico primo, aiunt enim: *Duo sunt quibus nostrum* (Friderici ipsius Imp. verba sunt, ab eis Episcopis Papæ scripta) *regi oportet Imperium, leges sanctæ Imperatorum, & vsus bonus prædecessorum & patrum nostrorum. istos limites Ecclesia nec volumus præterire, nec possumus. Debitam patri nostro reuerentiam libenter exhibemus, liberam Imperii nostri coronam diuino tantum beneficio adscribimus: electionis primam vocem Moguntino Archiepiscopo, deinde quod superest cæteris secundum ordinem principibus recognoscimus: regalem vnctionem Colonienſi, supremam vero quæ Imperialis est, summo Pontifici: quicquid præter hæc est, ex abundanti est, à malo est, &c.* A maiori autem eligentium parte rex appellatus, Aquisgranum statim proficiscitur (quod semper à primi Othonis tempore obseruatum fuisse constat) vbi olim Caroli Magni Imp. regia fuit,

& nunc extat sepulchrum, ibique eius diadema seruatur, quo ipsius successores coronari consueuerunt. Ibi autem rex electus, in Caroli Magni sede locatur, quæ est in Basilica beatæ Virginis ab eo condita, eiusque diademate redimitus inauguratur in Germaniæ & Franciæ regem. Munus autem eius Episcopi qui eum consecrabat & vngebat, varium fuit. Primo enim (vt memoria extat) Arnulphus, eius filius Hludouicus I V. & Chunradus primus reges coronati sunt, & consecrati ab Archiepiscopo Moguntino, à quo etiam Pipinus rex Francorum, & pater Caroli Magni primo: deinde Hludouici Pij Imperatoris filij, Hludouicus & Carolus III. reges Germaniæ vel Francorum Orientalium coronati fuerant. Nam reges Galliæ vel Francorum Occidentalium vnctionem sumere cœperunt ab Archiepiscopis Remense vel Senonense, quod regni eorum Primates vel Metropolitani essent. Henricus vero rex primus vnctionem & consecrationem ab Archiepiscopo Moguntino Hildeberto sibi oblatam renuit. Hos autem reges ideo hoc tempore à Moguntino Archiepiscopo coronatos fuisse crediderim, quod ipse totius regni Germaniæ Metropolitanus esset: ideoque à quibusdam horum temporum scriptoribus etiam *Summus, vel Maximus pontifex* appellatur. neque coronationem ipsam in aliena diœcesi fieri tum consuetum erat. Eo vero tempore quo Otho I. electus fuit, quum Aquisgrani comitia haberi contigisset, tum primum controuersiam natam fuisse legi inter duos Archiepiscopos, videlicet Treuerensem & Colonienſem. De eius consecratione, vt libro etiam II. de gestis primi Othonis Imp. refert Vttichindus, qui ita scribit: *Et quum quæstio esset Pontificum, in consecrando rege, Treuerensis videlicet & Coloniæ Agrippinæ, illius quia antiquior sedes esset, & tanquam à B. Petro Apostolo fundata, huius vero, quia ad eius diœcesim pertineret locus, & ob id sibi conuenire arbitrati sunt huius consecrationis honorem: cessit tamen vterque eorum Adelberti Moguntini Archiepiscopi cunctis notæ sanctitati, &c. Atque Moguntinus ipse more maiorum ipsum Othonem consecrauit, & coronauit.* Qua ratione autem duo illi Archiepiscopi tum primum quæstionem illam excitauerint, incertum. Forte, quia tum Aquisgrani libera comitia habita fuerant, videlicet extra Moguntini diœcesim. Hinc que forte orta est illa controuersia, quod Colonienſis ad se spectare consecra-

tionem

rionem diceret, quæ in eius diœcesi celebranda esset. Satis illud constat, omnes Francorum reges à Pipino ad Othonem vsque, qui in Germania regnarunt, & à Papa eos primo coronari non contigisset, ab Archiepiscopo Moguntino consecratos fuisse. Quis autem Othonem II. primo coronauerit, incertum: sed quantum coniectura consequi possum, consecratus fuit à fratre suo Guillelmo, qui eo tempore erat Archiepiscopus Moguntinus. Porro tertium Othonem primo inaugurauit Iohannes Archiepiscopus Rauennas Aquisgrani, cæteris forte Archiepiscopis prælatus, quod ibi esset Apostolicæ sedis legatus. Henricum & Chunradum primos Imperatores inunxerunt Archiepiscopi Moguntini. Henricum vero IV. regem, tertiumque Imperatorem, primo consecrauit Archiepiscopus Colonienſis: fuitque primus rex Germaniæ vel Imperator, qui à Colonienſi Archiepiscopo consecratus fuisset. quod cur factum fuerit, explicat Lambertus Schafnaburgenſis his verbis: *Imperatoris filius Henricus consecratus est in regem Aquisgrani, ab Herimanno Colonienſi Archiepiscopo, vix & agre super hoc impetrato consensu Luipoldi Archiepiscopi, ad quem propter primatum Moguntinæ sedis consecratio regis, & cætera negotiorum regni dispositiones potissimum pertinebant. Sed Henricus Imperator, Herimanno Archiepiscopo hoc priuilegium vendicabat, propter claritatem generis eius, & quia intra diœcesim ipsius consecratio hac celebranda contigisset, &c.* Ex quo loco liquet, antiquitus consuetum fuisse, Moguntinum Archiepiscopum primo sacrare regem Romanorum: eamq; controuersiam quæ sub Othone primo inter duos Archiepiscopos exorta fuerat de eius coronatione, propterea natam, quod locus in quo ea inauguratio habita fuit, videlicet Aquisgranum, in diœcesi esset Archiepiscopi Colonienſis. Quapropter etiã ab hoc tempore deinceps prima regum consecratio pertinuit ad Archiepiscopos Colonienſes: cuius instituti primus auctor fuit Herimannus hic Archiepiscopus Colonienſis, quo etiã munere nostra ætate potiuntur. Rudolphus autem, qui in schismate contra Henricum IIII. rex creatus fuit, vnctionem suscepit à Moguntino Archiepiscopo Sigefrido. Henricus vero IV. Hlotharius II. & sequentes deinceps legitimi Imperatores, vsq; ad nostra tempora, ab Archiepiscopis Colonienſibus coronati fuerunt. Quod cõcidentes Moguntino facilũ fuisse credi-

derim, quod Aquisgrani in diœcesi Colonienſi ea inauguratio fieri iam ſoleret. Quod etiam referunt Epiſcopi Germaniæ in Epiſtola nomine Friderici Ahenobarbi Imperatoris, ad Hadrianum Papam IV. conſcripta. ſic enim ſcribunt: *Liberam Imperii noſtri coronam diuino tantum beneficio adſcribimus, electionis primam vocem Moguntino Archiepiſcopo: deinde quod ſupereſt, cæteris ſecundum ordinem principibus recognoſcimus. Regalem vnctionem Colonienſi, ſupremam vero quæ Imperialis eſt ſummo Pontifici.* Auctor Radeuicus Friſingenſis Canonicus, qui Othonis Friſingenſis libros ſupplevit, de vita Friderici primi Imperatoris libro 3. cap. 16.

Otho quoque Friſingenſis libro 7. Hiſtoriarum, capite 22. de Chunrado II. in regem electo ita inquit: *Qui mox ad palatium Aquis veniens, a Theodevvino Epiſcopo Cardinale Papæ legato (nam Colonienſis, qui id facere iure debuerat, nouiter inthronizatus pallio carebat) cooperantibus Archiepiſcopis & Epiſcopis in regem vngitur, &c.* Poſt quæ tempora (vt dixi) cæteri omnes Impp. legitime creati, à Colonienſi Archiepiſcopo coronati ſunt. Cuius conſecrationis, eius videlicet quæ hodie fit, formam, quia vulgo nota eſt, atque ex libris ritualibus, quos cærimoniales vocant, peti poteſt, conſulto prætermitto. Antiquæ vero formam ſuperius in Othone primo adpoſui, vti à Vitichindo deſcribitur. Prima autem conſecratione & coronatione celebrata, qua reges Germaniæ & Romanorum, Cæſareſque appellati, Imperatores quoque deſignantur, ad vrbem ſtatim legatos mitti conſuetum eſt, ad Romanum Pontificem, pro Imperij diademate ex eius manibus ſuſcipiendo: quo impetrato, ad Vrbem properant, vbi in Baſilica S. Petri à Romano Pontifice, vel eius legatis cardinalibus ex ipſius auctoritate Imperiali corona iterum exornati vnguntur, & Romani Imperatores ac Cæſares Auguſti appellantur.

Porro autem, omnes poſt Othonem primum Imperatores, qui Imperij diadema obtinuerunt, coronati ſunt Romæ in baſilica S. Petri à Romano Pontifice, vbi Imperatores conſecrari mos fuit, quod Carolus Magnus primo ibidem inauguratus eſſet: exceptis Friderico II. Henrico VII. alias VI. & Carolo IV. qui ex Romani Pontificis auctoritate à legatis cardinalibus Apoſtolicæ ſedis (quod Papæ tunc abſentes ab Vrbe eſſent) conſecrati fuerunt. Soli vero Hlotha-

rius

rius II. qui à Papa Innocentio II. & Henricus VII. qui à legatis Papæ Clementis V. coronati sunt in Basilica S. Petri, consecrati non fuerunt, quod ab eorundem hostibus forte tum occupata esset: sed Laterani, in Basilica S. Saluatoris imperialia insignia assumpserunt. Nouissime Carolus V. Imp. Bononiæ coronatus fuit, à Clemente VII. primus & solus omnium Imperatorum post Othonem, qui Imperij coronam extra vrbem susceperit. Pro qua obtinenda, vetus mos fuit, vt Imperatores aliquod munus Ecclesiæ Romanæ largirentur, vel prouincias vel oppida, aut vrbes aliquas, vel Ecclesiæ hostes domarent, Papam pulsum restituerent, vrbes ab Ecclesia vi extortas prælio & armata manu, si opus esset, restituerent, vel similium aliquod agerent: omnia item prædecessorum suorum priuilegia, vel donationes, aut concessiones Ecclesiæ Romanæ factas sanctissimo iuramento confirmarent, quæ à Carolo Magno & sequentibus Imperatoribus facta fuerunt. Imperatorem autem designatum ad Vrbem pro Imperij diademate venientem Pont. Max. in gradibus Basilicæ S. Petri expectare solet, missis interim ei obuiis omnibus tam Ecclesiæ quam vrbis magistratibus & insigniis, vexillis, clericis, & cantoribus. mox venientem, pedesque sibi osculantem, ad orisque osculum postea susceptum, comitatur in Ecclesiam Apostolorum principis: vbi simul oratione facta, vterque postea ad sibi parata hospitia proficiscitur. Qui mos iam inde à Carolo Magno manauit, quem ad vrbem venientem Hadrianus Papa primus hac ratione susceperit. Nam antiquis Imperatoribus ad vrbem venientibus, Romanus Pontifex ad VI. vel VII. lapidem obuiam ire solebat. Cæterum Hadriani Papæ institutum sequentes Pontifices & Imperatores Franci Occidentales seruarunt. Coronationis rationem ideo, vt superius dixi, omitto, quod à libris ritualibus, quos cærimoniales vocant, peti possit. Coronatus autem, quum ad eam diem tantum rex dictus fuisset, Imperator postea & Augustus appellatur. Hæc autem fuit consuetudo ante septem Electorum institutionem, & Friderici secundi Imperatoris obitum, &c.

De rege Romanorum, & ornamentis Imperialibus.

IMperator vero & Augustus post Romani pontificis vnctionem appellatus, si filios, vel nepotes aut fratres habet, procurare solet, vt vnus ex iis Cæsar & rex Germaniæ ac Romanorum more antiquorum Cæsarum à Germaniæ principibus vel Electoribus renuncietur, qui sit tanquam Imperij hæres & successor, ne se decedente, successoreque ex eius sententia non designato, Imperij iura ad alienas familias transirent. Qui Imperator designatus consecratur prima vnctione Aquisgrani ab Archiepiscopo Colonienſi: Romani vero Pontificis vnctionem non nisi post prædecessoris sui obitum assumere solet, ne duo simul essent pari potestate Imperatores, quod vsque ad nostra tempora obseruatum est. Duos enim Augustos simul esse, nefas esse creditur. Solus enim post liberam Imperatorum electionem Otho primus Imperator filium suum Othonem iuniorem à principibus in Cæsarem electum, primoque Aquisgrani consecratum, se viuente à Romano Pontifice Iohanne Papa XII I. iterum inungi & sacrari in Augustum & Imperatorem fecit: quo tempore, quod nunquam postea fuit, duo simul viuentes fuerunt Imperatores Augusti. Postea enim ex duobus vnus Imperator, alter Rex vel designatus Imperator appellari consueuit. Imperatorum autem Occidentalium post Carolum Magnum, ornamenta & insignia erant, chlamys aurea vel purpurea, torques aurea, crux cum labaro purpureo, sceptrum aureum, ensis, lancea, globus rotundus in orbis formam sphæricus, clypeus aureus cum aquila bicipiti nigra, corona aurea siue diadema. His ornamentis à quibusdam additur vexillum cum aquila bicipiti, sed eius rei mentionem fieri non inueni. Nostri temporis Imperatores multa ex his retinuerunt: gladium videlicet, coronam, globum, & chlamidem cum clypeo Crucem vero, lanceam, labarum, & vexillum, ni fallor, in vsu esse desierunt. Hæc autem sunt quæ de Imperatorum electione, ante Friderici II. obitum, & VII virorum institutionem, dicenda hinc inde collegi.

Verior

Verior VII. Imperij Electorum institutio edocetur.

MOrtuo vero Friderico II. sub quo multis causis, quas modo enarrare alienum est à nostro instituto, Romani Imperij Maiestas ad nihilum fere redacta fuit: eo enim vsq; eius stetit magnitudo & potentia, quo inter tot dissensiones & bellorum tumultus mortuo, quum diu Imperium Rom. sine certo & potenti principe fuisset, variisque bellorum procellis & seditionibus, intestinisq; discordiis misera Germania & Italia vndique quaterentur (quod tempus posteriores scriptores Imperij interregnum appellarunt) multa exorta sunt paulatim instituta, quæ in Imperio antea non fuerant. Dum enim mortuis Friderico II. Chunrado IV. eius filio, Henrico Lantgrauio Thuringiæ, & Guilelmo comite Hollandiæ qui in Imperij scissura reges renunciati fuerant, hinc Richardus Anglus, hinc Alphonsus Hispanus inanem magni nominis vmbram retinent, Imperij interregnum ab obitu Friderici II. Imperatoris in annos plus minus XXIII. protractum est, quibus sine certo principe Imperium Romanū fuit: quo interim temporis interuallo, quum alia multa, tum VII. Electorum institutio exorta sunt. Siquidem per hęc tempora, tam muneris Electorum quā etiam particularium eorundem actionum, apud horum vel posteriorum temporū scriptores speciatim mentio haberi cœpit: singulorumq; nomina cum dignitatis appellatione recensentur. Imperatorum quoq; deinceps habentur comitia omnia, quæ tantum ab his VII. viris, quos Electores vocant, habita fuisse manifeste liquet, cæteris Germaniæ principibus exclusis. Rodulphus enim Habspurgensis, Adolphus, Albertus, Henricus VII. & cæteri Imperatores sequentes, tantum VII. virorū electorū suffragiis renunciati fuerunt. Quo fit, vt vehementer mirari nō desinam incredibilē huius seculi ignauiam, atq; in primis Romani Pont. post Italiæ, deinde cæterorum Germaniæ principum inertiam, quos omnes comitiis Imperij interesse solitos fuisse, tot superius citatis testimoniis satis demonstratum est: quod iu- tantæ electionis sibi è manibus eripere permiserint, atque in VII. tantum hominum potestate tantæ molis rem collocatam fuisse. Nam Pontifex max. ea potissimū ratione excusari potest, quod in compensationem amissæ potestatis,

maior ei auctoritas data sit. nam etsi Apostolicæ sedis legati comitiis Imperij non intersint, hoc tamen ei concessum est, ne Imperator quicquam pro Imperio agere possit, antequam Romanis Pontificis confirmationem electionis de se factæ, atque approbationem obtineat. cæteri vero principes (his VII. exceptis) omnino excluſi sunt. Porro autem, etsi certe constet hanc VII. Electorum institutionem, inter annum Christi M. CCL. & M. CCLXXX. exortam fuisse: tamen quo potissimum anno, vel quibus de causis, aut à quo Pontifice, vel in quo Germanorum Principum conuentu, aut generali vel prouinciali Concilio, id factum fuerit, mihi adhuc incompertum est. quod etiam diu multumq; me torsit, quod tanta res, ita ab illorum temporum scriptoribus silentio prætermissa sit, ex qua re factum est, vt eius primordia modo obliterata sint, & obscurissima. Quare vel inuitus aliquando queri cogor, de tanta eorum hominum qui superioribus seculis vixerunt negligentia. Vt autem nullis coniecturis consequi potui (nihil enim certi habeo quod affirmem) hæc institutio exorta fuit sub Gregorio X. Placentino, circa tempora comitiorum, quibus post longum Imperij interregnum Rodulphus Habspurgēsis rex appellatus fuit: & in magno Concilio Lugdunensi secundo, quod ex auctoritate Gregorij Papæ X. anno post Rodulphi electionem celebratum fuit, recepta & confirmata. Cuius rei non paruum est argumentum, quod ab eo deinceps tempore multa Electorū mentio haberi incipiat, atq; singulorum Imperatorum comitiorum quæ ab his VII. Electoribus habita fuisse illorum temporum auctores scribunt: præsertim quum ante hæc tempora nulla omnino huius vocis mentio sit, vt superius visum est. Hinc etiā ortam crediderim opinionē illam, hos VII. Electores institutos fuisse à Gregorio Papa V. erroremq; similitudine nominum subortum, nimirum V. pro X. ponentium. Cuius etiam rei maximum est argumentum, quod hic Gregorius X. Papa in eodem Concilio electionem Romani Pontificis nouā quandam instituerit, vt conclauis ingressionem, Nouendialia, subtractionem ciborum, conclauis custodiam, rationem scrutinij, & similia, quę ante inaudita fuerant. Quare facile fieri potuit, Papæ electione ordinata, idem vt de Imperialibus comitiis faceret cum Episcoporum Germaniæ, qui Concilio illi interfuerunt, consensu: præsertim quod eo potissimum procurante,

curante, interregnum Imperii, Rodulpho Habſpurgenſe in regem creato, ſublatum ſit XXIII anno interregni. Quo temporis interuallo Imperii maieſtas adeo obſoluerat, vt nihil præter inane Imperii nomen reliquum eſſet. Verum ex Gregorii papæ auctoritate creato Rodulpho, Imperium quod omnino deſtitutum erat, reſtitui & reſtaurari paullatim cœpit: ad priſtinumque ſplendorem reduci potuiſſet, ſi bonos principes & publicæ commoditatis ſtudioſos nactum fuiſſet: & non eius quod ſupererat dilapidatores, vt plerique ſequentium Imperatorum fuerunt, qui id parum Imperii quod tot calamitatibus ſupererat, quo ſuis priuatis commodis conſulerent, omnino diſſiparunt, & extinxerunt. meliores enim & opulentiores Imperii prouincias & vrbes priuatis concedendo, illud tanquam caput ſine membris fecerunt, ita vt nihil amplius præter inanē Imperii vmbram ſupereſſe videamus. Qua re facile fuit vt eo potiſſimum tempore, quo res Imperii ciuilibus diſcordiis afflictiſſimę erant, ius eligendi Imperatorem à cęteris principibus ad VII hos Electores tantum transferretur, hæcque inſtitutio exorta ſit. Quam poſtea, cum adhuc noua & nutans eſſet, Carolus IIII Imp. reformauit, ſtabiliuit atque in auream bullam redegit. Porro autem, VII tantum inſtituti Electores, quod is numerus ſufficere viſus eſt, vt ſeditionum, ſchiſmatum, & diuiſionum tollerentur occaſiones, quæ in hiſce Imperii comitiis ob eligentium multitudinem aliquando ſubortæ erant. Maxime enim ad electionem is numerus accommodatus videtur. Tribus enim Electoribus ab aliis tribus diſſidentibus, quartus omnem diſſenſionem & diſcordiam tollere poteſt, cuius vnius ſuffragio Imperator vel rex eligitur. Quattuor enim, & non pauciora ſuffragia ex VII Imperatorem vel regem creant. Hic quoque numerus tum etiam ob aliam rationem ſufficiens viſus fuit. Nam quum Germani principes ex eccleſiaſticis & laicis conſtent, ex vtroque ordine Electores aſſumere placuit. Et primo ex eccleſiaſticis tres tantū Archiepiſcopi, & nō plures ideo cooptati, quod hi tres ſolum eſſent archicancellarii Imperii, eſſentque præterea cæterorum Germaniæ epiſcopatuum antiquiores & nobiliores, propter eas cauſſas quas non ſemel ſuperius reddidi: ideoque hi tres potiſſimum cæteris archiepiſcopis & epiſcopis prælati, qui omnes eis & dignitate & antiquitate inferiores erant. Vetuſtis enim temporibus ſemper

horum præcipue trium archiepiscoporum in omnibus Imperii negociis ratio quam maxime habita est. Plures quoque non additi, quod is numerus sufficere visus est, non vnus vel duo archiepiscopi vel episcopi, ne cæteris præiudicium fieret, qui Moguntino, Colonienſi. & Treuerenſi archiepiscopis multa æquo animo propter eorum nobilitatem concessissent, quæ reliquis collegis archiepiscopis vel episcopis negassent: quum nulla deinceps esset ratio, cur vnus archiepiscopus alteri, vel episcopus episcopo præferendus esset. Ex principibus vero laicis, quattuor Electores assumpti, quod totidem gradus veterum nobilium in Germanico Imperio tantũ essent. Rex enim vnus, dux vnus, marchio vnus, & comes vnus adscripti, quod vnum ex singulo ordine sufficere visum fuit: tum etiam, ne sacris principibus, qui tres tantum erant, præiudicium esset. vel si plures ex singulis ordinibus assumpti essent, confusio, quam maxime tollendam decreuerant, exoriretur. Hæc autem omnia ex coniectura potius, vel ex ingenio dixi, quam ex lectione aliqua. Si quis melius rei veritatem inuenire poterit, boni viri munus erit, eam huic nostro commentariolo addere. Hanc autem septem virorum Electorum institutionem, etsi omnes (vt dixi) tam Germanicos quam Italicos scriptores latuerit, vnus tamen omnium quod sciam, rem cognouisse, vel potius attigisse visus est Ioannes Auentinus, Germanicarum rerum scriptor diligentissimus, quem honoris causa hic nominare volui. Is enim libro quinto historiæ suæ, quam de gestis Boiorum inscripsit, rem hanc cognouisse proculdubio visus est. Sed tanquam rem difficilem forte & perarduam, quæque proprium requireret commentarium, leuiter perstrinxit, intactamq; præteriit. Quod quum ipse legi, incredibili quodam gaudio affectus fui, quod vnum saltem hominem inuenerim, & eum quidem grauissimum & doctissimum, cuius testimonio hanc rem cõfirmare possem, ne solus contra tot doctissimorum scriptorum aciem in campum descenderem, potiusq; declamasse hîc quam verum scripsisse viderer. Is ergo (vt dixi) rem acu tetigit: verum

nescio quas ob causas indiscussam

præteriit.

Varii

Varii ritus post VII Imperii Electorum institutionem, in Imperio exorti, enumerantur.

POst Friderici vero tempora, huius nouæ institutionis occasione, multa Imperii comitiis addita sunt, præter antiqua instituta, & pleraque ex antiquis adempta. Cuius ratio & forma, quam in Bulla sua aurea Carolus IIII Imp. fecit, in hunc modum est:

Primo instituti sunt VII Germaniæ Principes, tres videlicet ecclesiastici, & quattuor laici, qui ab officio eligendi Romanorum regem, principes Electores appellati sunt. Sunt autem: archiepiscopus Moguntinus, Germaniæ Metropolitanus per Germaniam: archiepiscopus Colonienſis, in cuius diœcesi consecratio celebratur, per Italiam: & archiepiscopus Treuerensis, vetustissimus omnium Galliarum & Germanię episcoporum, per Gallias & regnum Arelatense Romani Imperii archicancellarius. Laici vero: rex Boemiæ, Romani Imperii creatus archipincerna: dux Saxoniæ, archimarescallus: marchio Brandeburgensis, archicamerarius: & comes Palatinus Rheni, qui olim erat dux Bauariæ, archidapifer. Hi igitur sunt VII Germaniæ principes Electores, ad quos solos, & non alios, Imperatoris vel regis Romanorū eligendi ius trāslatū est. Porro autem electorib. archiepiscopis ius electionis ea ratione datum est, vt is eā habeat, dum viuat, qui legitime ad vnā ex trib. Metropolitanis sedem assumptus fuerit. laicis autē ius eligendi hæreditarium concessum est. Sicut enim regnum Boemiæ hæreditarium est, ita & omnis qui eo regno legitime potitur, vbi primū rex designatus est, statim ius electionis obtinet, qui primogenitus regis defuncti, vel maior filiorū viuentiū, vel si is mortuus sine liberis fuerit, eius propinquior esse solet. idem vsu venit cæteris tribus Electoribus laicis, quorum primogeniti vel grandiores natu filii, sicut in paternis ditionib. succedunt, sic & in Electoris dignitate. Verū aliqua ex eis familiis deficiente, munus est Imperatoris, cuius illorū ditiones feuda sunt, aliū & honore electoratus, & prouincia Domino orbata donare. Solent quoq; tres Electores laici, diuersorū criminū dānati, hac dignitate ab Imperatore

mulctari, eaque dignitas pro imperatoris arbitrio ad alios transfertur: sicut nostro sæculo fecit Imp. Cæsar Carolus v. Augustus, qui Ioannem Fridericum Saxoniæ ducem, & principem electorem, crimine læsæ maiestatis damnatum, dignitate electionis priuauit: cui ex eadem tamen familia aliū substituit, Mauricium nomine, Saxoniæ etiam ipsum ducem. Quæ omnia & cæteris Electoribus contingere possunt. Hi itaque sunt VII principes electores, qui nostra ætate soli Romanum creant Imperatorem: à qua electione Romanus Pōtifex primo, mox Italiæ, deinde Germaniæ, reliqui tam sæculares quam ecclesiastici principes, penitus excluſi sunt. Pontifex vero maximus in eius locum obtinuit (vt etiam superius dixi) ne Imperator Imperii negocia tractare possit, antequam confirmationem & consensum Romani pontificis obtineat, idoneusque ad tantum imperii fastigium gubernandum iudicetur. Nam antiquitus statim ab electione, multa Romani pontificis expectata auctoritate siue approbatione, Imperii negocia transigebat: cuius rei locum tum obtinebat ius, quod in electione cum cæteris Italiæ & Germaniæ principibus habebat. Quum igitur noua regis Romani vel Imperatoris designandi noua comitia habenda sunt, vel sint libera, vt ea quibus Carolus v. Rex creatus fuit: vel procurante viuo Imperatore congreganda, qualia fuerunt Ferdinandi Cæsaris comitia: archiepiscopi Moguntini munus est, datis ad singulos alios Electores literis, eis diem & locum comitiorum Imperii præscribere, hoc ei ex vetusto iure relicto. Qui die sibi statuto ad locum prescriptum conuenientes, Imperii comitia habent. Huius rei hoc est decretum in bulla aurea Caroli IIII. Imp. confirmatum. Ait enim:

Præterea statuimus & ordinamus, vt archiepiscopus Moguntinensis, qui fuerit pro tempore, singulis principibus coelectoribus suis ecclesiasticis & secularibus, electionem eandem per suos nūcios patentibus debeat litteris intimare, in quibus quidem litteris talis dies & terminus exprimatur, infra quem eadem littera ad singulos eosdem principes verisimiliter possint peruenire. Huiusmodi vero littera continebunt, vt à die in literis ipsis expressa, infra tres menses continuos, omnes & singuli principes electores Francfort super Moganum esse debeant, constituit, vel suos legales ad eundem terminum atque locū nuncios destinare cum plena & omnimoda potestate, suisq; patentib. literis maiori cuiuslibet

iuslibet eorum sigillo signatis, ad eligendum Romanorum regem, in Imperatorem promouendum. Qualiter autem & sub qua forma tales litteræ confici debeant, &c.

Locus autem electionis stabilitus est, vt sit Francfurdia Germaniæ celebris vrbs, ad quam omnes Electores conuenire debent, quando noua regis Romanorum habenda sunt comitia. Sic enim in ipsa bulla scriptum est: *Debet autem vnusquisque princeps elector, vel sui nuncii ciuitatem Francfort cum ducentis equitibus tantummodo prefatæ electionis tempore introire, in quorum numero quinquaginta tantum armatos, vel pauciores secum introducere poterit, sed non plures, &c.* Item:

Decernimus, vt quandocunque futuris temporibus necessitas siue casus electionis regis Romanorum in Imperatorem promouendi emerserit, & principes electores ad electionem huiusmodi iuxta antiquam laudabilem consuetudinem habuerint proficisci, vnusquisque princeps elector, si & quando super hoc fuerit requisitus, quoslibet principes, coelectores suos, vel ipsorum nuncios quos ad electionem ipsam transmiserint per terras, territoria & loca sua & etiam vltra, sicut longius poterit, conducere teneatur, & eis absque dolo præstare conductum versus ciuitatem, in qua talis electio fuerit celebranda, ac ab illa etiam redeundo sub pœna periurii ac perditionis (pro illa duntaxat vice) suæ vocis, quam in electione huiusmodi fuerit habiturus.

Quum autem ad hoc peruentum fuerit, quod de Imperatoris vel regis Romanorum obitu in diœcesi Moguntina constiterit, extunc infra vnum mensem à die notitiæ obitus huiusmodi cõtinue numerandum, singulis principibus electorib. obitum ipsum & intimationem per archiepiscopum Moguntinum fieri decernimus: congregati autem electores omnes, vel absentium electorum principum legati Francfordiæ, in basilica S. Bartholomæi, quæ vrbis primaria est, ea omnia rite seruant, quæ hic in bulla continentur.

Postquam autem Electores, seu eorum nuncii, ciuitatem Francfordiensem ingressi fuerint, statim subsequenti diluculo in ecclesia S. Bartholomæi apostoli, ibidem in omnium ipsorum præsentia, missam spiritus sancti faciant decantari. Qua finita, omnes illi Electores sine eorum nuncii, accedant ad altare, in quo missa fuerit celebrata, vbi principes Electores ecclesiastici coram Euangelio beati Ioannis, In principio erat verbum, quia illic ante

ipsos poni debebit, manus suas pectori cum reuerentia supponant. Seculares vero principes dictum Euangelium corporaliter manibus suis tangant : qui omnes ibi debebunt cum omni eorum familia in armis assistere. Archiepiscopus vero Moguntinus formam iuramenti eis dabit ; & una cum ipsis, & ipsi vel absentium nuntii una cum eo iuramentū prastabunt. Quo ab omnibus facto, ad electionem hac ratione procedant. Archiepiscopus Moguntinus singulorum coelectorum vota inquiret ordine subsequenti. Primo quidem interrogat Treuerensem, cui primam vocem competere declaramus, sicut inuenimus hactenus competiisse: secundo Colonien sem archiepiscopum, cui competit dignitas Romanorum regi primum diadema regium imponendi. tertio regem Boemiæ, qui inter electores laicos ex regia dignitatis fastigio, iure & merito obtinet primatum. quarto comitem Palatinum Rheni: quinto ducem Saxoniæ: sexto Marchionē Brandeburgensem. Horum itaque omnium vota hoc ordine archiepiscopus Moguntinus perquiret: quo facto, dicti electores principes ipsum versa vice interrogabunt, vt & ipse intentionem suam exprimat, & ipsis aperiat votum suum.

Nulla autem ratione ex dicta vrbe Francfurt separentur, nisi prius maior pars ipsorum temporale caput mundo elegerit, seu populo Christiano, regem videlicet Romanorum in Imperatorem promouendum. quod si facere distulerint intra XXX dies, à die iuramenti continue numerandos, ex tunc transactis eisdē XXX diebus, amodo panem tantum manducent, & aquam bibant, nec nisi Imperatore designato exeant ciuitatem.

Postquam autem in eodem loco ipsi vel pars eorum numero maior elegerit regem, talis electio legitima haberi & reputari debebit, ac si foret ab ipsis omnibus nemine discrepante celebrata: &c.

In casu deniq;, quo tres principes electores præsentes, seu absentium nuntii quantum ex se, seu eorum consortio, videlicet principem electorem præsentem vel absentem in regem Rom. eligerent, vocem illius electi, si præsens fuerit, aut nuntiorum illius, si eum abesse contigerit plenum vigorem habere, & eligentium augere numerum, partemque maiorem decernimus constituere adinstar caterorum principum electorum, &c.

Multa præterea hac aurea Caroli IIII bulla continentur cognitu digna, & huic labori quam maxime apta, quæ nunc hic recensere superfluum esse iudico, præsertim quū in huius opusculi

opusculi fine eius exemplum ad verbum exscriptum subiicere proposuerim. Hac igitur ratione rex Romanorum Francfordiæ electus, si præsens est, statim, si absens, post suum aduentum, Aquisgranum proficiscitur: vbi in ecclesia S. Mariæ virginis, quam Carolus magnus fundauit, in eiusdem Caroli sede collocatur: cuius quoque diademate, quod ibi seruatur, redimitus ab archiepiscopo Colonienſi inungitur & consecratur, qui adhuc hoc munus sibi antiquitus concessum retinet. Consecratione finita, electio Romano pontifici statim insinuatur, à quo etiam electi Imperatoris confirmatio postulatur, quod à Romanis pontificibus humaniter fieri solet. His finitis, ab Imperatore designato, Electoribus ipsis omnia priuilegia, quæ habent amplissima confirmantur: de quorum iure, auctoritate & excellentia multa videri poterunt in fine huius opusculi, in bulla aurea Imp. Caroli IIII.

De ea corona Imperiali, quæ ferrea dicitur, & de suprema Rom. Pont. coronatione.

POstquam verò rex Romanorum primo Aquisgrani ab archiepiscopo Colonienſi coronatus est, diademate regni Germanici, quod corona argentea dicitur: postea se præparat ad suscipiendā Imperialem vnctionem à Romano pontifice. Nam coronam secundam, quam ferream vocant, Mediolani à posterioribus Imperatoribus assumi solitam, ante Friderici II tempora in vsu nequaquam fuisse crediderim. Post cuius obitum, vsus hic (vt existimo) inoleuit, vt Imperator designatus, antequam Imperii Romani diadema à pontifice maximo suscipiat, Mediolanum primo proficiscatur: vbi in basilica S Ambrosii, vel Modoeciæ in basilica S. Ioannis Baptistę, iterū consecretur & coronetur alia corona, quā ferream vocant, ab archiepiscopo Mediolanensi in regem Longobardorum vel Italiæ: quod ante Henrici VII. Luxemburgensis tempora nunquā (quod sciam) factū fuisse legi. Ipsum enim Henricum VII. primum fuisse existimo, qui Mediolani ea ratione coronatus sit quæ consuetudo, cum cæteris quoq; eiusmodi nouis ritibus, inuenta est post Fridericū II Imperatorē.

Rodulphum enim, Adulphum & Albertum, qui proxime ante Henricum Imperatores designati fuerunt, hanc coronam non susceptisse, satis liquet, qui nunquam in Italiam venerunt, nec etiam Romæ pontificiam vnctionem habuerunt. Idem dici potest de Chunrado IIII filio Friderici II, Henrico Lantgrauio Thuringiæ, Guillelmo comite Hollandiæ, Ricardo & Alphonso, qui post Friderici II mortem, in schismate reges creati fuerunt. Neminem præterea superiorum Imperatorum ab Othone primo ad Fridericum II. hoc diademate coronatos fuisse, vnquam memini apud veteres auctores me legisse. Quamobrem hoc institutum nouum esse existimaui, & ex aliqua obscura maiorũ relatione acceptum. Siquidem legimus, Pipinum Imp. Caroli Magni filium ab Hadriano Papa I. & Hludouicum II Imperatorem, Hlotharii Augusti filium, à Sergio Papa II coronas Italici regni vel Longobardorum, Romæ tamen ad S. Petrum, & non Mediolani susceptisse.

In Sigeberto vero Gemblacensi, hæc verba de Chunrado I Imp. leguntur: *Anno Do.* ∞ xxxix, *Chunradus Imp. Italiã adiit, vt rebellionem meditantes debellaret. Et quia omnes Longobardi coniurauerãt, vt non paterentur quemlibet dominum, qui aliud quam ipsi vellent contra se ageret, quosdam episcopos in vincula coniecit: & quia episcopus Mediolanensis fuga lapsus est, Imp. suburbia Mediolani incendit. Die vero Pentecostes, quum Imperator in parua Ecclesia secus vrbem coronaretur ad Missam, tam grauia fuerunt tonitrua & fulgura, vt aliqui mente excederent, aliqui exhalarent. Bruno vero episcopus qui Missam canebat, & Secretarius Imperatoris cum aliis tribus dixerunt, se inter missarum solennia vidisse S. Ambrosium Imperatori indignando comminantem. Tunc Imperator Italia discessit.* Quæ ideo addidi, vt lectori diligentia mea spectata sit: nihil enim prætermisi, quo ad huius operis editionem mihi opus esse existimarem. Ex hoc autem Sigeberti loco, coronationem illam secundam intelligi non posse existimo, tũ quod archiepiscopus Mediolanensis fugatus esset: tum quod non in S. Ambrosii basilica celebrata sit, nec Modœciæ: tum etiam quod eo tempore Chunradus iam diu ante coronatus fuerat à Romano pontifice Romanus Imperator: ante cuius benedictionem, quæ nouissima est, suscipi debet coronatio Mediolanensis. Illud vero verbum *Coronari*, ita intelligi debere existimo,

existimo, quod Missam Imperatoriis vestibus indutus audierit, vt mos erat fieri his temporibus in magnis solennitatibus, perinde ac est dies festus Pentecostes.

Legitur etiam libro VII historiæ Othonis episcopi Frisingensis capite XVII, Chunradum Sueuum postea regem Romanorum, qui post mortem Henrici IIII Imperatoris, in schismate contra Hlotharium II Saxonem, à maiore eligentium parte creatum, rex Germaniæ factus fuerat, in Italiam venisse, Imperiumque sibi contra Hlotharium Augustum Longobardorum auxilio parasse: atque quum Mediolanum venisset, à Mediolanensibus honorifice susceptum ab eorum archiepiscopo Anselmo Modoeciæ, Italici regni regem vnctum & consecratum esse, ob quam rem ipsum etiam archiepiscopum à Papa exauctoratum fuisse. Quo tamen testimonio (quod solum de hac re quamuis curiose inuestigauerim, inuenire potui) coronationem ipsam Imperatorum quæ Mediolani fit, antiquam fuisse, minime affirmari posse crediderim: præsertim quum ex cæteris auctoribus non solum nō habeatur, veteres Imperatores hoc diademate coronatos fuisse, sed ne id quidem ex eorum scriptis elici potest. immo cōtraria dicere videntur, qui itinera singillatim describentes, quæ inter primam & nouissimam coronationem fieri contigerant, ipsos nunquam nec Mediolanum modo diuertisse scribunt: quæ res nulla ratione silentio prætereunda tam constanti omnium cōsensu fuisset, ab his præsertim historicis qui rebus gestis interfuerunt, omniaq; adeo accurate perscribūt, vt fastidium aliquando lectorib. nimia eorum diligentia parturiat. Bernardinus autem Corius, scriptor Historiæ Mediolanensis, nescio cuius historici auctoritate ductus (nullum enim huius rei testimonium citat) affirmare videtur, Chunradum Imperatorem primum, quem inepte tertio Othoni, transmisso primo Henrico, subiicit, primum hac corona Mediolani redimitum fuisse in templo S. Ambrosii. Henricum quoque tertium, quem secundum appellat, item Hlotharium II Saxonem, ac Othonem IIII Mediolani in basilica S. Ambrosii ab archiepiscopo Mediolanensi coronatos fuisse scribit: verum vnde id acceperit, non ponit. Hoc autem ego non solum nunquam memini me legisse, sed multos scriptores legi, qui etsi aperte non contradicant, ex eorum tamen (vt dixi) scriptis clare elici potest, hos Imperatores nunquam

Mediolani vel Modoeciæ coronatos fuisse. Idem confirmare potest, quod Corius ipse in his enarrandis sibi ipsi repugnare videtur, neq; multum sibi constat scribit enim, Chunradum II Othoni III statim successisse: Henricū vero præteriit, quē longo tempore post fuisse tradit, eundē cum Henrico II Frāco confundens. Hlotharū quoq; Saxonem ab Anselmo archiepiscopo coronatū fuisse refert, qui per ea tempora à Romano pontifice episcopatu mulctatus fuerat, suffecto alio, quod Chunradum I. Sueuum, Hlotharii ipsius acerrimum hostem, in eius odium & contemptum coronasset regem Italiæ: vt eorum temporum scriptor Otho Frisingensis memoriæ mandauit, cui magis quam Corio credendum esse opinor. De Othonis IIII coronatione Mediolani, nihil vnquam apud horum temporum historicos scriptum inueni.

Cur autem hæc secunda corona, quæ nostris temporibus Mediolani ab Impp. electis assumi solet, *ferrea* appelletur, adhuc mihi incognitum est. Corius quasdam prorsus ineptas refert rationes, quæ ab illo peti possunt. multi multa dicunt, quæ mihi non quadrant. Porro autem, primus quod sciam hoc diademate coronatus fuit Mediolani Henricus VII Lutcemburgensis, in basilica S. Ambrosii à Cassono Turriano archiepiscopo Mediolanensi, an. Do. ∞ CCCXI. Iterum in eodem loco Hludouicus IIII Bauarus, Guidone de Petramala episcopo Arretino, quod Mediolanensis archiepiscopus ei, anathemate grauissimo à Romano pontifice Iohanne XXII notato, cōmunicare noluisset, ferrea hac corona redimitus fuit. Tertius, Carolus IIII coronatus fuit hoc diademate, verum non Mediolani in basilica S. Ambrosii, sed Modoeciæ in templo S. Ioannis Baptistæ, à Roberto vicecomite Mediolanensi archiepiscopo. Nouissimus omnium Mediolani corona ferrea coronatus fuit ad S. Ambrosium, Sigismundus Imperator, Caroli IIII filius, à Bartholomæo Capra archiepiscopo Mediolanenti. nam Fridericus III. & Carolus V, Imperatores Augusti bis eodem tempore coronati sunt, ille Romæ, hic Bononiæ, ex pontificis Maximi dispensatione. primo enim vterq; eorum diademate regni Longobardici à cardinali legato, ob eam caussam creato, coronati fuerunt: mox aliquot diebus interiectis, in eodem loco benedictione imperiali donati sunt à Romanis pontificib. Nicolao V, & Clemēte V. I. Cærimoniæ autem, quæ in hac consecratione vel secunda

cunda coronatione fieri solent, consulto omittuntur: quod hæ ex libris ritualibus abunde haberi possunt.

Secunda hac coronatione celebrata, postea rex Romanorum ad vrbem venire solet, vbi in basilica S. Petri à Romano pontifice tertia corona, quæ Imperialis & aurea dicitur, redimitur, his conditionibus, & ea ratione, quas superius exposui: posteaq; Imperator & Augustus appellatur, atque ab eo die annos Imperii sui numerare incipit. Primus autem & solus omnium Imperatorum post Othonem Carolus v extra vrbem coronatus est, ad eam tamen formam omnib. Bononiæ compositis, ac si Romæ ad S. Petrum coronatus fuisset: cuius coronationis rationem, quum ea propria sit quæ in libris ritualibus Romanæ ecclesiæ habetur, à multisq; præterea nostræ ætatis scriptorib. descripta fuerit, consulto prætermittendam censui. Is autem optimus princeps, raro admodum exemplo, post omnia regna filio Philippo resignata, primus quoq; post conditum Germanicũ imperium, tanta maiestate, qualis imperialis est, sponte abdicauit, ad vitam priuatam felicissime colendam conuersus, veramq; philosophiam non verbis, sed actionibus consequendam. Sed de eius laudibus hic locus non est differendi: institutum nobis opus persequamur.

Hic autem multa essent dicenda, videlicet quib. conditionibus aliquot Imperatores à Romanis pontificibus coronati fuerint: quæ fuerit olim in Germania & Italia, & quæ nunc sit eorum auctoritas, & conditio: Imperii varii casus & mutationes: quibus rationibus Imperium in Germania exortum, auctum & confirmatum fuerit, quibus deinde casibus sensim labefactari & debilitari cœperit: quomodo demum consumptum & penitus conuulsum fuerit: ita vt nihil amplius præter inanis magni nominis vmbra remanserit: à quib. potissimum dissipatum sit: & alia eiusmodi pleraq;. Sed quoniam hæc omnia proprium volumen requirerent, atque ad propositi nobis operis cognitionem multum præterea non adferrent, hæc omnia ad aliud tempus remittere decreui.

Harum enim rerum propriam historiam conscribere animus est modo vires supperant.

Quibus Imperatoribus imperium abrogatum fuerit, & de sciſſuris vel ſchiſmatibus quæ in eo fuerunt.

IN Imperio autem, poſt Othonis primi tempora, VIII potiſſimum maxima ſchiſmata fuere: quorum tria in comitiis ipſis, quinq; extra comitiorum tempus exorta. Priora autem fuere his comitiis, quibus Philippus Sueuus, & Otho IIII, Ricardus Anglus, & Alphonſus Hiſpanus, Fridericus Auſtrius, & Hludouicus Bauarus, reges Romanorum renuntiati fuerunt. Quinque vero ſequentia fuere, Rodulphi Sueui contra Henricum III Imperatorem, Chunradi III Sueui contra Hlotharium II Saxonem: Henrici Lantgrauii Thuringiæ, & Guillelmi comitis Hollandiæ contra Fridericum II: Caroli IIII contra Hludouicum Bauarum, Guncteri contra Carolum IIII. Quæ quibus de cauſis exorta, & qua ratione ſublata fuerint, ſatis ſupra demonſtratum eſt.

Imperatores vero vel reges Romanorum VI Imperio mulctati ſunt. In quibus quattuor à Romano pontifice: ex his vero duo à papa tantum, vt Fridericus II, & Hludouicus IIII Bauarus: & totidem à papa & omnibus electoribus ſimul, vt Henricus IIII, & Otho IIII: duo vero ab electoribus tantum, vt Adolphus de Naſſau, & Vuenceslaus Caroli III filius. Quum autem priuationis forma quæ à pontifice Maximo & Electoribus ſimul fit, alibi multis in locis demonſtrata ſit: nunc operæ precium me facturum exiſtimo, ſi rationem quoque demonſtrauero, qua Electores ſoli Imperium alicui abrogarint, Vuenceslaiq; abrogationem, quę memoratu admodum digna eſt, ſubiiciam.

Quum Vuenceslaus Imperator deſignatus, Caroli IIII Imperatoris filius, cuius ſtudio & profuſiſſima largitione, eo viuente & procurante ab Electoribus rex renunciatus fuerat, grauiſſima damna Imperio attuliſſe, & in dies adferre videretur: inter quæ illa præcipua fuerũt, quod eius incredibili ignauia & inertia, quæ Imperio nocentiſſimę erant, multæ & præclariſſimæ Imperii vrbes in Italia amiſſæ, à diuerſis principib. occupatæ eſſent: ipſe quoq; accepta ingenti pecuniæ ſumma à tyranno Mediolanenſium Ioanne Galeacio vicecomite, qui

Imperii

Imperii Romani vicarius Mediolani & per omnem Lombardiam erat, eum ducem creauerat Mediolani, quod præcipuum Imperii membrum in Italia erat, in Imperii dedecus maximum & ruinam: tum ob has, tum etiam ob alias causas principes Imperii Electores in vnum congregati, Imperium ei abrogarunt. Quum nihilominus prius eum sæpissime per litteras impensissime rogassent, & admonuissent, vt & à vitiis & libidinibus abstineret, & vitam Imperatore non indignam ageret: qui quum omnia eorum monita addicto mirum in modum libidini & lasciuiæ animo parui faceret: ideo anno Domini ∞ C D ab archiepiscopo Moguntino reliqui v. electores per litteras congregati sunt (nam VII erat rex ipse, tanquam rex Boemiæ) qui omnes quum Moguntini archiepiscopi litteris paruissent, statim supra Rhenum loco qui est è regione Burbacensis arcis, in diœcesi Treuerensi, eodem anno conuenerunt, vbi XIII Cal. Septembris tribunali erecto, cum consensu & voluntate Romani pontificis, omnium ducum, marchionum, comitum, & cæterorum Imperii per omnem Germaniam procerum, Vuenceslaum ipsum regia Romanorum regis dignitate priuarunt: publicisq; literis omnium signis obsignatis, per totum Imperium Rom. eiusmodi abrogationē euulgarunt, vtq; ipse Vuenceslaus à nullo deinceps pro Romanorum rege agnosceretur vel diceretur. Eiusmodi verosententiæ exemplum hoc fuit.

Nos Iohannes archiepiscopus Moguntinus, sacri Romani Imperii per Germaniam archicancellarius, nomine dictorum Principum electorum sacri Romani Imperii, modo propter multas prægnantes causas nos vrgentes, & intolerabiles exorbitationes, ammouemus ac deponimus hac nostra sententia, dictum Dominum Vuenceslaum, vt inutilem, ignauum, & penitus ineptum ad Romanum Imperium, ab ipso Romano Imperio, atq; ab omni sibi debita gloria, honore & maiestate: denuntiantes omnib. principibus, proceribus, dominis & seruis, ciuitatibus & regionibus, ac populis sa[illegible]o Imperio subiectis, quod deinceps penitus absoluuntur, & absolutos pronunciamus, ab omni homagio & iuramēto, memorato Vuenceslao nomine sacri Romani Imperii præstito: monemusq; & requirimus eos per iuramentum, quo astricti sunt sacro Imperio, ne posthac sæpe dicto Vuenceslao, vllo pacto obediant, aut obsequantur, neq; illi vllum obsequium, censum, redditum, aut vllam subiectionem quocunque nomine tandem

appelletur, tanquã Romanorũ regi præbeant, aut exhibeant, vel permittant exhiberi: sed omnia hac reseruent pro illo, quem Deæ gratia, ceu vtilẽ & idoneum in Romanorũ regẽ eligi contingat.

Hac itaq; ratione ab Electorib. Vuenceslao ipsi Imperium abrogatum est, suffecto ipsi Roberto comite Palatino Rheni. Neque enim hic Vuenceslaus primus fuit, qui tot laboribus & virtutibus Imperium à tribus Othonibus, sex Henricis, quattuor Chunradis, Hlothario Saxone, & duobus Friderici-cis, strenuissimis Imperatoribus partum & auctum, euerterit ac dissipauerit. Statim enim post Friderici II mortem, quem nouissimum omnium Imperatorum iure appellandum censeo: eo enim vsq; Imperii Romani occidentalis maiestas tam in Italia quam in Germania floruit, præsertim quum aliquot sequentes Imperatores vel reges Romanorum dissipatores potius & euersores Imperii fuerint quam Imperatores. Guillelmus enim rex Rom ex comite Hollãdiæ creatus, in schismate contra Fridericum II initia Imperii auspicatus est ab impignoratione Nouiomagi Imperialis vrbis, quã Geldrensi comiti pro viginti argenti puri marcharum millibus vectigalem fecit Rodulphus quoq; Habspurgensis, quum ex paupere & tenuioris fortunæ comite, studio Gregorii X pontificis Maximi rex Romanorum hac conditione creatus esset, vt statim in Italiam pro obtinendo Imperii diademate veniret, Duxque esset factæ militiæ pro recuperandis Hierosolymis congregandæ: ipse regnum adeptus nihil minus cogitauit. Omne enim studium suum, vires animumque intendit, relictis interim Imperii negociis grauioribus, ad augendum & ampliandum familiæ suæ splendorẽ, cui Austriam & Sueuiam primus intulit: pecunias quoq; per fas & nefas congregandas in maximum Romani Imperii detrimentum. omnib. enim vrbibus quæ iuris Imperii in Tuscia erant, libertatem multis aureorũ millibus vendidit: quo mercatu eis paullatim ab Imperio desciscendi occasionem dedit Comitatum quoque Romandiolæ, qui à tẽpore primi Othonis sub Imperii fuerat ditione, sponte amisit. Eius exẽplum optime imitati sunt sequẽtes Imperatores, & præsertim hi qui in Italiam venerunt, vt Hẽricus VII Lucẽburgensis, qui multa Lõbardiæ, immo fere omnes vrbes tyrannis vẽdidit. Carolus vero V quum Wenceslaum filium suum, ignauissimæ inertiæ hominem, in regẽ se viuente eligi procuraret, principesque Electores ei assentiri minime

minime viderentur, quod virtute obtinere non potuit, precio comparauit, singulis electoribus multis aureorum millibus promissis: quos quum postea pendere non posset, publica illi Imperii vectigalia concessit, in perpetuum Imperii dedecus & malorum omnium seminarium: quibus toties misera vexata fuit Germania. aliquot præterea Imperii oppida eisdem assignauit, & præsertim Hludouico comiti Palatino Rheni, cui Oppenheym, Ingelheym, Keiserslautern, oppida in perpetuam possessionem donauit, sicque viscera per Germaniam hausit, quo ignauissimam pecudem, filium suum malo Imperii natum, ad regnum proueheret. Deinceps vero Romana potestas ad nihilum fere redacta est, neque postea extollere caput potuit, quum principes omnia sibi iura Imperii retineant, nouosq; Imperatores iureiurando adigant, ne pignora reuocent, vel antiqua eorum priuilegia aliquando abrogent. Maximam igitur Carolus IIII Romano Imperio iacturam fecit. ex cuius spoliis tanquam in bello captis Boemiæ regnū genti suæ hæreditarium locupletauit. Quicquid præterea iuris Romanum Imperium in regno Arelatensi habuerat, penitus amissum est: quo tempore Francorum occidentalium regno cessit: Hlotharingia quoque & Sabaudia, Imperii nobilissimæ prouinciæ, amissæ sunt. ita vt Romani huius Imperii aquila adeo deplumata sit, vt nunc pene nuda remaneat. Cæterum querelæ, ne tum quidem gratæ futuræ, quum necessariæ essent, absint. ad nostra reuertamur.

De Imperii cæteris principibus, & ciuitatibus liberis Imperialibus.

POST VII Electorum ordinationem, posterioribus temporib. præterea multæ in Romano occidentis Imperio factæ sunt institutiones, variaque pro Imperii maiestate officia excogitata. Nempe post VII Electores ex veteribus Imperii principibus, quo comitiorum ius amissum, æquiore animo (vt existimo) ferrent, in cæteris Imperii negotiis transigendis admissi sunt, atq; in hanc formam & distinctos gradus redacti. ad augendam itaque Imperii maiestatem sic per gradus distincti sunt, vt sicut sunt quatuor laici imperii Electores,

sic essent quatuor Duces, quatuor Marchiones, quatuor Lãtgrauii, quatuor Burgrauii, quatuor Comites, quatuor deinceps Barones, Nobiles, Milites, Ciuitates, Villæ, & Rustici, & alia ciusmodi officia. Nec his contenti Imperatores, aliquot Duces ex Marchionibus, ex ducibus Archiduces, ex comitibus Marchiones, & plerosq; similes dignitatum ordines excogitarunt. Qui autem ex omnib. ordinibus singulari quadam dignitate & excellentia ad Imperii Romani augendam maiestatem, eiusq; dignitatem tuendam quaternario numero post Electores laicos potissimum adscripti fuerunt, hi sunt

Quatuor duces,
Dux Brunsuicensis
Dux Bauariæ.
Dux Sueuiæ
Dux Hlotharingiæ.

Quatuor Lantgrauii,
Thuringiæ
Hassiæ
Luchtenberg
Alsatiæ.

Quatuor Marchiones
Misniæ
Brandiburgensis
Moraviæ
Inferioris Badersiac.

Quatuor Burgrauii,
Meideburgensis
Norembergensis
Renech
Stromburg.

Quatuor Militares Comites,
Flandriæ
Tyrolis
Aldemburgi
Ferrariæ.

Quatuor præcipui Marescalli,
Bappenheim
Iuliaci
Misniæ
Vinstingum.

Quatuor Barones,
Limpurgi in Franconia
Thusis & Raroniæ in Thochenburg
Vesterburg
Aldenualden.

Quatuor Milites,
Andlauu
Meldingen
Strondech
Fronberg.

Quatuor Metropoles,
Augusta Vindelicorum
Aquisgranum
Metis
Lubecum.

Quatuor Villæ,
Bamberga
Vlma
Hagenoia
Seleſtadium.

Quatuor Rustici.
Coloniæ Agrippinæ.
Ratisbonæ.
Confluentiæ.
Saltzburg.

Quatuor viculi Imperii.
Ingelheim.
Artdorff.

Liechtenaw.

Liechtenaw.
Denchendorff.
Quatuor Domini terrarum.
Mediolani Vicecomites.
Veronæ Scaligeri.
Paduæ Carrarienſes.
Mirandulæ Pici.
Quatuor Abbates principales.
Fuldenſis.
Campidonenſis.
Viſſemburgenſis.
Murbacenſis.
Quatuor Montes Imperii.
Munſterberg.
Fridberg.
Heidelberg.
Nurimberg.
Quatuor Burga Imperii.
Aldenburg.
Meidenburg.
Potenburg.
Mechelburg.
Quatuor Venatores.
Vrn.
Vrach.
Schonburg.
Meſtz prope Curiam.
Quatuor officia hæreditaria ducatus Sueuiæ.
Dapifer à Valtpurg.
Pincerna à Redach.
Mareſcallus à Marchdorff.
Camerarius à Chemat.
Quatuor Serui.
Waldech.
Hirten à Fulchen.
Hornſperg.
Rabnaw.

Multæ vero ex his dignitatibus vel mutatæ ſunt, vel omnino interciderunt. Spirituales autem vel Eccleſiaſtici Imperij principes, qui omnes conuentibus Imperij, quos Diætas vocant, intereſſe poſſunt, ſunt hi:

Archiepiſcopi VII.
Moguntinus
Colonienſis.
Treuerenſis.
Saltzburgenſis.
Bremenſis.
Biſuntinus.
Rigenſis.
Epiſcopi XX.
Bambergenſis.
Herbipolenſis.
Leodienſis.
Wormacienſis.
Spirenſis.
Curienſis.
Tridentinus.
Eiſtatenſis.
Hildesheimenſis.
Friſingenſis.
Monaſterienſis.
Patauinus.
Argentinenſis.
Auguſtanus.
Brixinenſis.
Conſtantienſis.
Rarcemburgenſis.
Oſnaburgenſis.
Ratiſponenſis.
Baſilienſis.
Abbates.
Fuldenſis.
Hirſchfeldenſis.

Et quidam alii.

Magister ordinis Teuthonicorum, &c.

Vrbes autem quæ hodie vocantur Imperiales, sunt hæ:

Aquisgranum.
Alen.
Antuerpia.
Argentina.
Augusta.
Basilea.
Berna.
Bernheim.
Biberach.
Bisuntium.
Bopatrum.
Buchorn.
Boffingen.
Campensis.
Curia.
Colonia.
Colmaria.
Confluentia.
Dauentria.
Dortmund in Westphalia.
Dunchelspuel.
Durcheim.
Duera in Braband.
Egra.
Erdfordia.
Eslingen.
Francfordia ad Moganum.
Francfordia ad Oderam.
Fridberg in Verderoia.
Friburgum in Brisgoia.
Gelnhausen.
Gengen.
Gottingen.
Gruningum in Frisia.
Gamund in Sueuia.
Goslar in Saxonia.
Hagenoia.
Hala in Sueuia.
Hala in Thuringia.
Helprun.
Hamberga.
Heidesfelt.
Isslnem.
Ingelheim.
Kaufbuern.
Keiserspers.
Keisers lautren.
Kempten.
Landaw.
Lindaw.
Leukirch.
Lubecum.
Lucerna.
Luneburgium.
Mecdeburgum.
Memmingen.
Metis.
Moguntia.
Mulnhusen in Thuringa.
Mulnhusen in Saxonia.
Nordhusen in Thuringia.
Norimberga.
Neumagen.
Norlingen.
Odernheim.
Obernheim.
Offenburgum.
Oppenheim.
Pfullendorff.
Rauenspurg.
Ratisbona.
Rotenburgum.
Rosseim.

Rosseim.	Vberlingen.
Rotuilla.	Vlma.
Reutlingen.	Vuangen.
Sangallus.	Veid iuxta Drauum.
Schafusia.	Vesel superior.
Selestadium.	Vesel inferior.
Soloturum.	Vetzlar in Hassia.
Strasburg, alias Argentina.	Vuyl in Sueuia.
Spira.	Vueissemburg.
Schwinfart.	Vuiminia.
Treueris.	Vormacia.
Tigurum.	Vuinsheim.

Ex his vero vrbibus, quædam nostro tempore Imperatorem tanquam dominum venerantur, quædam minime: tamen in Imperij necessitatibus faciunt, quod sibi præscriptum est: & hæ potissimum sunt confœderatæ Heluetiorum. Sunt etiam inter has vrbes nonnullæ ab Imperatoribus ipsis venditæ, quædam aliæ pignoratæ, aut alio quouis modo ab Imperij ditione subtractæ: vt satis supra demonstratum est. Verum antequam ad huius laboris finem perueniam, hoc non omittendum duxi, quod Clemens Papa V. instituit, vt vacante Imperio, Papa sit vicarius Imperij in eius ditione, quam in Italia potissimum habet. Item quod Imperator designatus, ius administrandi Imperij non habeat, antequam à Romano pontifice fuerit confirmatus. Quam constitutionem reuocare nisus est in conuentu Francfordiensi Hludouicus Bauarus imperator, in quo decretum est, vt Imperator à maiori & saniori parte Electorũ designatus, statim ratione electionis auctoritatem habeat administrandi Roman. imperium, nulla Romani pontificis confirmatione expetita. Electus tamen creationem suam debet Pontifici nunciare, tanquam Princeps catholicus, & qui dignus sit fastigio Imperiali: ac deinde pro diademate Imperiali Pontificem maximum rogare. quod si designato Imperatori negetur, absque iusta & legitima causa, quod queat Imperij coronam suscipere à quolibet Catholico Episcopo: quod decretum tanquam insolens, non longe post antiquatum est.

MICHAELIS BEVTHERI DE SEPTEMVIRATV Principum Electorum, quando is cæperit, Sententia certa.

IMperium Romanum inde à Constantino Magno, qui illud primus in Græciam transtulit Byzantium, & cæteris Orientalibus Imperatoribus, ad Caroli Magni tempora, & post Carolum aliquanto longius in Ottonem vsque Tertium Saxonem, vt plurimum successione constitutum fuisse, nonnunquam etiam Potentia, ex historiis notum est: nec per electionem siue suffragia definita. Imperatores designabantur Hic enim Otto Tertius ex Saxonum prosapia oriundus, vbi deprehendit perpetuos Gallorum Italorumque in transferenda Imperiali Maiestate conatus, à Germanis vel ad suos vel alienos suo arbitrio, pernitioso prorsus nimiæ libertatis, & amore & studio: ac inter Germanos quoque propter Electionem nunquam dissensiones atque rixas easque grauissimas, apud maiores suos defuisse perpenderet: meminerat etiam, quomodo ex infelicissimis de Imperio contentionibus creuerit Tyrannis atq; opes illæ detestandæ Pontificum Romanorum, & licentia Principum Italiæ: imo cuncta hæc partim in Iohanne XVII. Papa, partim Henrico Bauaro cognato suo, partim denique Crescentio Romano sensisset ipse, ac proinde varios existere circa Imperium fortunæ euentus animaduerteret, interim tamen tam potentem Monarchiam Christiano orbi ad tutandum Romanorum Pontificem & Italiæ libertatem, denique ad conseruandam Concordiam Religionis in tota Europa, perquam necessariam esse: his omnibus commotus, ne idem in posterum crebrius accideret, verum seditiosis huiusmodi conspirationibus superbæ gentis Italicæ aduersus quemcunque Imperatorem, digladiationibus consimiliter inter ipsos Italiæ Principes de imperio, nec non irruptionibus peregrinarum Gentium assiduis, aliisque contentionibus finem tandem imponeret: frenos itidem Tyrannidi, auaritiæ atque ambitioni Pontificum, ne possent illi vt cœperant, quando vellent, aut rescindere Decreta, aut turbare deliberationes

berationes institutas de Electione, aut quos vellent amouere, iniiceret: ordinato in locum Iohannis XVI. pontificis defuncti, anno Domini 994. Brunone consanguineo siue agnato suo Saxone Germano, qui postea mutato nomine Gregorius quintus dictus fuit, Consilium cum ipso non multo ante mortem suam iniit, Romæque magna frequentia assentiente Pontifice, imo sanciente & promulgante decretum tulit atque constituit, vt in futurum Ius omne & potestas eligendi Romanum Imperatorem esset penes solos Principes Germanos, nec liceret Romano Episcopo quenquam proclamare Imperatorem, nisi quem Proceres Germaniæ ad id fastigium dignati essent, postulassent, euexissent: siquidem reprimi aut prohiberi disceptationes de suprema illa obtinenda maiestate, ac certamina hinc inde varia, itemque Germanis quod sua virtute adquisiuerunt κράτωμα Imperij confirmari aliter non posse, sapientissimus Cæsar optime prospiciebat, nisi hoc obtineretur, vt nec alius quam Germanis, nec aliunde quam ex Germanis Imperatorem creare liceret: adeoque Germani certis Legibus imperarent, Itali vero parerent, quibus ad imperandum vires tum deerãt & nerui: qua de re nullibi extat controuersia, sed Historici vnanimiter conueniunt omnes. Quod vero ex iisdem pleriq; tam exteri quam Germani Annalium scriptores, qui intra CC. plus annos vixere, vno quasi ore tradunt vlterius, Septem in Germania Principes Electores simul eodemque tempore fuisse ab hoc Pontifice, & Ottone Tertio Imperatore designatos, & non alios quam qui iam sunt, neque plures neque pauciores, minime recipiendum esse affirmo: siquidem ab huius temporibus inde à nato Christo annorum mille, ad Rudolphi Habspurgensis Romanorum Regis, vt ne dicam Caroli IV. Imperatoris vsq; electionem, reperiuntur passim in Historiis alij quoque Ecclesiastici & Politici ordinis Principes, qui Romanorum Regum siue Imperatorum electionibus interfuerũt, & suffragij Ius vna cum aliis habuerunt: prout ex iis qui ante annos ducentos, trecentos, quadringentos, quingentos etiam conscripti sunt Annalibus admodum manifestum est. Ac si consideremus, quis tum temporis Palatinatus Rhenani & Marchionatus Brandeburgici Status atque auctoritas fuerit, & quæ illis regionibus Principum familiæ præfuerint, liquido constabit illas

tam potentes non fuisse, vt præ omnibus aliis Politicorum Germaniæ Principum familiis eligendi Romanorum Regis aut Imperatoris ius in solas ipsas conferretur: neque etiam Boiemia tum ad Imperium pertinebat, vt ex iisdem Historiis animaduerti potest. Pari ratione conuellitur opinio eorum, qui septemuiratus nomen, auctoritatem, ac etiam potentiam à tempore Friderici II. Imperatoris, vel certe non multo post, sub Sueuorũ tamen Imperio, inclaruisse atq; inualuisse statuunt: nam certum est, eo tempore plures quam VII. semper Electores extitisse, imo omnes quicunque aduenerant ex Illustrioribus, ad Electionem admittebantur: quod inde constat, quia post Fridericum II. Imperatorem Electorum ille numerus magis magisque fuit diminutus, multumque propter bella quibus impediebantur ciuilia atq; intestina, quo minus ad electionem frequentes adparere potuerint, subsedit ex quibus cum nonnulli permanserint constantes, hi postea reliquos, qui per tempus Electionem deseruere, ab eadem plane excluserunt, adeoque sibi præcipue Ius eligendi vendicasse: quod ego initium tenuioris alicuius numeri circa Principes Electores fuisse censeo: non tamen septenarij, prout nunc in Imperio is obtinet Romano. Etsi enim minime negauerim circiter Friderici primi, vel saltem posterorum Sueuorum Imperatorum tempora, Palatini ad Rhenum, Ducis Saxoniæ, Marchionis Brandeburgensis, Regis etiam Boiemici hinc inde suffragia apud Historicos celebrari, tamen ideo non sola, sed paria habuerunt & alij Principes seculares: quod vel in solo Ludouico Boiariæ duce, Philippum Sueuiæ Ducem, Friderici Primi Filium, Henrici VI. fratrem, contra Fridericum II. Henrici VI. Filium, paucis quibusdam aspirãtibus Proceribus aliis Imperatorem designante, anno Domini M. CC. confirmari licet: qui certe ex numero eorum non fuit: aut si sola, vtique non eo ordine & præeminentia qua iam dicere solent sententias in electionibus. de moderna namque Septemuiratus constitutione inquirimus, quæ hodie viget inter Germanos, quo nam auctore, vel quibus de causis vel quo tempore ea primũ cœperit: & cur in hunc laudatissimum Senatum hi ipsi adsciti sint, & non alij nec plures nec pauciores. Et quidem ad auctorem quod attinet, nusquã ante Carolum IV. Aureæ Bullæ fundatorem, septem fuisse Electorum, secundum istam seriem

seriem familiarum & ordinis, apud Historiographos mentionem fieri compertum habemus: sed hic primus classes eorum transmutauit, atq; ex supremo Marchione Brandeburgico, quia filius erat, infimum, ex posteriore vicissim, Comite Palatino Rheni, primum constituit, medium locum Saxoni relinquens: eam ob causam, vt eo promptiores morem sibi gererent Germani Electores in promouendo filio suo Wenceslao Boiemiæ Rege, quem arbitrū Senatui, & imperij Archipincernam, hactenus incognitum, destinauerat: quod & Archiepiscopis tribus Ecclesiasticis Electoribus non ingratū videbatur, verum magis honorificum, si regem haberent socium & collegam. Hoc vno consilio Carolus IV. Imperator ductus septimum adinuenit, exordiumq; dedit primo septem Electoribus præsentis status ac conditioni nec tantum accuratius distinxit. Quorsum igitur doleamus aut dubitemus in re tam certa, adeoq; perspicua? ante Carolum IV. nullus omnino erat Boiemiæ Rex inter Electores: Ergo hic solus septenarium primusq; absoluit, sex reliquos fuisse, non infitior: neq; hic de sexemuiris instituta est disputatio, sed vnde & quo tempore accesserit septimus? videlicet vt arbiter esset, si forte æquales colligerentur sententiæ: at vero quibus vel initiis vel causis illi & non alij ortum hauserint, supra monui: potentia, qua sibi ipsis hoc ius, negligentioribus quibusuis seclusis, ita videntur acquisiuisse: quamuis & alię quędam adferantur à recentioribus, huius instituti atq; consilij rationes nequaquam inconuenientes. Itaq; quando Ducum, siue Regum Boiemiæ suffragia ante Caroli IV. Imperatoris memoriam, in historiis forte inueniuntur, non aliter accipienda sunt ea, quam quorumlibet aliorū Principum, qui vel sponte vota sua contulerunt, quatenus omnibus licuit, vel ex conspiratione in gratiam communicarunt, vel etiam armis non raro confirmare tentarunt: nec vero ceu ordinarij, quia nondum ad numerum fuerat cooptatus: namque si de præsentibus quærimus rebus, à præsentis quoq; status causa, recte instituitur inuestigatio: saltem in eo hæsitant qui hac de re dubitant, quod partim Ottonem simul Septemviratum modernum cum Constitutione sua, consensu agnati sui Gregorij V. Pontificis promulgata, instituisse existiment: partim vero Carolum IV. Cęsarem eundē non tam ex nouo adinuenisse, q̄ aliquo modo conuertisse atq; transmutasse minus animad-

uertant: cum alterum ex eo confutetur, quod regnum nondum Boiemiæ extiterit illis temporibus, neq; ad Imperium Romanum pertinuerit Boiemia, sed Duces tantum fuerint Gentis propriæ: alterum vero inde satis perspicuum sit, quandoquidem de Archipincerna Imperij Germanici ante Carolum IV. nusquam legimus. Neque ad rem faciunt quæcunque postremo loco à Simone Schardio Iurisconsulto in contrarium afferuntur, ex diuersis auctoribus: nempe illi omnes contrarium potius concludunt, suamque propriam mentem in totum conuellunt, siquidem vniuersi ipsius Caroli IV. Imperatoris ætate, CCCL. annos post Ottonem III. scripsere, neque aliud tempus respexerunt. Quapropter his omnibus documentis conuicti, sub Carolo IV. Romanorum Imperatorum seu Regum Electores ad Septenarium hunc numerum primum redactos fuisse, vtique fatebimur: sicque concludimus. Quam meam hac de re sententiam inde ab anno natiuitatis meæ XVII. ex historiis depromptam, ac deinceps Iohannis Auentini auctoritate porro suffultam, Onuphrius quoque Panuinius Veronensis, hac ipsa de materia paulo copiosius disserens, in totum confirmauit.

INCI-

INCIPIVNT LEGES ET CONSTITVTIONES IMPERIALES SVB AVREA BVLla Caroli IV. Romanorum imperatoris.

IN NOMINE SANCTÆ ET indiuiduæ Trinitatis feliciter, Amen.

CAROLVS IV. DIVINA FAVENte clementia Romanorum Imperator & Boemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

OMne regnum in se ipsum diuisum desolabitur: nam principes eius facti sunt socij furum: ob quod Dominus miscuit in medio eorum Spiritum vertiginis, vt palpent in meridie sicut in tenebris: & candelabra eorum mouit de loco suo, vt cæci sint, & duces eorum, & qui ambulant in tenebris, offendunt: & cæci mente, scelera perpetrant, quæ in diuisionem contingunt. Dic superbia, quomodo in Lucifero regnasses, si diuisionem auxiliatricem non habuisses? Dic Satan inuide, quomodo Adam de paradiso eiecisses, nisi eum ab obedientia diuisisses? Dic Luxuria, quomodo Troiam destruxisses, nisi Helenam à viro suo diuisisses? Dic Ira, quomodo Romanam rempublicam destruxisses, nisi in diuisione Pompeium & Iulium sæuientibus gladiis ad intestina prælia concitasses? Tu quidem, Inuidia, Christianum Imperium à Deo ad instar sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, fide, spe & charitate, virtutibus Theologicis roboratum, cuius fundamentum super Christian. flumo regno feliciter stabilitur, an-

tiquo veneno, quod velut serpens in palmites Imperiales, & membra eius propinquiora, impio scelere vomuisti, vt concussis columnis totum ædificium ruinæ subiiceres: diuisionem inter septem Electores sacri Imperij, per quos (velut septem candelabra lucentia in ciuitate Spiritus septiformis) sacium illuminari debet Imperium, multotiens posuisti. Sane cum ex officio, quo Cæsarea dignitate potimur, futuris diuisionum & dissensionum periculis inter Electores ipsos, de quorũ numero (vt rex Boemiæ) esse dinoscimur, ratione duplici, tam ex Imperio quã electionis iure quo fungimur, occurrere teneamur: infra scriptas leges ad vnitatem inter Electores fouendam, & electionem vnanimem inducendam, ac detestandæ diuisioni prædictę variisq; periculis ex ea sequentibus aditum præcludendum, in solenni curia nostra Nutenbergensi assidentibus nobis omnibus Principibus, Electoribus, Ecclesiasticis & secularibus, ac aliorum principum, comitum, baronum, procerum, nobilium, & ciuitatum, multitudine numerosa, in solio Maiestatis Cæsareæ Imperialibus insulis, insignis & diademate decorati, matura deliberatione præuia, de Imperialis potestatis plenitudine edidimus, statuimus, & duximus sanciendas, &c. Sub anno Domini millesimo, trecentesimo, quinquagesimo sexto, Indictione nona, quarto idus Ianuarij: regnorum nostrorum, anno decimo, Imperij vero secundo.

Qualis esse debeat conductus electorum, & à quibus.

DEcernimus, & præsenti edicto Imperiali perpetuo valituro sancimus, ex certa scientia, & de Imperialis plenitudine potestatis, vt quotiescunque & quandocunque futuris temporibus necessitas, siue casus electionis, regis Romanorum in Imperatorem promouendi, emerserit, & Principes electores ad electionem huiusmodi, iuxta antiquam laudabilem consuetudinem habuerint prouisci, vnusquisque Princeps elector, si & quando super hoc fuerit requisitus, quoslibet Principes electores suos, vel ipsorum nuntios, quos ad electionem ipsam transmiserint per terras, territoria & loca sua & etiam vltra, sicut longius poterit conducere, teneatur:

& eis

& eis absque dolo præstare conductum, versus ciuitatem, in qua talis electio fuerit celebrata, & ab illa etiam redeundo, sub pœna periurij ac perditionis (pro & illa duntaxat vice) suæ vocis, quam in electione huiusmodi fuerit habituruś. Quas quidem pœnas, eos vel eum, qui in præstandó memoratum conductum rebelles, seu rebellem, negligentes seu negligentem se præbuerint, eo ipso decernimus incidisse.

Statuimus insuper & mandamus vniuersis aliis principibus, feuda à sacro Imperio Romanorum tenentibus, quócunque nomine censeantur, nec non comitibus, baronibus, militibus, clientibus, nobilibus & ignobilibus, ciuibus & communitatibus castrorum, ciuitatum, & locorum sacri Imperij vniuersis, vt eodem tempore, dum videlicet regis Romanorum in Imperatorem promouendi electio celebranda occurrerit, vnumquemque Principem electorem ab ipsis vel eorum aliquo conductum huiusmodi postulantem, vel eiusdem nuntios, quos ad electionem ipsam direxerit, vt præfertur, per territoria sua & alias quanto potuit remotius absque dolo modo præcedenti conducant. Si qui vero huic nostræ constitutioni contraire præsumpserit, subscriptas ipso facto pœnas incurrant. Omnes quidem Principes, & comites, barones, nobiles, milites, clientes, ac vniuersi nobiles contrarium facientes, reatum periurij & priuationem omnium feudorum, quæ à sacro Romano Imperio & quibuscunque aliis obtinent, & etiam omnium possessionum suarum à quocunque habitarum incurrant. Omnes quoque ciues & communitates, contra præmissa facere præsumentes, similiter sint periuri. Et nihilominus vniuersis suis iuribus, libertatibus, priuilegiis, & gratiis à sacro obtentis Imperio, sint omnino priuati; & cum personis, & bonis suis omnibus, bannum & proscriptionem Imperialem incurrant. Et eosdem ipso facto ex nunc, prout extunc, omni iure priuamus. Deinceps cuilibet hominum auctoritate propria, & sine iudicio, seu inuocatione magistratus cuiuslibet, impune licebit eos inuadere, nullamque pœnam propter hoc inuadens ipsos debebit ab Imperio seu quouis alio formidare: præsertim cum contra Rempublicam ac sacri Imperij statum ac dignitatem, ac etiam contra honorem proprium, & salutem tantæ rei temerarij neglectores, tanquam rebelles, inobedientes

& perfidi, infideliter & peruerſe agere, conuincantur. Decernentes inſuper & mandantes, vt omnium ciuitatum ciues & communia, iam dictis principibus, electoribus, & eorum cuiuslibet hoc poſcenti, eorumq; nuntiis victualia in communi pretio atq; curſu, pro ſuis, ſeu nuntiorum prædictorum hominumq; ſuorum neceſſitatibus, dum ad prædictam ciuitatem cauſa celebrandæ electionis prædictæ acceſſerint, & etiam dum diſceſſerint ab eadem, vendere ſeu vendi facere teneantur, nullam in premiſſis fraudem quomodolibet adhibendo, alioquin contrarium facientes, pœnas illas volumus ipſo facto incurrere, quas in præcedentibus contra ciues & communitates duximus promulgandas.

Quiſquis inſuper ex principibus, comitibus, baronibus, militibus, clientibus, nobilibus ſeu ignobilibus, ciuibus ſeu communitatibus ciuitatum, principi electori ad electionem de rege Romanorum celebrandam eunti, vel ab ipſa denuo redeunti, hoſtiles cuſtodias tendere, ſeu inſidias parare præſumpſerit: aut ipſos, vel eorum aliquem, in ſua, vel ſuorum perſonis aut rebus, inuadere, vel turbare, ſeu ipſorum vel alicuius eorum nuntios ante dictos, ſiue conductum petierint, ſiue etiam non duxerint exigendum, hunc vna cum vniuerſis malitiæ complicibus, ipſo facto ſupra dictas pœnas decreuimus incurriſſe: ita videlicet, quod quæuis perſona pœnam incidat, ſiue pœnas, quas iuxta præmiſſa, pro qualitate perſonarum duximus infligendas.

Si vero aliquis Princeps elector, cum aliquo ſuo coelectore inimicitias gereret, & inter eos quæcunq; contentio, controuerſia ſeu diſſenſio verteretur, iis nequaquam obſtantibus, alter alterum, vel alterius nuntios ad electionem huiuſmodi deſtinandos, præmiſſo modo conducere ſit aſtrictus ſub pœna periurij ac perditionis (ea vice duntaxat) ſuæ vocis in electione, vt ſuperius eſt expreſſum.

Si qui vero alij principes, comites, barones, milites, clientes, nobiles ac ignobiles, ciues vel communia ciuitatum, cum aliquo Principe electore, vel pluribus ex eiſdem aduerſam gererent voluntatem, ſeu quæuis diſcordia inter ipſos ad inuicem, vel guerra ſiue diſſenſio verteretur, nihilominus omni contradictione & dolo ceſſantibus, Principi electori, vel principibus, ſeu eius, vel ipſorum nuntiis, ad electionem huiuſmodi deſtinandis, & redeuntibus ab eadem, talem debeant

præſtare

præstare conductum: prout singuli pœnas iam dictas, per nos videlicet in se latas, voluerint euitare, quas eos qui secus fecerint incurrisse decernimus eo ipso.

Ad præmissorum autem omnium firmitatem & certitudinem ampliorem, iubemus & volumus, vt vniuersi Principes electores, & cæteri principes, necnon comites, barones, nobiles, ciuitates, seu ipsarum cõmunitates, præmissa omnia literis, & iuramentis suis firmare, & ad ea bona fide, ac sine dolo implenda efficaciter se debeant obligare. Quicunq; vero literas huiusmodi dare renuerit, pœnas illas ipso facto incidat, quas pro personarum conditione per præmissa singulis duximus infligendas.

Si quis autem Princeps elector alius, vel princeps cuiuscunq; conditionis aut status, feudum vel feuda à sacro tenens Imperio, aut comes, baro vel nobilis seu successores talium, vel hæredes supra & infra scriptas Imperiales nostras constitutiones & leges adimplere noluerint, aut eis contraire præsumpserint: & si quidam talis Princeps elector extiterit, ex tunc cæteri sui coelectores à suo ipsum deinceps excludant consortio: ipseq; voce electionis, & aliorum Principum electorum loco & dignitate careat, atq; iure: nec inuestiatur de feudis, quæ à sacro imperio nisus fuerit obtinere. Alius vero princeps aut vir nobilis (vt præfertur) in has nostras leges committens, similiter non inuestiatur de feudis, quæ à sacro Imperio, vel alias obtinet à quocunque. Et nihilominus, oës præmissas pœnas suam concernentes personam, incidat eo ipso. Quamuis autem vniuersos principes, comites, barones, nobiles, milites, clientes, ciuitates quoque, & communitates illarum, ad præstandum cuilibet Principi electori, vel eius nuntiis præfatum conductum, vt prædicitur, indistincte volumus & decernimus obligari. Nihilominus eorum cuilibet singularis conductus, & conductores, pro regionum & locorum adiacentia cuilibet magis apto duximus designandos, vt statim per sequentia plenius apparebit.

Primo namque regem Bohemiæ, sacri Imperij archipincernam conducent, Archiepiscopus Moguntinus, Bamburgensis & Herbipolensis Episcopi, Burggrauij Nurenbergenses, item illi de Hoenloch & Wertheym, de Brunech & de Hanawe: item ciuitates, Nurenburg, Rotenburg & Windesheym.

Deinde Archiepiſcopum Colonienſem ſacri Imperij per Italiam Archicancellarium conducent, & conducere tenebuntur Moguntinen. & Treuiren. Archiepiſcopi: Comes Palatinus Rheni, Lantgrauius Haſſiæ: item de Katzenellenbogen, de Naſſaw, de Dietz, comites: item de Iſenburg, de Weſterburg, de Runckel, de Limburg & Falckenſteyn: item ciuitates, Wertfiar, Geylnhuſen, & Fridberg.

Item Archiepiſcopum Treueren. ſacri Imperij per Galliam, & regnum Arelatenſe Archicancellarium, conducent Archiepiſcopus Moguntinenſis, Comes Palatinus Rheni: item de Spanheym & de Feldentz, comites: item Rugrauen, Wildegrauen, de Naſſaw, de Iſenburg, & Weſterburg, de Runckel, de Lymburg, & de Ditz, de Katzenellenbogen: de Egeſteyn, de Falckenſteyn: item ciuitas Moguntinenſis.

Deinde Comitem Palatinum Rheni, ſacri Imperij Archidapiferum, conducere debebit Archiepiſcopus Moguntinenſis.

Ducem vero Saxoniæ, ſacri Imperij Archimareſcalcum tenebitur conducere rex Bohemiæ, Moguntinus & Magdeburgenſis Archiepiſcopi: item Bamburgenſis & Herbipolenſis Epiſcopi, Marchio Miſnenſis, Lantgrauius Haſſiæ: item Fulden. & Hersfelden. abbates, Burggrauij Nurembergen. item illi de Hohenloch, de Wertheym, de Bruneck, de Hanaw, de Falckenſteyn. Item ciuitates, Erffordia, Mulhuſen, Nurenberg, Rotenburg & Wyndesheym.

Et hi omnes proxime nominati, Marchionem Brandenburgenſem ſacri Imperij Archicamerarium, ſimiliter conducere tenebuntur.

Volumus autem, & expreſſe ſtatuimus, vt vnuſquiſq; Princeps Elector, qui talem voluerit habere conductum, his à quibus ipſum poſtulare decreuerit, hoc ipſum adeo tempeſtiue, viamq; qua fuerit tranſiturus, inſinuet: & talem conductum expoſcat, vt illi qui ad conductum huiuſmodi impendendum deputati, & qui fuerint requiſiti, ad hoc opportune ſe valeant & commode præparare.

Præmiſſas vero conſtitutiones circa materiam conductus editas, ita ſane debere declaramus intelligi, vt vnuſquiſque ſuperius nominatus, vel forſan non expreſſus, à quo in caſu præmiſſo conductum requiri contigerit, ad præſtandū ipſum per ſuas duntaxat terras & territoria, ac etiam vltra, quanto poteſt

potest remotius, absque dolo, sub pœnis contentis superius est astrictus.

Præterea statuimus, & etiam ordinamus, vt Archiepiscopus Moguntinensis, qui fuerit pro tempore singulis principibus coelectoribus suis, Ecclesiasticis & secularibus, electionem eandem, per suos nuntios patentibus debeat literis intimare, in quibus quidem literis talis dies & terminus exprimatur, infra quem eædem literæ ad singulos eosdē principes verisimiliter possint peruenire: huiusmodi vero literæ continebunt, vt à die in literis ipsis expressa, infra tres menses continuos, omnes & singuli principes electores Frāckfort super Moganum esse debeant cōstituti, vel suos legales ad eundem terminum atq; locum nuntios destinare, cum plena & omnimoda potestate, suisque patentibus literis, maiori cuiuslibet sigillo eorum signatis, ad eligendum Romanorum regem, in Cæsarem promouendum. Qualiter autem, & sub qua forma tales literæ confici debeant, & quæ in eis solennitas debeat immutabiliter obseruari, & in qua forma & modo principes electores nuntios suos ad electionem huiusmodi destinandos, ad potestatem, mandatum, seu procuratoria ordinare debuerint, ad finem præsentis libri scriptum inuenitur clarius, & expressum. Et eandem formam illic traditam, mandamus, & de Imperialis potestatis plenitudine, vsquequaquè decernimus obseruari.

Cum autem ad hoc peruentum fuerit, quod de Imperatoris, vel regis Romanorum obitu, in diœcesi Moguntinensi constiterit, extunc infra vnum mensem, à die notitiæ obitus huiusmodi continue numerandum, singulis Principibus electoribus, obitum ipsum, & intimationem, de quibus præmittitur, per Archiepiscopum Moguntinensem iubemus & decernimus, suis patentibus literis declarari. Quod si idem Archiepiscopus in executione & intimatione huiusmodi negligens aut remissus fortasse existeret, extunc iidem principes motu proprio, etiam non vocati pro fidei suæ virtute (qua sacrum prosequi tenentur Imperium) post hæc infra tres menses, sicut in constitutione supra proxime posita continetur, in ciuitate Franckfort sæpe dicta conueniant, electuri regem Romanorum in Cæsarem promouendum.

Debet autem vnusquisque Princeps elector, vel sui nuntij prædictam ciuitatem Franckfort, cum ducentis equitibus

tantummodo præfatæ electionis tempore introire, in quorum numero quinquaginta tantum armatos, vel pauciores, introducere secum poterit, sed non plures.

Princeps vero elector, ad electionem huiusmodi vocatus & requisitus, & ad ipsam non veniēs, vel legales nuntios cum literis patentibus sigillo suo maiori sigillatis, plenamq; & liberam ac omnimodam potestatem continentibus, ad eligendum Romanorum regem, futurum Imperatorem, non dirigens, aut veniens, aut huiusmodi nuntios fortasse transmittens: si postea princeps ipse aut prædicti nuntij à prædicto electionis loco recederent rege Romanorum futuro Cæsare non electo, nec ad præmissa procuratore legitimo substituto, solenniter, & relicta electionis voce, seu iure, quod in eadem electione habuit, & tali modo deseruit, careat ea vice.

Iniungimus autem ciuibus de Franckfort, & mandamus vt ipsi vniuersos principes electores in genere, & quemlibet eorum in specie, ab inuasione alterius, si quid inter eos aduersitatis emergeret, & etiam ab omni homine, cum omnibus eorum hominibus, quos ipsi & eorum quilibet in præfato ducentorum suorum equorum numero, ad præfatam duxerint ciuitatem in virtute iuramenti, quod super hoc ipsos ad sancta præstare statuimus Euangelia, fideli studio & solerti diligentia protegant & defendant: alioquin periurij reatum incurrant: & nihilominus omnia iura sua, libertates, priuilegia, gratias & indulta, quæ à sacro obtinere noscuntur Imperio omnino amittant: bannum quoq; imperiale cum personis & bonis suis omnibus incidant eo ipso. Et liceat extunc omni homini auctoritate propria ac sine iudicio, ciues eosdem, quos eo casu exnunc prout ex tunc omni iure priuamus, tanquam proditores infideles & rebelles imperii, impune inuadere: ita quod inuadentes huiusmodi pœnam quamcunque à sacro Imperio, vel quouis alio, nequaquam debeant formidare.

Ciues insuper antedicti de Franefort per omne tempus illud, quo super electione sæpe dicta tractari & agi contigerit, neminem præfatam ciuitatem cuiuscunq; dignitatis, conditionis vel status extiterit, intromittant, vel intrare quouis modo permittant: Principibus electoribus vel eorum nuntiis & procuratoribus ante dictis duntaxat exceptis, quorum quilibet

quilibet cũ ducentis equis debebit (vt prædicitur,) intromitti. Si vero post ipsorum Principum electorum introitum, seu in ipsorum præsentia in præfata ciuitate aliquem reperiri cõtigerit, illius exitum ciues ipsi debebunt absque mora, & cum effectu protinus ordinare sub omnibus pœnis contra ipsos superius promulgatis: & etiam in virtute iuramenti, quod ciues ipsi de Franckfort, super eo virtute præsentis constitutionis præstare debebunt, ad sancta Dei Euangelia, vt in præcedentibus est expressum.

De electione Romanorum regis.

POstquam autem sępe dicti electores, seu nuntii, ciuitatem Franckforden. ingressi fuerint, statim subsequenti diluculo in ecclesia Sancti Bartholomæi Apostoli, ibidẽ in omnium ipsorum præsentia, Missam de sancto Spiritu faciant decantari ad finem, vt ipse S. Spiritus corda ipsorum illustret, & eorum sensibus lumen suæ virtutis infundat, quatenus ipsi suo suffulti præsidio, hominem istum bonum & vtilem eligere valeant in regem Romanorum futurum Cæsarem, ac pro salute populi Christiani expedientem. Peracta quoque missa huiusmodi, omnes illi electores seu nuntii accedant ad altare, in quo missa eadem extitit celebrata: vbi principes electores ecclesiastici, coram Euangelio beati Iohannis, *In principio erat verbum*, quod illic ante ipsos poni debebit, manus suas pectori cum reuerentia supponant: seculares vero principes electores, dictum euangelium corporaliter manib. suis tangant, qui omnes cum tota sua familia, tunc ibi debebunt inermes assistere. & archiepiscopus Moguntinensis formam iuramẽti eis dabit, & vna cum ipsis, & ipsi vel absentium nuntii vna cum eo, iuramentum præstabunt vulgariter in hunc modum. *Ego N. archiepiscopus Moguntin. sacri imperii per Germaniam Archicancellarius ac princeps elector, iuro adhac sancta Dei Euangelia, hic præsentialiter coram me posita, quod ego per fidem qua ego Deo & sacro Romano Imperio sum astrictus, secundum omnem discretionem & intellectũ meum, cum Dei adiutorio eligere volo temporale caput populo Christiano: id est, regem Romanorum in Cæsarem promouendum, qui ad hoc existat idoneus, inquantum discretio & sensus mei me dirigunt: & secundum*

fidem prædictam votemq; meam, & votum seu electionem præfatam, dabo absq; omni pacto, stipendio, pretio, seu promisso, vel quocunq; modo talia valeant appellari. Sic me Deus adiuuet, & omnes Sancti.

Præstito denique per electores seu nuntios in forma & modo prædictis huiusmodi iuramento, ad electionem procedāt: nec ammodo de iam dicta ciuitate Francfort separentur, nisi prius maior pars ipsorum tēporale caput mundo elegerit, seu populo Christiano, regem videlicet Romanorum in Cæsarem promouendum. Quod si facere distulerint infra triginta dies, à die præstiti iuramenti præfati continue numerandos, extunc transactis eisdem triginta dieb. ammodo panē manducent & aquam: & nullatenus ciuitatem exeant antedictam, nisi prius per ipsos vel maiorem partem ipsorum, rector seu temporale caput fidelium electum fuerit, vt præfertur.

Postquam autem in eodem loco, ipsi vel pars eorum maior numero, elegerit, talis electio perinde haberi & reputari debebit, ac si foret ab ipsis omnibus, nemine discrepante concorditer celebrata. Si que per tempus aliquod morari, abesse & tardare contingeret aliquem de electoribus seu nuntiis antedictis, dum tamen veniret, antequam prędicta est electio celebrata: hunc ad electionem istam, in eo statu admitti debere decernimus, in quo ipsa aduentus sui tempore consistebat: & quia de antiqua, approbata & laudabili consuetudine, tam incōuulse quam immutabiliter semper extitit hactenus obseruatum. Ideoq; & nos constituimus, & de electione Imperiali decernimus plenitudine potestatis, & is qui modo præmisso in regem Romanū electus fuerit, peracta statim huiusmodi, priusquam in aliquib. cauſſis aliis, siue negotiis, virtute sacri Imperii administret, vniuersis & singulis principibus, electoribus, ecclesiasticis & secularibus, qui propinquiora sacri Imperii membra esse noscuntur, omnia ipsorū priuilegia, literas, iura, libertates, concessiones, antiquas consuetudines, & etiam dignitates, & quicquid ipsi ab Imperio vsq; in diem electionis suæ obtinuerunt, & possederunt, absq; dilatione & contradictione confirmare & approbare debeat per suas literas & sigilla, ipsisq; præmissa omnia innouare, postquam imperialibus insulis fuerit coronatus. Confirmationem autem huiusmodi electus ipse cuilibet principi electori in specie, primo suo regali nomine faciet: & deinde sub Imperiali titulo innouabit,

uabit,& in his ipsos principes omnes in genere, & quemlibet eorum in specie nullatenus impedire, sed potius absque dolo gratioſe tenebitur promouere.

In casu denique quo tres Principes electores præsentes seu absentium nuntii quartum ex se,seu eorum consortio, videlicet Principem electorem præsentem vel absentem in regem Romanorum elegerint,vocem illius electi, si præsens affuerit,aut nuntiorum ipsius, si eum abesse contigerit, plenum vigorem habere,& eligentium augere numerum,partemque maiorem decernimus constituere, ad instar cæterorum Principum electorum.

De sessione Treueren. Colonien. & Moguntinen. archiepiscoporum.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis feliciter, Amen. Carolus quartus,diuina fauente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus,& Bohemiæ rex,ad perpetuā rei memoriā. Decor & gloria sacrosancti Romani Imperii,& honor Cęsareus, & reipublicæ grata compendia venerabiliū & illustrium Principū electorum, concordi voluntate fouentur:qui velut columnæ proceres sacrum ædificium circunspectæ prudentiæ solerti pietate sustentant,quorū præsidio,dextra Imperialis potentiæ roboratur. Et quanto mutui fauoris ampliori benignitate stringuntur, tanto vberioris pacis & tranquillitatis commoda feliciter profluunt populo Christiano. Vt igitur inter venerabiles Moguntinen. Colonien nec non Treueren.archiepiscopos,sacri Imperii Principes electores,omnium litium & suspicionum mala, quem & qui de prioritate,seu dignitate sessionum suarū, in curiis Imperialibus & regalib suboriri valerent in posterū,perpetuis in antea temporibus amputentur & ipsi in cordis & animorum quieta conditione manentes & de opportunitatib. sacri Imperii,concordi fauore,& virtuosæ dilectionis studio conuenientius meditari valeant pro consolatione populi Christiani; habita deliberatione cum omnibus Principibus electoribus tam ecclesiasticis quam secularibus, & de ipsorum concilio, decernimus, & de imperialis potestatis plenitudine, hac edictali lege perpetuo valitura sancimus,quod supra dicti venerabiles archiepiscopi, Treuerensis videlicet, ex oppositio

& lineari directione, versus Imperatoris faciem : Moguntinen. vero in suis diœcesi & prouincia, & extra prouinciam suam, in toto archicancellariatu suo Germanico, prouincia Colonien. duntaxat excepta: & demum Colonien. in suis diœcesi & prouincia & extra prouinciam suam in tota Italia & Gallia in dextero latere Romanorum Cæsaris sedere possint, valeant & debeant in omnibus publicis actibus, Imperialibus puta iudiciis, collationibus feudorum, & in refectionib. mensarum ac etiam in conciliis, & in omnibus aliis agendis, propter quæ contingit, seu continget, eos pro honore seu vtilitate Imperiali tractandis, mutuo conuenire : & hunc modum sessionis, sub omni eo ordine, sicut expressatur superius, ad prædictorum Colonien. Treueren. & Moguntinen. archiepiscoporum successores, perpetuo extendi volumus, vt nullo vnquam tempore super his quæuis dubietas generetur.

De principibus electoribus in communi.

STatuimus insuper, vt quotiescunque imperialem curiam ex nunc in antea, celebrari contigerit, in qualibet sessione videlicet tam in consilio quam in curia, quam in mensa, & locis aliis quibuscunque, vbi Imperatorem, vel regem Rom. cum principibus electoribus sedere contigerit, à dextro latere Imperatoris, vel regis Romanorum, immediate post archiepiscopum Moguntinen. vel Colonien. illum videlicet quem tunc temporis, pro qualitate locorum & varietate prouinciarum, iuxta priuilegii sui tenorem dicto latere dextro Imperatoris, assidere contigerit, rex Bohemiæ cum sit princeps coronatus & vnctus, primum, & post eum continuo Comes palatinus Rheni, secundum sedendi locum debet obtinere: ad sinistram vero partem, immediate post illum, quem ex prædictis archiepiscopis in latere sinistro sedere contigerit, primum locum dux Saxoniæ, & post eum Marchio Brandeburgensis alterum obtinebit. Cæterum, quotiens & quando deinceps sacrum vacare continget Imperium, ex tunc Moguntinensis archiepiscopus, potestatem habebit, sicut potestatem habuisse dinoscitur ab antiquo, cæteros principes antedictos suos, in dicta electione consortes literatorie conuocandi. Quibus omnibus, seu his qui

potuerint

potuerint & voluerint interesse, in electionis terminis inuicem congregatis, dictus archiepiscopus Moguntinensis, & non alter eorundem electorum suorum vota singulariter habebit inquirere ordine subsequēti. Primo quidem interrogabit à Treuerensi archiepiscopo, cui primam vocem competere declaramus, sicut inuenimus hactenus competiisse. Secundo à Colonienſi archiepiscopo, cui competit dignitas nec non officium Romanorū regi primum diadema regium imponendi. Tertio à rege Bohemiæ, qui inter electores laicos ex regiæ dignitatis fastigio, iure & merito obtinebit primatum. Quarto, à Comite palatino Rheni. Quinto, à duce Saxoniæ. Sexto, à Marchione Brandeburgensi. Horum omnium vota, præmisso iam ordine, dictus archiepiscopus Moguntinensis perquiret: quo facto, dicti principes sui consortes, ipsum viceuersa requirent, vt & ipse intentionem suam exprimat, & ipsis aperiat votum suum.

Præterea in celebratione imperialis curiæ, Marchio Brandeburgensis aquam lauandis Imperatoris vel Regis Romanorum manibus ministrabit. Primum vero potum Rex Bohemiæ: quem tamen sub regali corona, iuxta priuilegiorum regni sui continentiam, nisi libera voluntate voluerit, non tenebitur ministrare. Comes etiam Palatinus Rheni cibum afferre tenebitur. Dux Saxoniæ marschalcatus officium exercebit, vt solitum est fieri ab antiquo.

De iure Comitis Palatini, & etiam ducis Saxoniæ.

QVoties insuper (vt præmittitur) sacrum vacare contingeret imperium, illustris comes Palatinus Rheni, sacri imperii archidapifer, ad manus futuri Regis Romanorum in partib. Rheni & Sueuiæ, & in iure Franconico, ratione principatus seu comitatus palatini, priuilegio esse debet prouisor ipsius imperii, cum potestate iudicia exercendi, & ad beneficia ecclesiastica præsentandi, recolligendi redditus & prouentus, & inuestiendi de feudis, iuramenta fidelitatis vice & nomine sacri imperii recipiendi. quæ tamen per Regem Romanorum postea electum, suo tempore omnia innouari & de

nouo, sibi ipsa iuramenta præstari debebunt, feudis principum duntaxat exceptis, & illis quæ *Vanlehen* vulgariter appellantur, quorum inuestituram & collationem soli Imperatori vel Regi Romanorum specialiter reseruamus. Ipse tamen Comes palatinus omne genus alienationis seu obligationis rerum imperialium huiusmodi prouisionis tempore expresse sibi nouerit interdictum. Et eodem iure prouisionis illustrem Ducem Saxoniæ sacri Imperii Archimaresealcum frui volumus, in illis locis vbi Saxonica iura seruantur, sub omnibus modis & conditionibus, sicut superius est expressum. Et quãuis Imperator siue rex Romanorum super causis, pro quibus impetitus fuerit, habeat (sicut ex consuetudine introductum dicitur) coram comite Palatino Rheni, sacri imperii archidapifero electore principe respondere: illud tamen iudicium comes ipse Palatinus non alibi, præterquam in imperiali curia, vbi Imperator seu Romanorum rex præsens extiterit, poterit exercere.

De comparatione principum electorum ad alios principes communes.

DEcernimus, vt in celebratione imperialis curiæ, quotiescunq; illam deinceps perpetuo celebrari contigerit, antedicti principes electores ecclesiastici & seculares, iuxta præscriptũ ordinem atq; modum à dextris & sinistris immutabiliter teneant loca sua, eisq; vel eorum alicui in quibuscunque actib. ad curiam ipsam spectantibus, eundo, sedendo, vel stando, nullus princeps alius, cuiuscunq; status, dignitatis, præeminentiæ vel conditionis existat, nullatenus præferatur: eo sigñãter expresso, quod nominatim rex Bohemiæ in celebratione curiarum huiusmodi, in omnib. & singulis actib. antedictis quemcunq; regem alium quacunq; etiam singulari dignitatis prærogatiua fulgentem, quem quouis casu venire vel adesse forte contingeret, immutabiliter antecedat.

De successione Principum.

INter solicitudines illas innumeras, quibus pro felici statu sacri imperii, cui auctore domino feliciter præsidemus,

cor

cor noſtrum quotidie fatigatur, ad hoc præcipue meditatio noſtra dirigitur, qualiter deſiderata & ſalubris ſemper vnio inter ſacri imperii principes electores iugitur vigeat,&eorum corda in ſincerę charitatis concordia conſeruentur. Quorum prouidentia ſuo tempore orbi fluctuanti tanto celerius, tantoque facilius ſubuenitur, quanto inter eos nullus error ſurrepſerit,& purior fuerit charitas cuſtodita,obſcuritate ſucciſa, & iure cuiuslibet dilucide declarato, ſane generaliter longe lateq; eſt publicum, & quaſi per totum orbem notorium & manifeſtum;illuſtres Regem Bohemiæ, nec non Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ,& Marchionem Brandeburgenſem virtute regni & principatuum ſuorum in electione Regis Romanorum in Cæſarem promouendi,cum cæteris principibus eccleſiaſticis,ſuis coelectoribus, ius, vocem & locum habere, & vna cum ipſis cenſeri & eſſe veros & legitimos ſacri imperii principes electores,ne inter eorundē principum ſecularium electorum filios ſuper iure, voce & poteſtate præfata, futuris temporibus ſcandalorum & diſſenſionum poſſit materia ſuſcitari, & ſic bonum commune periculoſis dilationibus impediri futuris, auctore Deo, cupientes periculis ſalubriter obuiare: ſtatuimus, & imperiali auctoritate,præſenti lege,perpetuis temporib. valitura decernimus, vt poſtquam iidem principes electores ſeculares, & eorum quilibet eſſe deſierint;ius, vox&poteſtas electionis huiuſmodi,ad filium ſuum primogenitum, legitimum laicum;illo vero non exiſtente,ad eiuſdem primogeniti primogenitum, ſimilitet laicum,libere& ſine contradictione cuiuſpiam deuoluatur. Si vero primogenitus huiuſmodi abſque hæredibus maſculis legitimis laicis, ab hac luce migraret, virtute præſentis imperialis edicti, ius, vox & poteſtas electionis prædictæ, ad ſeniorem fratrem laicum per veram paternam lineam deſcendentem,& deinceps ad illius primogenitum laicum deuoluatur: & talis ſucceſſio in primogenitis & hæredibus principum eorundem iure, voce & poteſtate præmiſſis,perpetuis temporibus obſeruetur:ea tamen conditione & modo,vt ſi principem electorem,ſeu eius primogenitum, aut filium ſeniorem laicum mori, & hæredes maſculos & legitimos laicos,defectum ætatis patientes, relinquere contigerit, tunc frater ſenior eiuſdem primogeniti,tutor eorum & adminiſtrator exiſtat, donec ſenior ex eis legitimā ætatē attigerit,

quam in principe electore octodecim annos completos censeri volumus,& statuimus perpetuo haberi: quam dum attigerit,ius,vocem & potestatem,&omnia ab ipsis dependentia, tutor ipse sibi totaliter cum officio teneatur protinus assignare. Si vero aliquem ex huiusmodi principatib.eorum,imperio sacro vacare contingeret:tunc Imperator seu Rex Romanorum qui pro tempore fuerit, de ipso prouidere debebit & poterit,tanquam de re ad se & imperium legitime deuoluta: saluis tamen semper priuilegiis,iuribus & consuetudinibus Regni nostri Bohemiæ, super electione regis in casu vocationis, per Regnicolas, qui ius habent eligendi Regem Bohemiæ, faciendi iuxta continentiam eorundem priuilegiorum,& obseruatam consuetudinem diuturnam, à diuis Romanorum Imperatoribus siue Regibus obtentorum, quibus ex huiusmodi sanctione imperiali in nullo præiudicare volumus: imo ipsa decernimus nunc & perpetuis futuris temporibus, in omni suo tenore & forma, indubiam tenere roboris firmitatem.

De Regis Bohemiæ & regnicolarum eius immunitate.

CVm per duos Romanorum Imperatores & reges prædecessores nostros illustribus Bohemiæ Regibus,&prędecessoribus nostris,nec non regno Bohemiæ eiusdem regni coronæ olim concessum sit in regno eodem à tempore cuius contrarii hodie non existit memoria,consuetudine laudabili inconuulse seruata diuturnitate temporum,& prescripta moribus vtentium sine contradictionis aut interruptionis obstaculo introductum,quod nullus princeps,baro, nobilis,miles,clicns,burgensis,ciuis, nulla denique persona eiusdem regni & pertinentiarum eiusdem vbicunque existentium,cuiuscunque status,dignitatis,præeminentiæ, vel conditionis existat,ad cuiuscunque actoris instantiam, extra regnum ipsum ad quodcunque tribunal,seu alterius, præterquam regis Bohemiæ,& iudicum regalis curiæ suæ iudicium citare poterint, siue trahi nec vocari debeat, perpetuis in antea temporibus, siue possit Ideo priuilegium consuetudinem & indultum huiusmodi auctoritate imperiali,& de imperialis potestatis plenitudine.

nitudine, ex certa scientia innouantes, & etiam confirmantes ac præsenti nostra constitutione imperiali perpetuis tẽporibus valitura statuimus, vt si contra priuilegium, consuetudinem, vel indultum præfatum, quispiam prædictorum, puta princeps, baro, nobilis, miles, cliens, ciuis burgensis, seu rusticus, aut alia quæcunque persona præmissa, ad quodcunque tribunal, extra Regnum prædictum Bohemiæ, in quacunque causa criminali, ciuili vel mixta, seu super quocunque negotio citatus fuerit, quocunque tẽpore, vel citatus comparere, vel in iudicio respondere minime teneatur: & quod si aduersus huiusmodi non comparentes, vel non comparentem à quocunque iudice, cuiuscunque auctoritatis existat, extra Regnum ipsum Bohemiæ constituto, iudicialiter procedi, processus fieri, seu sententias interlocutorias vel diffinitiuas, vnam vel plures in quibuscunque prænominatis causis siue negotiis quouis modo fieri vel promulgari contingeret, auctoritate præmissa, de plenitudine insuper antedictæ Imperatoriæ potestatis citationes, præcepta, processus & sententias huiusmodi, nec non exsecutiones & omnia quæ ex eis vel aliquo ipsorum quomodolibet sequi attentari possent, vel fieri, irritamus penitus, & cassamus. Adiicientes expresse & edicto imperiali perpetuo valituro, eadem auctoritate, & de præmissæ potestatis plenitudine decernentes, vt quemadmodum in prædicto regno Bohemiæ à tempore, (cuius contrarii non habetur memoria) iugiter obseruatum existit, ita nulli prorsus principi, baroni, nobili, militi, clienti, ciui, burgensi seu rustico, nulli demum personæ, seu incolæ regni Bohemiæ sæpe dicti, cuiuscunque status, præeminentiæ, dignitatis vel cõditionis existat vel extiterit, à quibuscunque processibus, sententiis, interlocutoriis vel diffinitiuis, siue præceptis regis Bohemiæ, aut quorumlibet suorum iudicum, nec non exsecutionibus eorundem, contra se in regali iudicio, seu coram regis, regni seu prædictorum iudicum tribunalibus, factis aut latis, habitis vel ferendis inantea, seu fiendis, liceat ad quodcunque aliud iudicium appellare: prouocationes quoque seu appellationes huiusmodi, si quas contra hoc interponi contigerit, eo ipso viribus non subsistant: & appellantes ipsi pœnam perditionis causarum ipso facto se nouerint incurrisse.

De auri & argenti aliarumque ſpecierum mineris.

PRæſenti conſtitutione in perpetuum valitura ſtatuimus, & de certa ſcientia declaramus, quod ſucceſſores noſtri Bohemiæ reges, nec non vniuerſi & ſinguli principes electores, eccleſiaſtici & ſeculares, qui perpetuo fuerint, vniuerſas auri & argenti fodinas atq; mineras, ſtanni, cupri, ferri, plumbi, & alterius cuiuſcunq; generis metalli, ac etiam ſalis, tam inuentas quam inueniendas, in poſterum, quibuſcunq; temporibus. in regno prædicto, ac terris, & pertinentiis eidem regno ſubiectis, nec non ſupra dicti principes, in principatibus, terris, dominiis & pertinentiis ſuis, tenere iuſte poſſint, & legitime poſſidere, cum omnibus iuribus nullo prorſus excepto, prout poſſunt, ſeu conſueuerunt talia poſſideri: nec non Iudæos habere telonia, in præterito ſtatuta & indulta percipere. Quodque progenitores noſtri, reges Bohemiæ ferme, ipſique principes electores ac progenitores, & prædeceſſores eorum legitime poterunt, vſque in præſens, ſicut hoc antiquæ, laudabili & approbata conſuetudine, diuturniq; ac longiſſimi temporis curſu præſcripto noſcitur obſeruatum.

De monetis.

STatuimus præterea, vt Regi Bohemiæ, ſucceſſori noſtro, qui fuerit pro tempore, ſicut conſtat ab antiquo illuſtribus Bohemiæ regibus noſtris prædeceſſoribus licuiſſe, & in poſſeſſione pacifica, continua ipſos fuiſſe iuris ſubſequentis: videlicet monetas auri & argenti, in omni loco & parte regni ſui, & ſubiectarum ſibi terrarum & pertinentiarum omnium, vbi rex ipſe decreuerit ſibi quæ placuerit cudi, facere & mandare ſub omni modo & forma in regno ipſo Bohemiæ, in his ad hæc vſque tempora obſeruatis: quodque futuris perpetuo Bohemiæ regibus hac noſtra imperiali conſtitutione & gratia perpetuo valituris à quibuſcunq; principibus, magnatibus, comitibus, ac perſonis aliis, quaſcunq; terras, caſtra, poſſeſſiones, prædia, ſiue bona liceat emere, comparare ſeu in donum ſiue donationem, ex quacunque cauſſa, aut inobliga

re, reci-

re, recipere, sub talium terrarum, castrorum, possessionum, prædiorum, seu bonorum conditione consueta, vt videlicet propria recipiantur vel comparentur vt propria, libera velut libera: & ea quæ dependent in feudum, similiter emantur in feudum, seu comparata taliter teneantur: ita tamen, q̃ ipsi reges Bohemiæ, de iis quæ hoc modo comparauerint vel receperint, & regno Bohemiæ duxerint applicanda, ad pristina & consueta iura de talibus sacro explananda & reddenda imperio sint astricti. Præsentem nihilominus constitutionem & gratiam virtute præsentis legis nostræ imperialis ad vniuersos principes electores, tam ecclesiasticos quam seculares, successores & legitimos hæredes ipsorum, plene extendi volumus, sub omnibus modis & conditionibus, vt præfertur.

De immunitate principum electorum.

STatuimus etiam vt nulli comites, barones, nobiles, feudales, vasalli, castrenses, milites, clientes, ciues, burgēses, nullæque personæ Moguntinensis, Treuerensis & Colonienſis ecclesiis subiecti, vel subiectæ, cuiuscunque status, conditionis vel dignitatis existant, ad cuiuscunque actoris instantiam, extra territorium & terminos ac limites earundem ecclesiarum, & pertinentiarum suarum ad quodcunque aliud tribunal, seu cuiuscunque alterius, præterquam archiepiscoporum Moguntinensis, Treuerensis, & Colonienſis, & iudicium suorum iudicum citari poterunt, temporibus retro actis vel trahi seu vocati debeant, perpetuis in antea temporibus siue possint, sicut in præteritis inuenimus temporibus obseruatum. Quod si contra præsens edictum nostrum prædictos ecclesiarum Treuerensis, Moguntinensis, seu Colonienſis subditos, vel eorum aliquem, seu aliquos, ad cuiuscunque instantiam, seu ad cuiuscunque tribunal, pro quacunque causa criminali, ciuili, vel mixta, seu quocunque negotio, extra territorium, limites seu terminos dictarum ecclesiarum, vel alicuius earum citari contingeret, comparere vel respondere minime teneantur: & citatio & processus & sententiæ interloquutoriæ & diffinitiuæ contra non venientes, à talibus iudiciis extraneis latæ, vel factæ, fiendæ vel

ferendæ, nec non præcepta, & præmissorum executiones, & omnia quæ ex eis, vel aliquo eorum quomodolibet sequi attentari possent, vel fieri, irrita decernimus eo ipso. Adiicientes expresse, quod nulli comiti, baroni, nobili, feudali, vasallo, castrensi, militi, clienti, ciui, rustico, nulli demum personæ ecclesiis huiusmodi subiectæ, seu eius incolæ, cuiuscunque status, dignitatis vel conditionis existant, à processibus, sententiis, interlocutoriis & diffinitiuis, siue præceptis archiepiscoporum & ecclesiarum huiusmodi, vel suorum officiatorum temporalium, aut executionibus eorundem contra se, in archiepiscopali seu officiatorum prædictorum iudicio factis, aut latis, habitis vel ferendis, in antea, seu fiendis ad quodcunque tribunal liceat appellare, quamdiu in archiepiscoporum prædictorum, & suorum iudicio querelantibus, non fuerit iusticia denegata, appellationes contra hoc factas non recipi statuimus, cassasq; & irritas nunciamus. In defectum vero iustitiæ, prædictis omnibus ad imperialem duntaxat curiam & tribunal, seu iudicis immediate in imperiali curia pro tempore præsidentis audientiam, & etiam eo casu non ad quemuis alium iudicem, siue ordinarium, siue etiam delegatum, his quibus denegata fuerit iusticia, liceat appellare. Quidquid vero contra præmissa factum fuerit, sit irritum, eo ipso. Eandem constitutionem virtute præsentis legis nostræ imperialis, ad illustrem comitem Palatinum Rheni, ducem Saxoniæ, & marchionem Brandeburgensem principes electores seculares, siue laicos, successores, hæredes, & subditos eorum, plenissime extendi volumus, sub omnibus modis & conditionibus, vt præfertur.

De congregatione principum.

INter illas multiplices Reipublicæ curas, quibus assidue mens nostra distrahitur, multa consideratione necessarium fore prospexit nostra sublimitas, vt sacri Imperii principes Electores, ad tractandum de ipsius imperii, orbisque salute frequentius solito congregentur, qui solidæ bases imperii & columnæ immobiles, quemadmodum per longinquas adinuicem terrarum consistant distantias, ita de incumbentibus regionum sibi cognitarum defectibus referre simul & conferre

conferre nouerunt, saniſque prouidentiæ ſuæ conſiliis non ignorant, ac commodis talium reformationibus operam ſalubriter dare. Hinc eſt, quod in ſolemni curia noſtra in Nurenberg, cum venerabilibus, eccleſiaſticis, & illuſtribus ſecularibus principibus, electoribus, & multis aliis principibus, & proceribus per noſtram celſitudinem celebrata, habita cum eiſdem principibus electoribus deliberatione, & de ipſorum conſilio pro bono, & ſalute communi, cum dictis principibus electoribus, tam eccleſiaſticis quam ſecularibus, duximus ordinandum: quod iidem principes electores de cætero per ſingulos annos ſemel tranſactis à feſto reſurrectionis Dominicæ quatuor ſeptimanis continue numerandis, in aliqua ciuitatum ſacri imperii perſonaliter congregentur: & ad idem tempus proxime affuturum, ſeu anno præſenti colloquium ſeu curia & congregatio huiuſmodi, in ciuitate noſtra imperiali Metenſi per nos & eoſdem principes celebretur: ac tunc & deinceps die quolibet congregationis huiuſmodi, locus per nos quo ſequenti anno conueniant, ipſorum conſilio ſtatuatur, hac noſtra ordinatione, ad noſtrum & ipſorum duntaxat beneplacitum duratura. Qua durante, ipſos ſub noſtro imperiali conductu recipimus, ad dictam curiam accedendo, ſtando, ac etiam recedendo. Præterea ne tractatus communis ſalutis & pacis, per tractum & moram ſolatii, ſeu exceſſiuam frequentiam conuiuii, retardetur, vt aliquando fieri eſt conſuetum, concordi voluntate duximus ordinandum, vt deinceps curia, ſeu congregatione præfata durante, generales omnium principum celebrare alicui nõ liceat inuitatas: particulares vero, quæ agendorũ expeditionem non impediãt, cum moderamine ſint permiſſæ.

Reuocatoria priuilegiorum.

PRæterea ſtatuimus, & hoc imperiali perpetuo ſancimus edicto, quod vniuerſa priuilegia & literæ, quibuſcunque perſonis, cuiuſcunque ſtatus, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, ſeu ciuitatum, oppidorum, & quorumlibet locorum, vniuerſitatibus, ſuper quibuſcunque muribus, gratiis, immunitatibus, conſuetudinibus, ſeu rebus aliis, etiam proprio motu, ſeu alias à nobis, vel recolendæ memoriæ diuis

Romanorum imperatoribus, & regibus, prædecessoribus nostris, sub quibuscunque verborum tenoribus concessa & concessæ, seu à nobis, vel successoribus nostris, Romanorum imperatoribus, & Regibus, futuris temporibus concedenda, seu etiam concedendæ, non debeant aut possint libertatibus, iurisdictionibus, iuribus & honoribus, seu dominiis principum electorum sacri imperii ecclesiasticorum & secularium, aut alicuius ipsorum in aliquo penitus derogare. Etiam si in talibus priuilegiis, & literis quarumlibet personarum cuiuscunque præeminentiæ, dignitatis, aut status extiterint, vt præfertur, seu vniuersitatum huiusmodi expressarum sit, vel fuerit in futurum, quod reuocabilia, seu reuocabiles esse non debeant, nisi de ipsis, & toto in eis comprehenso tenore, in tali reuocatione fieret de verbo ad verbum seriatim mentio specialis. huiusmodi nanq; priuilegia & litteras, si & in quantum libertatibus, iurisdictionibus, iuribus & honoribus, seu dominiis, quæ superius exprimuntur, dictorum principum electorum, aut alicuius ipsorum derogare, vel obuiare censetur, in aliquo, quo ad hoc reuocamus ex certa scientia, & cassamus, reuocataque, & reuocatas intelligi, reputari & haberi decernimus de plenitudine imperatoriæ potestatis.

De his, quibus vt indignis, auferuntur bona feudalia.

IN plerisque partibus vasalli & feudatarii dominorum feuda seu beneficia quæ à dominis ipsis obtinent intempestiue, verbaliter, & in fraude renunciant seu resignant eadem: & facta renunciatione huiusmodi, dominos ipsos malitiose diffidant, suasque inimicitias eis denunciant, damna ipsis subsequenter grauia inferendo, & beneficia seu feuda sic relicta prætextu guerræ, seu inimicitiæ rerum inuadunt & occupant, & detinent occupata. Ea propter præsenti constitutione in perpetuum valitura sancimus, quod talis resignatio seu renunciatio haberi debeat pro non facta, nisi libere & realiter facta fuerit per eosdem, ita quod possessio beneficiorum & feudorum huiusmodi, dominis ipsis corporaliter & realiter assigne-

assignetur intantum, quod nullo vnquam tempore diffidantes ipsi in bonis, feudis seu beneficiis resignatis, dominos ipsos perturbent, per se aut alios, aut molestent, nec ad hoc consilium præstent auxilium vel fauorem. Contrarium faciens, seu dominos suos in beneficiis & feudis resignatis, vel non resignatis inuadens quomodolibet, perturbans, vel damna ipsis inferens, seu consilium, auxilium præstans talia facientibus, vel fauorem, feuda & beneficia huiusmodi eo ipso amittat, infamis existat, & banno imperiali subiaceat, & nullus ad feuda vel beneficia huiusmodi pateat ei de cætero quocunque tempore aditus vel regressus, nec de nouo concedi sibi valeant vllo modo, & facta eis contra hoc illorum concessio seu inuestitura sequuta, viribus non subsistant. Postremo, omnes pœnas prædictas, illos vel illum, quæ prædicta resignatione non facta contra dominos suos fraudulenter agentes, vel agens, scienter eos inuaserint vel inuaserit, diffidatione quacunq; præuia, vel obmissa, vigore præsentis sanctionis incurrere decernimus ipso facto.

De conspirationibus.

DEtestandas præterea, & sacris legibus reprobatas conspirationes & conuenticulas seu colligationes illicitas, in ciuitatibus & extra, vel inter ciuitatem & ciuitatem, inter personam & personam, seu inter personam & ciuitatem, prætextu parentelæ seu receptionis in ciues, vel alterius cuiuscunque coloris coniurationes, insuper confœderationes & pacta, nec non & consuetudinem circa huiusmodi introductam, quam censemus potius corruptelam, reprobamus, damnamus, & ex certa scientia irritamus, quas ciuitates seu personæ, cuiuscunque dignitatis seu conditionis, aut status, siue inter se, siue cum aliis, absque auctoritate dominorum, quorum subditi vel ministeriales, seu in quorum districtu consistunt, eisdem dominis nominatim non exceptis fecerint hactenus, & facere præsumpserint in futuro, sicut per sacras diuorum Augustorum prædecessorum nostrorum leges prohibitas non ambigitur, & cassatas: illis confœderationib. & legib. duntaxat exceptis, quas principes

& ciuitates, ac alii super generali pace prouinciarum atque terrarum inter se formasse noscunt. Illas enim nostræ declarationi specialiter reseruantes, in suo decernimus vigore manere, donec de his aliud duxerimus ordinandum : personam singularem, quæ de cætero contra tenorem præsentis constitutionis & legis nostræ antiquæ, super hoc editæ confœderationes, colligationes, conspirationes & pacta huiusmodi inire præsumpserit, vltra pœnam legis eiusdem, notam infamiæ, & pœnam decem librarum auri : ciuitatem vero vel vniuersitatem in hanc legem nostram similiter committentem, centum librarum auri, nec non amissionis & priuationis libertatum & priuilegiorum imperialium, pœnas incurrere decernimus, eo ipso medietatem pœnæ huiusmodi pecuniariæ fisco imperiali: reliqua vero domino districtus, in cuius præiudicium factæ fuerint, applicanda.

De Pfalburgeriis.

CÆterum, quia nonnulli ciues & subditi principum, baronum & aliorum hominum, sicut frequens ad nos querela perduxit, iugum originariæ subiectionis quærentes abiicere, immo ausu temerario contemnentes, in aliarum ciuitatum ciues sæpe recipi se procurant, & frequentius in præterito procurarunt : & nihilo minus in priorum dominorum, quos tali fraude præsumpserunt vel præsumunt deserere, terris, ciuitatibus, oppidis & villis, corporaliter residentes ciuitatum, ad quas hoc modo se transferunt, libertatibus gaudere, & ab eis defensari contendunt, qui in partibus Almaniæ *Pfalburgerii* consueuerunt vulgariter appellari. Quoniam autem patrocinari non debent alicui fraus & dolus, de imperatoriæ potestatis plenitudine omnium principum Electorum ecclesiasticorum & secularium sano accedente consilio, ex certa scientia statuimus, & præsenti lege perpetuo valitura sancimus, quod prædicti ciues & subditi, eis quibus subsunt, taliter illudentes, in omnibus terris, locis & prouinciis sacri Imperii, à præsenti die in posterum, ciuitatum in quarum ciues qui tali fraude recipi se procurant, vel hactenus procurarunt, iuribus & libertatibus in nullo potiantur : nisi ad huiusmodi ciuitates corporaliter & realiter transeun-

transeuntes, ibique larem fouentes, continuo, vere & non ficte residentiam facientes, debita onera & municipalia subeant in eisdem. Si qui vero contra præsentis nostræ legis tenorem recepti sint vel fuerint, in futurum illorum receptio omni careat firmitate: & recepti cuiuscunq; dignitatis, conditionis aut status existant, in nullo casu penitus sine causa ciuitatum, ad quas recipi se procurant, iuribus aut libertatibus gaudeant quomodolibet, vel fruantur. Nõ obstantibus quibuscunq; iuribus, priuilegiis vel consuetudinibus obseruatis, quantocunq; tempore, & obtentis: quas & quę, in quantum præsenti nostræ legi obuiant, præsentibus ex certa scientia reuocamus, de prædictæ Imperialis plenitudine potestatis, omniq; carere decernimus robore firmitatis. Circa præmissa omnia principum, dominorum, & aliorum hominum, quos taliter deseri contingit, vel continget in posterum, iuribus circa personas & bona subditorum, quorumcunq; ipsos sæpe dicto modo deserentium semper saluis, hos nihilominus, qui sæpe dictos ciues & subditos alienos recipere contra præsentis nostræ legis dispositionẽ præsumpserint, vel recipere in præterito præsumpserunt, si eos omnino non dimiserint infra mensem, post intimationem præsentium eis factam, centum marcas auri puri pro transgressione huiusmodi, totiens quotiens deinceps factum fuerit, incurrere decernentes; quarum medietas imperiali fisco nostro, reliqua vero dominis illorum, qui recepti fuerint, irremissibiliter applicentur.

De Diffidationibus.

EOs qui de cætero aduersus aliquos in certam diffidationis causam se habere fingentes, ipsos in locis, vbi domicilia non obtinent, aut ea communiter non inhabitant, intempestiue diffidant, declaramus, damna quæcunque per incendia, spolia, vel rapinas diffidatis ipsis cum honore suo inferre non posse. & quia patrocinari non debent alicui fraus & dolus, præsenti constitutione in perpetuum valitura sancimus, diffidentes huiusmodi quibuscunque dominis aut personis, cum quibus aliqui fuerint in societate, familiaritate, vel honesta quauis amicitia conuersati, sic factas vel fiendas in posterum, non valere, nec licere, prætextu diffidationis cuiuslibet quempiam inuadi per incendia, spolia vel rapinas, nisi

diffidatio per tres dies naturales ipsi diffidando personaliter, vel in loco quo habitare consueuit, publice fuerit intimata, possitque de intimatione huiusmodi per testes idoneos fieri plena fides. Quisquis secus quempiam diffidare & inuadere, modo præmisso præsumpserit, infamiam eo ipso incurrat, ac si nulla diffidatio facta esset. quem etiam tanquam proditorem per quoscunque iudices pœnis legalibus statuimus castigari. Prohibemus etiam & damnamus vniuersos, & singulas guerras, lites iniustas, cuncta quoq; iniusta incendia, spolia, rapinas, indebita & inconsueta telonia, & conductus, & exactiones, pro ipsis conductibus extorqueri consuetas, sub pœnis, quibus sacræ leges præmissæ, & eorum quodlibet sanciunt punienda.

Litera intimationis pro electione Romanorum fienda.

VObis illustri & magnifico principi N marchioni Brandeburgensi, sacri Imperij Archicamerario Electori, & amico nostro charissimo, electione Romanorum regis, quæ ex rationabilibus causis iam imminet, facienda præsentibus intimamus, vosq; ex officij nostri debito ad electionem præfatam rite vocamus, quatenus à die tali, &c. infra tres menses continue computandos, per vos, seu nuncios, aut procuratores nostros, vnum vel plures, sufficiens mandatum habentes, ad locum debitum iuxta formam sacrarum legum, super hoc editarum venire iuretis, deliberaturi, tractaturi & concordaturi cum aliis comprincipibus coelectoribus vestris, & nostris, de electione futuri regis Romanorum in Imperatorem postmodum fauente Domino promouendi: in eodem mansuri, vsq; ad plenam consummationem electionis huiusmodi, & alias facturi, & processuri, prout in sacris legibus, super hoc deliberate editis inuenitur expressum: alias non obstante vestra seu nostrorum absentia, in præmissis vna cum aliis comprincipibus & Electoribus vestris & nostris, prout legum ipsarum sanxerit auctoritas, finaliter procedamus.

Forma

Forma procuratorij mittendi per eum principem Electorem, qui nuncios ad electionem faciendam duxerit destinandum.

NOs talis, Dei gratia, &c. sacri Imperij, &c. notum facimus tenore præsentium vniuersis, quod cum electio Romanorum regis ex rationabilibus causis imminet facienda, nos de honore & statu sacri Imperij solicitudine debita intendere cupientes, ne tam grauibus & dispendiis periculose subiaceat, de fide, & circumspectionis industria delectorum nobis talis, &c. fidelium nostrorum obtinentes, vtique præsumptionis indubiæ fiduciam singularem, ipsos & quemlibet ipsorum, in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod per vnum eorum inceptum fuerit, per alium finiri valeat, & licite terminari, omni iure, modo, forma, quibus melius & efficacius possumus seu valemus, modos veros, legitimos procuratores, & nuncios speciales facimus, constituimus, & ordinamus, ad tractandum vbilibet vna cum aliis comprincipibus & coelectoribus nostris, tam Ecclesiasticis quam secularibus: & cum ipsis concordandum, & conueniendum, & concludendum, de persona quacunq; habili ac idonea in regem Romanorum eligenda, ac ipsis tractatibus super electione talis personæ habendis, pro nobis loco & nomine nostris interessendum, tractãdum & deliberandum, nec non vice & nomine nostris eandem personam nominandum, & in ipsam consentiendum, ac etiam in regem Romanorum promouendum ad sacrum Imperium eligendum, ac in animam nostram præstandum quodcunque iuramentum necessarium, debitum seu consuetum fuerit circa præmissa, & quodlibet præmissorum alium vel alios procuratores, in solium substituendum, & reuocandum: & omnia & singula faciendum quæ in præmissis, & circa præmissa etiam vsque ad consummationem tractatuum, nominationis, deliberationis & electionis huiusmodi de præsenti faciendæ necessaria, aut vtilia fuerint, seu etiam quomodolibet opportuna, etiam si præmissa, vel eorum quodlibet mandatum exigant speciale, etiam si maiora, vel magis singularia fuerint supradictis & quæ nosmetipsi facere possemus, si huiusmodi tractatuum, deliberationis, & electionis

futuræ negotiis præsentes,& personaliter adessemus, gratum & ratum habentes & habere volentes, & nos perpetuo habituros firmiter promittentes, quicquid per ante dictos procuratores, seu nuntios nostros, nec non substitutos aut substituendos ab ipsis, seu eorum altero, in præmissis, seu eorum quolibet actum, gestum, seu factum fuerit, aut quomodolibet ordinatum.

De vnione principum electorum, & iurium eis connexorum.

CVm vniuersi & singuli principatus, quorum virtute seculares principes Electores ius & vocem in electione regis Romanorum in Cæsarem promouendi obtinere noscuntur, cum iure huiusmodi, nec non officiis, dignitatibus & iuribus aliis eis & cuilibet eorum annexis, & dependentibus ab eisdem, adeo coniuncti, & inseparabiliter sint vniti, quod ius, vox, officium & dignitas aliqua iura ad quemlibet eorum principatuum eorundem spectantia, cadere non possint in alium, præter illum qui principatum ipsum cum terra vasallagiis, feudis, & dominiis, ac eius pertinentiis vniuersis dinoscitur possidere, præsertim edicto imperiali perpetuo valituro sancimus, vnumquemque principatuum prędictorum, cum iure & voce electionis, ac officiis cæteris omnibus dignitatibus, iuribus & pertinentiis ad ipsum spectantibus ita perseuerare, & esse debere vnitum perpetuis temporibus, indiuisibiliter & coniunctiue, quod possessor principatus cuiuslibet, etiam iuris, vocis, officij & dignitatis, & pertinentiarum omnium ad illum spectantium, quieta debeat & libera possessione gaudere, & princeps electus ab omnibus reputari, ipseque & nemo alius præter cæteros principes electores ad electionem & omnes actus alios pro sacri imperii honore vel opportunitate gerendos, omni tempore assumi sine contradictione qualibet, & admitti, nec aliquod præmissorũ ab altero, cum sint & esse debeant inseparabilia, diuidi, vel vllo tempore debeant separari, aut in iudicio vel extra diuisim repeti valeat, vel euinci, vel etiam per sententiam separari, nec aliquis vnum sine alio impotens audiatur. Quod si per errorem vel alias auditus quis fuerit, aut processum iudicium, sententia,

tentia, vel aliquod huiusmodi contra dispositionem nostram emanauerit, seu quomodolibet attentare contigerit; hoc totum & omnia ex his, & quolibet eorum sequentia, eo ipso viribus non subsistant.

De ordine processionis inter Archiepiscopos.

QVoniam autem superius in principio constitutionum nostrarum præsentium, circa ordinationem Ecclesiasticorum principum electorum, in concilio & in mensa, & alias quotiens imperialem curiam celebrari, seu principes electores, deinceps cum Imperatore, vel rege Romanorū congregari contigerit: sufficienter duximus prouidendum, super quæ priscis audiuimus temporibus pluries disceptatum: expedire credimus, etiam processionis, & deambulationis inter eos ordinem diffinire. Quapropter hoc imperiali edicto decernimus, vt quotienscunque in congregatione Imperatoris, vel regis Romanorum, & principum prædictorum, Imperatore, vel rege ipso deambulante, insignia ante faciem eius portari contigerit, Archiepiscopus Treuerensis in directa diametrali linea ante Imperatorem vel regem transeat, illiq; soli medij inter eos ambulent, quos imperialia vel regalia contingent insignia deportare. Dum autem Imperator vel rex absque insigniis eisdem incesserit, extunc idem Archiepiscopus imperatorem vel regem præfato modo præcedat, ita quod nemo penitus inter eos medius habeatur, aliis duobus Archiepiscopis electoribus loca sua iuxta distinctionem prouinciarum suarum, circa sessionem superius declaratam, etiam circa processionem perpetuo seruaturis.

De ordine processionis principum electorum, per quos insignia deportentur.

AD declarandum autem in Imperatoris, vel regis Romanorum deambulantis præsentia, processionis ordinem principum electorum, (de quo supra fecimus mentionem) statuimus vt quotienscunq; in celebratione imperialis curiæ principes electores cum Imperatore seu rege Romanorum, in quibuscunque actibus, vel solemnitatibus proces-

sionaliter ambulare contigerit; & imperialia, vel regalia debuerint insignia deportari: dux Saxoniæ imperialem vel regalem ensem deferens, Imperatorem seu Regem immediate præcedat, & inter illum & Archiepiscopum Treuerensem medius habeatur. Comes vero Palatinus pomum imperiale portans, à latere dextro, & Marchio Brandeburgensis sceptrum deferens, à sinistro latere ipsius ducis Saxoniæ linealiter gradiantur. Rex autem Bohemiæ Imperatorem, seu Regem ipsum immediate nullo interueniente sequatur.

De benedictionibus Archiepiscoporum in præsentia Imperatoris.

QVotiens insuper, in Imperatoris, vel regis Romanorum præsentia, Missarum solennnia celebrari, ac Moguntinensem, Treuerensem, Colonienſem Archiepiscopos, vel duos ex eis adesse contigerit in confessione, quæ ante missam dici consueuit, ac in porrectione Euangelij osculandi, & pace post Agnus Dei portanda, nec non in benedictionibus post finita missarum solennia, ac etiam ante mensam faciendis, & in gratiis post cibum acceptum agendis, is inter eos obseruetur, prout de ipsorum Concilio duximus ordinandum, quod prima die hæc omnia & singula à primo, secunda die à secundo, tertio vero à tertio peragantur, primum autem, seu secundum, vel tertium, hoc casu secundum quod prius vel posterius quilibet eorum consecratus existit debere intelligi declaramus, & vt se inuicem honore condigno præueniant, & exemplum aliis inuicem honorandi is, quem circa præmissa ordo tetigerit ad hæc alterum conuenientia, & charitatiua inclinatione inuitet, & tunc demum ad præmissa procedat, seu quodlibet præmissorum. Infra scriptæ leges promulgatæ sunt in curia Metensi, per dominum Carolum quartum Romanorum imperatorem & Boemiæ regem Augustum, anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo sexto, in die Natalis Christi, assistentibus sibi omnibus sacri Romani Imperij Electoribus, præsentibus dominis venerabili in Christo patre Domino I. Episcopo Albanensi sanctæ Ro-

ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, ac Carolo regis Franciæ primogenito, Normandiæ duce illustri ac Delphino Viennensi.

De crimine læsæ maiestatis.

SI quis cum principibus, militibus, vel priuatis, seu quibuscunque personis plebeis etiam scelestam factionem, aut factionis ipsius inierit sacramentum, vel dederit de nece consilium venerabilium & illustrium principum nostrorum & sacri Romani Imperij, tam Ecclesiasticorum quam secularium principum electorum, seu alterius eorundem, nam & ipsi pars corporis nostri sunt, (eadem enim seueritate voluntatem sceleris, qua effectum puniri iura voluerunt) ipse quidem (vtpote maiestatis læsæ criminis reus) gladio feriatur, bonis eius omnibus fisco nostro addictis: filij vero eius quibus vitam imperiali specialiter lenitate concedimus, paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est, hæreditarii criminis metiuntur exempla, à materna vel auita, omnium etiam proximorum hæreditate & successione habeantur alieni: ex testamentis aliorum nihil capiant, sint perpetuo egentes, & pauperes: infamia eos paterna semper comitetur; ad nullum vnquam honorem, ad nulla prorsus sacramenta perueniant. sint postremo tales, vt his perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatium & vita supplicium. Deniq; iubemus eos esse notatos, sine venia, qui pro talibus vnquam apud nos interuenire tentauerint. Ad filias sane eorum, quolibet numero fuerint, Falcidiam tantum ex bonis matris siue testata, siue intestata defecerit, volumus peruenire, vt habeant mediocrem potius filiæ alimoniam, quam integrum emolumentum, aut nomen hæredis consequantur. Mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus. Emancipationes quoq; quæ à prædictis, siue in filios post legem duntaxat latam, siue in filias fuerint collatæ, non valeant, dotes, donationes quarumlibet: postremo item alienationes, quas ex eo tempore qualibet fraude, vel iure factas esse constiterit, quo primo memorati de ineunda factione ac societate, cogitauerint, nullius statuimus esse momenti. Vxores sane prædictorum recuperata dote, si in ea conditione fuerint,

vt quæ à viris titulo donationis acceperint, seu accipiunt, filiis debeant reseruare, tempore quo vsusfructus absumitur, omnia ea fisco nostro se relicturas esse cognoscant, quæ iuxta legem filiis debebantur. Falcidia etiam ex his rebus, filiabus tantum, non etiam filiis deputetur, id quod de prædictis eorumque filiis cauimus, etiam de satellitibus, consciis ac ministris, filiisque eorum simili seueritate censemus. sane si quis ex his, in exordio initæ factionis studio veræ laudis accensus, ipsam prodiderit factionem, vel cum incognita adhuc consiliorum arcana patefecerit, absolutione tamen ac venia dignus habebitur. Statuimus insuper, vt si quid contra prædictos principes electores Ecclesiasticos vel seculares, commissum dicatur, etiam post mortem rei id crimen instaurari posse In hoc item crimine, quod ad læsam in principibus electoribus suis maiestatem pertinet, etiam in caput domini serui torquentur. Volumus insuper, & præsenti imperiali sancimus edicto, vt etiam post mortem nocentium hoc crimen inchoari possit, vt coniuncto mortuo memoria eius damnetur, & bona successoribus eius eripiantur. Nam ex quo sceleratissimum quis cœperit cõsilium, exinde quodammodo sua mente priuatus est. Porro, ex quo quis tale crimen contraxit, neq; alienare, neque manu mittere eum posse, nec ei soluere iure debitorem decernimus. in hac causa in caput domini seruos torqueri statuimus, id est propter causam factionis damnandæ, contra principes electores Ecclesiasticos & seculares, vt præmittitur: & si decesserit quis, propter incertam personam successoris bona seruentur, si in causa huiusmodi fuisse mortuus arguatur.

De integritate principatuum electorum seruanda.

SI cæteros principes congruit in sua integritate seruari, vt corroborentur iustitia & subiecti, & fideles pace gaudeant & quiete: multo magis magnifici principatus, dominia, honores & iura electorum principum debent illæsa seruari. Nam vbi maius incumbit periculum, maius debet adhiberi remedium, ne columnis ruentibus, basis totius ædificij collidatur. Decernimus igitur, & hoc perpetuis temporibus

valituro

valituro Imperiali sanctimus edicto, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus, insignes & magnifici principatus, videlicet regnum Bohemiæ, Comitatus Palatini Rheni, ducatus Saxoniæ, & marchionatus Brandenburgensis terræ districtus, homagia, vasallagia, & alia quæuis, ad ipsa spectantia scindi, diuidi, seu quauis conditione demembrari non debeant, sed vt potius in sua perfecta integritate perpetua maneant, primogenitus filius succedat in eis, sibiq; soli ius & dominium competat: nisi forte mente captus, fatuus, seu alterius famosi & notabilis defectus existeret, propter quē non deberet seu posset hominib. principari: in quo casu inhibita sibi successione, secundo genitum, si fuerit in ea progenie, seu alium seniorem fratrem, seu consanguineum laicum, qui paterno stipiti in descendenti recta linea proximior fuerit, volumus succedsurum. Qui cum apud alios fratres & sorores se clementem & pium exhibebit, continuo iuxta datam sibi a Deo gratiam, & iuxta suum beneplacitum & ipsius patrimonii facultates diuisione, scissione, seu dimembratione principatus, & pertinentiarum eius sibi omnibus modis interdicta.

De curia imperiali, & sessione.

De vero qua solēnis imperialis, vel regia fuerit celebrāda, veniant circa horam primam principes electores, ecclesiastici & seculares ad domum habitationis imperialis siue regalis, & ibi imperator vel rex ipse omnibus insigniis imperialibus induetur, & ascensis equis omnes vadant cum imperatore, vel Rege ad locum sessionis aptatæ, & ibi quilibet eorū in ordine & modo, supra in lege de ordine processionis ipsorum principum electorum plenius diffinito. Portabit etiam archicancellarius, in cuius archicancellariatu hæc fuerint, super baculo argenteo omnia sigilla & typaria imperialia & regalia: seculares vero principes electores, sceptrum, pomum & ensem, secundum quod superius exprimitur, deportabunt. Portabuntur etiam immediate ante archiepiscopum Treuerensem suo loco transeuntem, primo Aquisgranensis, secundo Mediolanensis corona, & hoc ante Imperatorem duntaxat, qui iam imperialibus est insulis decoratus,

quas gestabũt aliqui principes inferiores, ad hoc per imperatorem iuxta placitũ deputandi. Imperatrix etiam, vel reginà Romanorum suis augustalibus amicta insigniis, post Regem vel imperatorem Romanorum, & etiam post Regem Boemiæ (quæ Imperatorem immediate subsequitur) competentis spacii interuallo suis associata proceribus, suisque comitata virginibus, ad locum sessionis procedat.

De officiis principum electorum in solennibus curiis Imperatorum, vel Regum Romanorum.

STatuimus, vt quandocunque imperator vel rex Romanorum solennes curias suas celebrauerint, in quibus principes electores sua deseruire seu exercere debent officia, subscriptus in his ordo seruetur. primo enim imperatore vel rege ipso in sede regia seu solio imperiali sedente, Dux Saxoniæ officium suum agat hoc modo: Ponetur enim ante ædificium sessionis imperialis vel regiæ aceruus auenæ tantæ altitudinis, quod pertingat vsque ad pectus vel sellam equi, super quo sedebit ipse dux: & habebit in manu baculum argenteum, & mensuram argenteam, quæ simul faciant in pondere duodecim marcas argenti: & sedens super equo, primo mensuram eandem de auena plenam accipiet, & famulo primitus venienti ministrabit eandem: quo facto, vigendo baculum in auenam recedet, & Vicemarscalcus eius, puta de Pappenheim, accedens, vel eo absente, mareschalcus curiæ vlterius auenam ipsam distribuat. ingresso vero imperatore vel rege ad mensam, principes electores ecclesiastici, videlicet archiepiscopi, stantes ante mensam cum cæteris prælatis benedicentes eandem secundum ordinem qui circa hæc eis in superioribus est præscriptus, & benedictione completa, iidem archiepiscopi omnes (si adsint) aliquando duo vel vnus sigilla & typaria imperialia siue regalia à cancellario curiæ recipient, eoque in cuius archicancellariatu curiam ipsam celebrari continget, in medio procedente, & aliis duobus ex alterutro latere sibi iunctis sigilla & typaria ipsa, omnes quidem

bacu-

baculum, in quo suspensa fuerit manibus contingentes ea portabunt, & ante imperatorē vel regem reuerenter ponent in mensa. Imperator vero siue rex, eadem ipsis statim restituat: & in cuius cancellariatu hæc fuerit (vt præfertur) is maius sigillum collo appensum, vsque in finem mensæ gestabit, & deinceps donec ad hospitium suum perueniat, ab imperiali siue regali curia equitando. Baculus vero (de quo præmittitur) esse debebit argenteus, duodecim marcas argenti habens in pondere, cuius tam argenti quam precii partem tertiam vnusquisque archiepiscoporum ipsorum persoluet: & baculus ipse protinus vna cum sigillis & typariis debet cancellariis imperialis curiæ assignari, in vsus suos placitos conuertendo. Postquam autem is quem ordo tetigerit portando sigillum maius, ab imperiali curia ad hospitium suum redierit (vt præfertur) statim sigillum ipsum per aliquem de suis familiaribus prædicto imperialis curiæ cancellario remittet super equo, quem iuxta propriæ dignitatis decentiam & amorem, quem ad cancellarium curiæ gesserit, ipsis cancellario tenebitur elargiri. Deinde marchio Brandeburgensis archicamerarius accedat super equo, habens argenteas pelues cum aqua in manib. ponderis duodecim marcarum argenti, & pulcrum manutergium: & descendens ab equo, dabit aquam imperatori vel regi Romanorum manibus abluendis. Comes Palatinus Rheni intrabit similiter super equo, habens in manibus quatuor scutellas argentas cibis impletas, quarum quælibet tres marcas habeat in stateras: & descendens ab equo, portabit & imponet ante imperatorem vel regem in mensa. Post hoc rex Bohemiæ archipincerna veniat similiter super equo, portans in manibus cuppam seu scyphum argenteum ponderum duodecim marcarum coopertum, aqua & vino permixtim impletum, & descēdens de equo scyphum ipsum imperatori, vel regi Romanorum porriget ad bibendum. sicut autem hactenus obseruatum fuisse comperimus, ita statuimus, vt peractis per principes electores seculares prædictis ipsorum officiis, ille de Falckenstein subcamerarius, equum & pelues Marchionis Brādenburgensis pro se recipiat, magister coquinæ de Nortenberg equum & scutellas Comitis palatini, vicepincerna de Lymburch equum & scyphum regis Bohemiæ, vicemarschalcus de Pappenheim, equum, baculum & men-

ſuram prædictam ducis Saxoniæ. Si tamen ipſi in tali imperiali curia præſentes exiſtant, & eorum quilibet in officio ſuo miniſtret: ſi vero ipſi vel eorum aliqui a præfata curia ſe duxerint abſentandos, extunc imperialis vel regalis curiæ quotidiani miniſtri vice abſentium, puta quilibet in loco eius abſentis, cui in vocabulo ſeu in officio communicat, ſicut gerit officium, ſic tollat in præmiſſis & fructum. Imperialis inſuper menſa vel regia ſic debet aptari, vt vltra alias tabulas aulæ ſiue menſas in altitudine ſex pedum ſit altius eleuata, in qua præter imperatorem duntaxat vel regem Romanorum die ſolennis curiæ nemo penitus collocetur. ſedes vero & menſa imperatricis ſiue reginæ a latere in aula, ita quod ipſa menſa tribus pedibus imperiali ſiue regali menſa ſit baſſior, & totidem pedib. eminentior, ſupra ſedes principũ electorum, qui principes ſuas inter ſe in vna eademque altitudine ſedes habebunt, & menſas infra ſeſſionem imperialem, menſæ pro ſeptem principibus electoribus eccleſiaſticis & ſecularibus præparentur in tres, videlicet a dextris, & tres aliæ à ſiniſtris, & ſeptima directe verſus faciem imperatoris vel regis, ſicut ſuperius in capitulo de Seſſionibus & ordine principum electorum per nos eſt clarius definitum: ita etiam quod nullus alius, cuiuſcunque dignitatis vel ſtatus exiſtat, ſedeat inter ipſas vel ad menſas eorum. Non liceat autem alicui prædictorum ſecularium principum electorum, peracto officii ſui debito, ſe locare ad menſam ſibi paratam, donec alicui ſuorum comprincipum electorum eius officium reſtat agendum: ſed cum aliquis eorum, vel aliqui miniſterium ſuum expleuerint, ad præparatas ſibi menſas tranſeant, & iuxta illas ſtando expectent, donec cæteri miniſteria ſua expleuerint ſupradicta, & tunc demum omnes & ſinguli pariter ad menſas ſuas ſibi poſitas ſe locabunt. Inuenimus etiam ex clariſſimis relationibus & traditionibus antiquorum illud à tempore, cuius contrarii iam non habetur memoria, per eos qui nos præceſſerunt, feliciter eſſe iugiter obſeruatum, vt regis Romani, imperatoris futuri in ciuitate Franckofordiæ celebretur electio, & prima coronatio Aquiſgrani, & in oppido Nurenbergenſi prima ſeu regalis curia haberetur. Quapropter certis ex cauſſis etiam, præmiſſa ſeruari debere temporibus declarauimus, niſi præmiſſis omnibus, ſeu eorum alicui impedimentum legitimum obuiaret. Quantumcunque

cunque insuper aliquis princeps elector ecclesiasticus, vel etiam secularis iusto impedimento detentus, ad imperialem curiam vocatus, venire non valens, nuncium vel procuratorem cuiuscunque status vel dignitatis transmiserit, missus ipse licet loco mittentis, iuxta datum sibi ab eo mandatum admitti debeat, in mensa tamen vel sede, quæ illi, qui ipsum transmittit, deputata fuerit, non sedebit. Præterea, consummatis his quæ in imperiali qualibet curia vel regali fuerint pro tempore disponenda, recipiet magister curiæ pro se totum ædificium siue ligneum apparatum imperialis siue regiæ sessionis, vbi sederit imperator siue rex Romanorum, cum principibus electoribus ad celebrandas solennes curias, vel feuda (vt præmittitur) principibus conferenda.

DE IVRIBVS OFFICIALIVM, DVM principes feuda ab Imperatore vel rege Romanorum recipiunt.

DEcernimus hoc imperiali edicto, vt principes Electores ecclesiastici, vel etiam seculares, dum feuda seu regalia ab Imperatore vel rege recipiunt ad dandum vel soluendum aliquid, nulli penitus sint astricti. nam pecunia quæ tali prætextu persoluitur, officiatis debetur. Cum ergo ipsi principes Electores cunctis imperialis curiæ præsint officiis, suos etiam habentes in officiis huiusmodi substitutos, datos ad hoc a Romanorum principibus, & dotatos: videtur absurdum quod substituti officiales a suis superioribus, quocunque quæsito colore encenia postularent, nisi forte ipsi principes Electores sponte & liberaliter his aliquid largirentur. Porro cæteri principes imperii, ecclesiastici vel seculares, dum prædicto modo eorum aliquis feuda seu ab Imperatore Romanorum vel a rege suscipit, dabit officialib imperialis siue regalis curiæ sexaginta sex marcas cum vno fertone argenti, nisi eorum aliquis priuilegio seu indulto imperiali seu regali se tueri possit, & probare se solutum, vel exemptum a talibus, aut etiam aliis quibuscunque, quæ solui in susceptione feudorum huiusmodi consueuissent, prædictarum insuper septuaginta trium marcarum & fertonis, diuisionem faciet magister curiæ imperialis seu regalis hoc modo.

Primo enim decem marcas pro semetipso reseruans, dabit cancellario imperialis siue regalis curiæ, decem marcas magistris notariis, & dictatoribus tres marcas, & sigillatori procera & pergameno vnum fertonem : ita videlicet quod cancellarius & notarii principis recipienti feudum, non ad aliud, quam ad dandum sibi testimonialem recepti feudi, seu simplicis inuestituræ literam sint astricti. Item dabit magister curiæ pincernæ de Lymburch de præfata pecunia decem marcas, magistro coquinæ de Nortenberg decem marcas, siue marschalco de Pappenheim decem marcas, & camerario de Falkenstein decem marcas : tali tamen cum conditione, si ipsi & eorum quilibet in huiusmodi curiis solennibus præsentialiter adsint in suis officiis ministrando. Si vero ipsi vel eorum aliqui absentes fuerint, ex tunc officiales imperialis siue regalis curiæ, qui talibus præsunt officiis eorum, quorum supplent absentiam, singuli singulorum sicut vicem nomenq; & laborem sufferunt, sic lucra & commoda reportabunt. Dum autem princeps aliquis, equo vel alteri bestiæ insidens, feuda sua ab Imperatore recipit vel rege, equus ille seu bestia, cuiuscunque speciei sit, debetur superiori marschalco, id est duci Saxoniæ, si præsens adfuerit, alioquin illi de Pappenheim eius vicemarschalco, aut illo absente, imperialis siue regalis curiæ marschalco.

De Linguis quibus erudiri debent liberi Electorum.

CVm sacri Romani celsitudo imperii diuersarum nationum moribus, vita & idiomate distinctarum linguis habeat gubernacula moderari, dignum est, & cũctorum sapientum iudicio censetur expediens, quod Electores principes, ipsius imperii columnæ & latera, diuersorum idiomatum & linguarum differentiis instruantur, vt plures intelligant, & à plurimis intelligantur, qui plurimorum necessitatibus releuandis Cæsareæ maiestati assistant, in partem solicitudinis constituti. Quapropter statuimus, vt illustrium principum, puta regis Bohemiæ, comitis palatini Rheni, Ducis Saxoniæ, & Marchionis Brandenburgensis Electorum filii, vel hæredes & successores, cum verisimiliter Theutonicum idioma sibi natu-

bi naturaliter inditum scire præsumantur, & ab infantia didicisse, incipiendo à septimo suæ ætatis anno, in grammatica, Italica & Slauica linguis instruantur, ita quod infra quartumdecimum ætatis annum existant in talibus iuxta datam sibi à Deo gratiam eruditi. cum illud non solum vtile, imo ex causis præmissis summe necessarium habeatur, eo quod illæ linguæ, vt plurimũ ad vsum & necessitatẽ sacri imperii frequentari sint solitæ, vt his plura ardua ipsius imperii negocia ventilentur. Hunc autem proficiendi modum in præmissis posuimus obseruandum, vt relinquatur optioni parentum in filios, si quos habuerint, seu proximos quos in principatibus sibi credunt verisimiliter successuros, ad loca dirigant, in quibus de huiusmodi possint linguagiis edoceri, vel in proprijs domibus pædagogos, instructores, & pueros consocios in his peritos eis adiungant, quorum conuersatione, pariter & doctrina in linguis ipsis valeant eruditi.

FINIS AVREÆ BVLLÆ CAROLI QVARTI ROMANI IMPERATORIS.

DE ELECTIONE ET CORONATIONE Pontificis Romani.

EX LIBRO PRIMO SACRARVM Cæremoniarum Ecclesiæ Romanæ, edito Venetiis 1516. apud Gregorium de Gregoriis.

DVM igitur Pontifici defuncto iusta peraguntur, Camerarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & qui Cameræ præsunt, curam instruendi, ornandique conclauis diligenter gerant: ad quem adscensum, aditumque vnum tantum dimittant, qua ad sanctum Petrum per ianuam in principio primæ Aulæ meridiem versus descenditur. In ipsa prima Aula, quæ *Regia* appellatur, eo quod ibi publica Consistoria pro Regibus, Regiisque legatis suscipiendis celebrari solent, fenestræ portæque omnes muro, calceque firmentur, præter illas, quibus ad sacella, & ad secundam Aulam itur. Porta prima in principio Aulæ ferreis vectibus & serris quatuor muniatur. In medio porticulum habeat, quo esculenta & poculenta clausis Patribus ministrentur, in angulo ad sinistram intrãti camerula aperiatur pro latrinis, quæ nullum exitum, nullamque habeant fenestram. in ea sedulo ardeant lampades, ibique Cerimoniarum ministri dormiant. In sacello, siue capella minori ad dextram, quæ Diuo Nicolao dicata est, conueniant Patres ad diuina peragenda, & ad electionem celebrandam. In maiori capella ad sinistram, parentur cellulæ pro Patribus tot, quot sunt numero Cardinales electioni interfuturi. In capite huius capellæ ad sinistram intranti, cameræ sunt, in quibus Sacrista palatii Apostolici habitat, harum prima pars, quæ latrinas habet, pro conclaui reseruetur; cætera omnia muro claudantur, ita, vt tenebrosa fiat pars illa: & ideo, vt de prima camerula diximus, lampadibus

lampadibus accensis continue illustretur. Cellulæ in ipsa capella maiori hinc inde constituantur, non muro, aut materia distinctæ, sed cortinis lineis, aut laneis tenuioribus separatæ. Eriguntur namque ipsæ cellulæ tignis quaternis à superiore parte, à quibus cortinæ dependent, firmanturque ipsa tigna aliis lignis transuersis ita, vt locus non maculetur, & inter cellulam & cellulam spatium dimittitur palmi vel circa, Famuli Cardinalium. vt primum distributio cellularum facta est, illas ornare properent, quæ per litteras alphabeti signãtur Inde non ordine, sed sorte Patribus distribuantur pridie, quam ingrediantur Conclaue: vt cortinis, lectis & opportuna supellectili in tempore possint ornari. Locus ipse Conclauis ita vndique claudendus ac muniendus est, vt aditum nullum, nisi vnum tantum (vt diximus) habeat, nemoque inclusos alloqui, videre, seu quippiam ad eos clam mittere queat: sed aduertendum est maxime, ne supra aut infra, siue à lateribus habitationum Conclauis ire, stare, habitareue quispiã possit, ne voce, signo, sono aut aliquo alio ingenio perscrutari quæ intus fiunt, valeat. Interea Patres crebro conueniant, vel in sacristia Ecclesiæ, vbi exsequiæ defuncti Pontificis celebrantur, finita missa: vel in domo Domini Camerarii (si ea est idonea, & si is est ex numero Cardinalium) Nam & extra collegium potest esse Camerarius: Administratio enim temporalium, & vrbis, ac Romanæ curiæ gubernatio, vacante sede, ad sacrum Collegium, & præcipue ad ipsum Camerarium spectat, & ideo apud nullum alium Cardinalem, sed apud eum tantum, aut apud aliquam ædem sacram (si magis id libet) conuenire solent. Inter alia ibi constituunt quadruplices Custodes futuri Conclauis. Primæ portæ palatii custodia, alicui magno Prælato, vel nobili potenti, vt primum obiit Pontifex, committitur, qui armata cohorte die noctuque palatium, Patresque tueatur, cui ducenti, siue trecenti pedites assignantur. Secunda custodia est in prima porta, qua ad locum Conclauis ascenditur, & hæc demandatur Conseruatoribus & capitibus Regionum vrbis, qui adiunctis sibi aliquibus nobilibus Ciuibus, portam ipsam custodiant. Tertia custodia in secunda porta aliquanto superius demandari solet Oratoribus laicis, siue non prælatis Regum aut Principum, aut etiam aliquibus magnis, & potentibus Proceribus, numero ad id idonco. Quarta au-

tem custodia, quæ est in ipso aditu vnico Conclauis, committi consueuit Prælat s dignioribus Romanæ Curiæ, sex aut octo, siue sint Oratores, siue non; & si commode fieri potest & alioquin idonei censeantur, curandum, vt ex diuersis nationibus eligantur, vt omnium studiis tractetur, quod ad omnes pertinet. Sed hæc omnia, quoad custodiarum distinctionem, & Custodum numerum & qualitatem, in arbitrio sunt Sacri Senatus, qui pro tempore & loci commoditate & conditione opportune prouidere consueuit. Custodes primæ portæ Palatii cum armatis, vt primum obiit Pontifex, locum seruant, alii vero cum Patres intrant conclaue. Et hæc quidem porta, quatuor, vt diximus, ferris munitur, extra vna, supra porticulum duabus, infra porticulum ipsum etiam vna, & similiter interiore parte idem porticulum vna. Custodes ipsius loci claues duas portæ, & clauem porticuli retinent, Clerici cerimoniarum aliam portæ clauem, & clauem porticuli interioris: ita vt neque porta, neque porticulum aperiri possit sine consensu illorum, qui sunt intus, & qui sunt extra. Aulæ siue duæ sint siue tres, reseruãtur pro deambulatione Patrum, Et in vna ex eis, remotiori scilicet, aliquando simul conuenire ad ea statuenda, quæ sunt præter electionem Põtificis. Quanquam secundum sacrorum Canonum constitutionem fas non sit Patrib. aliud tractare in Conclaui, nisi de prouidendo manifesto, & vrgenti periculo terris Ecclesiæ, & de substituendo pro tempore pœnitẽtiario summo, & Camerario S. R. Ecclesiæ, si interea vacarent: non est tamen inconueniens, & à maiorib. nostris frequentatum est tractare aliqua, quæ etsi ipsum actum electionis præcise non respiciant, tamen laudabile regimen futuri Pontificis concernunt, & ipsius Pontificis religiosam administrationem honestiori quodam vinculo tempe. ant Cæterum si aliquando contingeret, vt alibi celebranda esset Põtificis Electio, hinc esset sumendum exemplum, & curãdum in primis, vt locus ipse idoneus, & tutus, & fideli militum manu munitus sit, deinde vt aditus ad Conclaue triplici custodia firmari possit, tum aulam quandam ita capacem habeat, vt in ea cellulæ omnes pro Cardinalibus commode constituantur. Inde vt sacellũ contineat pro re diuina, & Electione celebranda idoneum: demum aulas aliquas pro deambulatione, & latrinas ad partẽ. & ita claudendum est ipsum Conclaue, vt nemo incluſos videre, nemo eos alloqui, aut ad eos

quippiam

quippiam latenter transmittere, iacereue vllo modo queat In eum locum supellex oportuna conuehenda est pro Cardinalibus & eorum famulis, esculenta & poculenta nulla, præter aquam & confectiones, & quæ ad medicinam pertinent, Quæ vero ad cibum & potum attinent, portantur vespere & mane singulis diebus. Descripta summarie loci, in quo Electio celebrari debet, conueniente forma, ad ipsam Electionem deueniendum est, cuius modum & originem altius aliquantulum repetere non incongruit.

Ordo eligendi Pontificis & ratio

CAPVT II.

IVs itaque eligendi summi Pontificis à Christo domino deriuatum est. Ipse enim Christus primũ denominatione successorem instituit, dicens Petro, Pasce oues meas. Et ea ratione Petrus Clementem etiam nominauit: quod tamen ita creditur, si à Senatu Ecclesiæ Romanæ admitteretur. Senatus autem Romanæ Ecclesiæ à Petro diuina inspiratione institutus est, cum quo omnia ardua Ecclesiæ negocia explicaret, ad quemue referret; videlicet collegium XXIV. Senatorum, ex Presbiteris & Diaconibus Romanæ vrbis, instar XXIV seniorum, quos agnus Dei Christus saluator in Apocalypsi Ioannis astantes habere perhibetur. Hos enim Petrus loco assistentium Apostolorum, post eorum per orbem diuisionem elegerat & designarat, ac consiliarios Romanæ Ecclesiæ, coadiutoresque, atque Romani Pontificis Electores instituit. Cognoscentes igitur huiusmodi denominationis formam grauiter in futurum Ecclesiæ posse nocere, Senatores non Clementem acceperunt, sed Linum elegerunt, & illum post Petrum Pontificatui Romano præesse voluerunt, quamuis deinde Clemens, decedentibus Lino & Cleto, ab ipso Senatu electus fuerit. Hic autem mos post Petrum longo tempore fuit obseruatus: vt videlicet Senatores Romanæ Ecclesiæ summũ Pontificem eligerent. Ipsi autẽ

Senatores, Presbyteri scilicet & Diacones vrbis, temporibus Syluestri primi Papæ sunt appellati S.R.E. Cardinales Principes videlicet in Ecclesia, qui postea tempore Innocentii Papæ IV. quod ille in Concilio Lugdun, cauit pro insignia ristocratiæ & maiestatis in Ecclesia, pileum rubrum susceperе. Interea vero orientibus (vt assolet in rebus humanis) scandalis & scissuris inter eosdem Senatores, reliquus Clerus Romanus, & populus, ad præsentiam solummodo exhibendam, in electione Pontificis, & eius corroborationem adiunctus est; inde (vt plerumque fit) inducta violentia, aut aliter quomodocunque, alii etiam à Senatoribus ipsis ad ipsum actum, & ius electionis actiue tantum cœperunt interuenire: licet passiue priscis illis temporibus solis ipsis Senatoribus. i. Presbyteris & Diaconibus S.R.E. ius electionis in summum Pontificem conueniret, prout patet ex Concilio Stephani Papæ, & habetur in Decretis LXXIX. di. *oportebat*, cum duobus sequentibus capitibus. Vnde satis liquet à Petro de Presbiteris & Diaconibus S.R.E. in summos Pontifices eligendis, qui semper fuerunt Senatores Ecclesiæ, & hodie, & Stephani temporibus Cardinales nominati. Procedente autem tempore ad sedandas maiores contentiones & tumultus, qui ob eam rem sæpe oriebantur, Romani Imperatorés manus ita apposuerunt, vt nemo in Pontificem canonice electus diceretur, nisi Principis decreto esset confirmatus. Liberata post hæc tempora Italia, ac Romana Ecclesia a Longobardorum durissimo iugo erepta, Hadrianus primus, vt LXIII. di. c. *Hadrianus*, siue Leo III. vt alii volunt, Romanum Imperium ex Græcis in Germanos transtulit, Carolumque magnum Augustum declarauit, cui electionem Romani Pontificis, & ius ordinandæ Romanæ Ecclesiæ concessit. Nec multo post Leo octauus Imperium Othoni Alemanorum Regi ex Saxonum prosapia primo confirmauit LXIII. di. *in Synodo*. Sed postea prudentissimi Imperatores, quum experientia didicissent, aliis forsan non ita piis Principibus succedentibus huiusmodi auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ pernitiosam fore (præsertim quoniam Romanus Pontifex à Christo institutus est, vt Imperatorem, & omnes oues pasceret, purgaret, atq; spiritualiter iudicaret) illa se potestate abdicarunt, Iusque integrum ad Senatum Ecclesiæ, & Roma-

num

num Clerum,& populum rediit. Ludouico præsertim Imperatore statuente atque volente. LXIII. dl. *Ego Ludouicus*, ex quo pro vera Romani Pontificis suprema Monarchia satius ostendenda, ad id res deducta est, vt Gregorius quintus, Othone III. consentiente, Imperatores de cætero à nonnullis Principibus Spiritualibus & Secularibus fore eligendos sanxerit, & sic ad summum Pontificem Dei vices gerentem in terris, tanquam ad eum, per quem Reges regnant, supremum Christianæ Monarchiæ Principem Romani Imperii moderationem pertinere significauerit Verum cum variis, contrariisque vulgi seditionibus atque studiis, & aliquando Principum violentia in electione Pontificis creberrimi tumultus, contentiones, rixæ, atque etiam cruentissimæ pugnæ committerentur, sæpeque alterò per vim deiecto, alter cathedram occuparet; res Romanæ Ecclesiæ in maximam perniciem deuenerat. Nam paruo annorum interuallo, decem diuersorum meritorum viri Petri sedem tenuerunt; Benedictus nonus, Siluester tertius, Gregorius sextus, Clemens secundus, Damasus item secundus, Leo nonus, Victor etiam secundus, Stephanus nonus, Benedictus decimus. Cuius successor Nicolaus secundus, Pontifex maximæ prudentiæ & sanctatis, vt tantis malis obuiaret, anno salutis, Quinquagesimo primo, supra annum millesimum, in Concilio Lateranen. sacram Legem dedit de electione Romani Pontificis per sacrum senatum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium peragendam esse, quam deinde in Concilio Senen. Alexander tertius, & in Lugdunen. Gregorius decimus, ac Vienen. Clemens quintus confirmauerunt: cuius quidem legis obseruantia, Apostolicam Sedem ex maxima calamitate liberauit. Deinde vt schismata tollerentur, Alexander tertius in Concilio generali statuit, vt ille demum canonice electus censeretur, in quem duæ collegii partes consensissent. Sed vetuit Symmachus cuipiam licere Pontifice adhuc superstite, verbo, scripto, vel promissionibus, Iuramento, aut aliquo alio modo agere de Successore; Transgressores dignitate & communione priuans; Accusantesque & conscios impunitate ac præmio afficiendos censens. Nicolaus insuper præfatus, voluit Romani Pontificis e-

lectionem cum deliberatione Prædecessoris fieri debere. Post hæc autem, ne diutinæ vacationis incommodis, Romana Ecclesia premeretur, neue Patres variis ambitium studiis corrumpi possent, Gregorius prælibatus eius nominis decimus, in Concilio Lugdunen. statuit, Romano Pontifice vita functo, Cardinales præsentes decem tantum dies absentes expectare debere, moxque cum illis, qui adessent, locum Conclauis in vrbe, in qua Pontifex cum sua cura residebat, simul ingredi, cum vno tantum Ministro, vel si patens necessitas fuerit, cum duobus. Conclaue ipsum nullo pariete aut velamine separandum, in communi habitandum, ita claudendum, vt nullus postquam conuenerit, egredi queat. Neminem ad colloquium admittendum, nisi forte re vrgente, & vniuerso Collegio approbatum, & à nemine nuncios, siue literas accipiendas: fenestram, siue porticulum vnum tantum dimittendum, quo submministrari possint, quæ ad vitam pertinent. Si vero postquam Patres intrauerint, intra tres dies electionem non perfecerint, per quinque sequentes dies, tam in prandio, quam in Cœna, vno tantum ferculo contentos esse oportere: quibus elapsis, si adhuc concordes non fuerint, panis tantum, vinum & aqua illis administrentur, quoad Pontificem rite eligant. Interim vero nihil de Camera Apostolica à Patribus percipiendum, nihil aliud omnino agendum, nisi communi consensu aliquid pro patrimonio Ecclesiæ necessario sit prouidendum. Si quis ex Patribus ob aduersam valetudinem egressus est, aut de nouo aduenies, ingredi voluerit, re adhuc integra admittendum, ea conditione, vt eo vtatur, quo alii Patres tunc vtuntur. Si extra locum suæ curiæ Pontifex decesserit, conueniant Cardinales in ciuitate illius territorii, vbi decessit in Palatio Episcopali, vel alio condecenti loco, & omnia seruent, quæ superius sunt dicta. Statuit & alia plæraque Gregorius, quæ ad Dominos Conclauis, & Patrum tutelam ac securitatem pertinent; hortatur Patres ad electionem rite faciendam pro Dei honore & publica vtilitate: & pactiones, iuramenta, obligationesque omnes pro ea re factas, damnat atque irritat. Hoc Gregorii decretum Clemens confirmans, declarat, illudque per sanctæ Roma-

næ

næ Ecclesiæ Cardinales, vacante sede, nullo modo immutari posse : nec licere Cardinalibus quicquam potestatis aut iurisdictionis Pontificalis tunc exercere, nisi officio Camerarii & maioris Pœnitentiarii, si forte per id tempus vacarent pro tempore prouidere. Pro territorio autem dioecesim intelligi voluit, hac additione, quod si audientia causarum & literarum Apostolicarum in aliquo certo loco, Pontifice moriente, remanserit, electionem ibi, non autem vbi Papa decesserit, esse celebrandam, nisi prius per Papam statutum fuisset de curia transferenda. Item, si electione non completa Patres de Conclaui simul vel successiue exierint, compellendos esse à Dominis seu Magistratibus locorum, rursus ad Conclaue redire, & opus perficere. Demum absoluit omnes Cardinales, ad effectum electionis ab omnibus censuris & pœnis. Extat & decretum Clementis sexti, circa annum salutis quadragesimum, supra mille & trecentos editum, per quod superiora statuta limitantur. Quod quia vltimum est, & in sacrorum Canonum codicibus non adhuc descriptum, de verbo ad verbum duximus inserendum.

Clemens &c. ad perpetuam rei memoriam. Licet in constitutione à fe. re. Gregorio Papa x. Predecessore nostro, super electione Romani Pontificis edita in Concilio Lugdunen. inter catera caueatur expresse, quod si eundem Pontificem in ciuitate, qua cum sua curia residebat, diem claudere contingat extremum, cardinales in palatio, in quo idem Pontifex habitat, omnes conueniant, & in eo singuli singulis, nisi illi, quibus ex patenti necessitate duo permittuntur, sint contenti seruientibus Clericis vel laicis, prout eligent: vnum Conclaue nullo intermedio pariete, vel alio velamine habitent in communi, Et quod, diebus certis, non facta prouisione de pastore decursu, panis, vinum & aqua tantummodo eisdem Cardinalibus, donec subsequatur prouisio, administretur. Quia tamen, sicut frequenti multorum assertione, & in Cardinalatu constituti percepimus, nonnulli ex Cardinalibus ipsis in obseruatione constitutionis ipsius grauati nimiũ extiterunt, multiq; ex ipsis duos in dicto Conclaui habuerunt seruitores: non absq; scrupulo conscientiæ, propter ambiguitatem dictorum verborum, videlicet, ex patenti necessitate, *duo permittantur, in dicta constitutione, vt præmittitur contentorum. Nos prouidere super his*

cupientes, ex his & aliis certis caussis rationalibus, quæ ad id nostrum animum induxerunt, rigorem constitutionis ipsius, & ad fratrum nostrorum supplicationem, in hoc prouidimus temperandum. Statuentes, quod Cardinales, postquam Conclaue huiusmodi, seu clausuram pro dicta electione celebranda intrauerint, singuli duos seruientes tantum Clericos, vel laicos, prout duxerint eligendos, ac insuper singulis diebus, præter panem, vinum & aquam in prandio, & in Cena vnum duntaxat ferculum carnium, vnius speciei tantummodo, aut piscium, seu ouorum, cum vno potagio de carnibus, vel piscibus principaliter non conuecto, & decen. salsamentis habere valeant vltra carnes salitas & herbas crudas, ac caseum, fructus, siue electuaria. Ex quibus tamen nullum specialiter ferculum conficiatur, nisi ad condimentum fieret, vel saporem: nullus vero eorum de alterius ferculo vesci possit: liceat etiam eis ex decentia honestatis habere in clausura huiusmodi, cum in lectis quiescendi caussa vel dormiendi esse voluerint, intermedia seu velamina simplicium tantummodo cortinarum, & se.me. Clementis Papæ quinti Prædecessoris nostri, & aliis constitutionibus Apostolicis contrariis, quibus propter hoc in aliis derogare nolumus, non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo &c. Datum Auinioni. VIII. Id. Decembris, anno X. Hæc pauca ex decretis sanctorum Patrum libauimus, pro ingenii nostri imbecillitate. Sed hortamur Reuerendissimos D. Cardinales, vt cum electionis negocium imminebit, secundum Hostiensis in sua Lectura Consilium, diligenter reuideant Pontificum & Conciliorum Statuta, de Electione Romani Pontificis edita, & Doctorum super ea re interpretationes. Et quoniam res est maxime ardua, indigetque magna discussione, fiet fortassis super hac re specialis Tractatus. Exsequiis igitur defuncti Pontificis per nouem dies completis, & Conclaui opportuno præparato, decima die Patres conueniunt in Basilica sancti Petri, vel alibi pro temporis & loci opportunitate, vbi per vnum ex eis Missa de Spiritu sancto celebratur: & in fine per aliquem Prælatum, seu alium doctum Virum habeatur Sermo, in quo moneantur Patres, vt sepositis omnibus priuatis affectibus, Deum tantũ præ oculis habentes, S R. & vniuersali Ecclesiæ de Pastore idoneo prouidere curent. Estq; admodum conueniẽs, vt

decreta

decreta ſummorum Pontificum, pro electione huiuſmodi ſtatuta ab ipſo Oratore ſummatim repetantur, & reducantur ad memoriam Dominorum Cardinalium. Re diuina peracta, ſi placet Patribus tunc intrare Conclaue, Clericus Cerimoniarum capiat Crucem Papalem, & procedat, quem Cardinales ſequantur, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi. Crucem præcedunt Familiares Cardinalium laici, & immediate Cantores, cantantes Hymnũ, *Veni creator ſpiritus*: & in Conclaui apud altare, prior Cardinalium dicit orationem, *Deus qui corda fidelium*. Poſt Cardinales ſequuntur Prelati, & alii curiales Clerici. Cardinales erunt cum ſuis cappis obſcuris. Si vero volunt differre introitum ad veſperam, conueniant de hora, & vadant domum ad prandium. vbi hora congrua fuerit, antequam diſcedant. ſi prius hoc non fecerint, quod facere conuenit, ſi poſt Miſſam ſunt ingreſſuri Conclaue, conuocent familiam ſuam vnuſquiſque, moneant, hortẽtur omnes primum ad orandum clementiſſimum Deum, vt Patribus inſpiret ea circa electionem futuri Pontificis agere, quæ ſuæ placita ſunt voluntati, & ſaluti ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, atque vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ profutura. Tum vt domum die noctuq; bene cuſtodiant, Magiſtro domus obediant, pacifice & quiete inter ſe viuant, & per vrbem non multum vagentur, noctu autem domi ſe omnino contineant. Deinde hora præſcripta, in nomine Domini vadant ad Baſilicam ſancti Petri, ſi Romæ, & in Palatio Apoſtolico fit Conclaue: Sin alibi ad Eccleſiam, Conclaui proximam; & valde honeſtum, imo neceſſarium videtur, vt antequam Cõclaue ingrediantur, Patres omnes Deo ſe reconcilient, confiteantur peccata ſua, & qui non ſunt celebraturi, communicẽt, vt ſint capaces gratiæ Spiritus ſancti, in tanta re peragenda admodum neceſſariæ. Poſtquam vero omnes conuenerint, aſcendant ſimul ad Conclaue. Et quum ad altare Conclauis conuenerint, Prior Epiſcoporum Cardinalium omnib. aliis aſtantibus & præſente ac rogato aliquo Notario, exigat corporale Iuramentum, tactis ſactis Euangeliis à Cuſtodibus Conclauis, & à ſecundis ac tertiis Cuſtodibus, quod fideles & diligentes erunt ad cuſtodiendum palatium & Conclaue Reueren. D. Cardinalium: neque permittent Reuerendiſſimos D. Cardinales vllo modo grauari vltra conſtitutiones ſanctorum Patrũ, de electione Romani Pontificis ſtatuentes, & ma-

xime Clementis Papæ sexti, Quas, quantum ad eos pertinet, omni studio & integritate seruabunt, & ab aliis pro viribus facient obseruari. Quarti vero Custodes, id est, portæ vltimæ introitus Conclaui præter hæc iurabunt, quod non permittent aliquem appropinquare ad portas conclauis, aut loqui, siue literas dare aliquomodo illis, qui sunt intus, nisi de expresso consensu totius collegii, & scripta, quæ ad collegium pertinerent: Item quod perscrutabuntur cibaria & vasa, quæ intromittentur, omni solertia & fide, introspiciendo epulas & fercula, ne forsan latarent aliquæ literæ: vinum & aquam in vasis vitreis portari facient & constitutiones præfatas integrè obseruabunt. Tum exclusis omnibus aliis, prior Episcoporum Cardinalium ipsos Cardinales verbis conuenientibus hortabitur, vt velint cogitare magnitudinem rei, de qua sunt tractaturi, qua nihil inter eos excellentius esse potest. Electuri enim sunt Iesu Christi vicarium, Petri Successorem, Pastorem Dominici gregis, Aulæ cœlestis Clauigerum, & omnium Christianorum Principem: debere illos memoria repetere formam atque rationem à sanctis Patribus traditas in electione seruandas, quas sine grauissima Dei offensa, & propriæ salutis discrimine prætermittere non possunt. Proinde dimissis omnibus animi affectibus, solum honorem Dei, salutem Reipublicæ Christianæ, & Romanæ Ecclesiæ commodum ante oculos habeant, & talem eligere curent, qui Ecclesiæ Dei præesse & prodesse valeat & sciat. His peractis, Reuerendissimi Domini Cardinales ad cellulas quisque suas diuertunt: & Camerarius, aliique Officiales Cameræ Apostolicæ, omnes extra Conclaue abire iubent, præter eos, quos remanere oportet, vt infra dicemus. Tum omnibus prædictis expulsis, porta Conclauis, cum suo porticulo omnibus ferris claudatur intus & extra: assignenturque claues duæ Clericis Cerimoniarum interioribus, & tres Prælatis custodibus exterioribus. Deinde accensis funalibus aliqui iussu Patrum ad hoc deputati, latebras, angulosque omnes Conclauis diligenter scrutantur, ne quis extra ordinē inter clausos remanere possit. In Conclaui ordinario, si remanent omnes Reuerendissimi D. Cardinales, & vnusquisque illorum pro suo seruitio retinet duos seruientes tantùm, si quis autem aduersa valetudine premeretur, conceditur sibi tertius Minister, ex consuetudine, non ex constitutione: Præterea Sacrista

cristā sacri Palatii solus & duo Clerici cerimoniarum. Seruitores Dominorum Cardinalium quisq; Hero suo famulatur. Sacrista diuina celebrat in cōmuni coram Patrib. & vestes, ac paramenta fututi Pōtificis seruat, præparatq;. Clerici cerimoniarū celebranti subministrant, Subsellia pro Dominis Cardinalibus, vbi & quomodo illis placet, præparant, & in cōmuni omnib. Patribus seruiunt: consueuitq; aliis superiorib. temporibus instrumentū de electione Pontificis confici. Cū prandii, seu cœnæ tempore cibaria afferuntur, Familiæ Cardinaliū cornutas (ita enim coffinos appellant, quibus illa portantur) vsq; ad secundam custodiam deducunt. Tū Præfectus Familiæ illius Cardinalis, cum duobus, qui cornutam portant, vsq; ad vltimam custodiā accedunt. Prælati custodes cornutam aperiunt, fercula & omnia, quę intus sunt, diligenter perscrutātur, ne quid literarū insit. Tum aperto extrinsecus porticulo intrinsecus aperiri per Clericum Cerimoniarum, vocarique seruientes illius Cardinalis, cuius cornuta est aduecta, iubent, illique cornutam cum cibis assignant, & vinum, quod est in vitreis phialis allatum. Seruitores, qui extra astant ad portā Cōclauis non accedunt, & qui intus sunt, à Prælatis Custodibus cornutas recipiunt, & qui primum venerint, primū expediuntur: ante portam intus aliquantulū remote suspenditur Cortina quædā, ne per porticulū cum aperitur, videri possint, qui sint intus. Et hoc semper seruatur cum cibaria portantur.

Primis tribus diebus ministrantibus Patribus, cibi libere pro eorum voluntate; illis elapsis panis, vinum & aqua, cum vno ferculo tantum carnium, piscium, vel ouorum vnius speciei, cum salsamentis, sapore, caseo, herbis crudis & fructibus. Neque secundum constitutionem Clementis, licet alicui ex patribus de ferculo alterius vesci. Dum Patres comedunt, aut aliquid aliud in cellulis agunt, cortinæ anteriores & collaterales apertæ semper esse debent, nisi cum in lecto interdiu siue noctu quiescunt. Cum autem collegialiter à Patribus est aliquid agendum, vtuntur croceis obscuris, & subtus paruo capucio supra rochettum. Est autem crocea genus chlamidis lōgæ ad terram vsque, à parte anteriori aperta, à summo ad imum circa collare rugosa in formam capparum Prælatorum, si demas cucullum. Quando autem sunt in Cellis, aut per Aulas deambulant, possunt esse in rochettis, siue cum paruis mantellis desuper, vt magis placet. Caueant dili-

genter Patres, ne cum horas canonicas soli vel cum alio legunt, seu quippiam aliud in Cella agunt, molestiam aut impedimentum inferant, & in primis, ne conuenticula noctu agitent, neue ambiendo per Cellulas, siue per Aulas, immoderate discurrant. Idque multo magis curent seruientes maxime, ne, dū Patres quiescunt, sursum & deorsum discurrendo strepitum faciant. Noctu locis opportunis ardeant lampades, & assidue in locis tenebrosis apud latrinas. Consueuerunt nostris temporibus Patres, antequam ad electionem deueniāt, statuere quædam communi consensu à futuro Pontifice confirmanda, quæ postea singuli subscribunt, iuramentoque astringunt se obseruaturos, si ad Pontificatum assumantur. Hæc vbi perfecerunt, de electione agere incipiunt.

Quæ seruanda ne Electio possit impugnari.

SEd aduertendum est per Reuerendissimos D Cardinales, vt in electione seruent sanctorum Patrum canonicas constitutiones, Nicolai secundi, Alexandri tertii, Gregorii decimi, Clementis quinti & sexti: & aliorum, si quę sunt; ne impugnari possit electio Sciantq; tā Episcopos, quam presbyteros, seu Diacones Cardinales, æqualem in eligendo potestatem habere: neq; fieri relationem meriti ad meritum, neq; zeli ad zelum, sed numeri ad numerum, Ita vt ille, qui à duabus partibus Cardinaliū, cuiuscunq; ordinis sit, rite electus sit pro vero & indubitato Pontifice habeatur: & Cardinales nouos, vt primum creati & publicati fuerint, eandem habere potestatem in electione (nisi os fuerit eis clausum à Pontifice, & non apertū ante mortem, quia tunc non haberent potestatē) sin autem nō fuisset eis os clausum, integra permaneat potestas. Post mortem Innocentii VI. in electione Successoris, in qua fuit electus Vrbanus quintus extra collegium, tunc Abbas sancti Germani Altissiodorensis de Rocha, Abbas Cluniacensis assumptus in Cardinalem per Innocentium, primo venit ad curiā in die obitus dicti Innocentii: & quamuis installatus non esset in cōsistorio, nec haberet titulū, fuit admissus per alios Cardinales ad Cōclaue electionis, vt alii Cardinales antiqui: & ita duo ex Cardinalibus antiquis ex commissione collegii causa cognita iudicarunt esse faciendum, quia sola assumptio ad Cardinalatum habet ius eligendi, & alia Cardinalibus conuenientia: & propterea Papa in tempore clausit os nouis, quod prius erat aper-

apertum. Et quamuis Romanus Pontifex canonice institutus nullo humano iudicio iudicari possit (nisi fiat Hæreticus) si tamen contra formam istarum constitutionum Papatum sibi vsurpauerit, tam ipse, quam ei adhærentes sunt excommunicati, & similiter electus per seditionem, impressionē, vel quodlibet aliud ingenium, videl per calliditatem & fraudem. Consuetudo fuit apud superiores, vt duæ Missæ singulis diebus in Conclaui dicerentur; vna de die currenti, altera propria, quæ sede vacante dicitur, & scripta in fine huius voluminis: vna per Sacristam, altera per aliquem ex Capellanis Cardinalium, nisi ipsi Cardinales personaliter velint celebrare. Cum igitur de electione agere volunt, audita missa, Domini Cardinales soli in capella illa remanent, sedentque super scabella, siue scamna illis parata: super altare restat calix vacuus & patina, ante altare mensa parua, rubeo panno cooperta ponitur; & super eam pugillares & papirus. Inter concauum & altare iuxta mensam ponuntur scabella tria, In quorum medio Episcoporum, à dextris Presbyterorum, & à sinistris Diaconorum Cardinalium, Priores sedent. Sacrista vero, familiares Cardinalium, & omnes alii, qui in Conclaui reperiuntur, in capella maiori, vbi cellulæ sunt, clauduntur; soli Clerici Cerimoniarum solent extra portā capellæ paruæ, vbi Patres clausi de electione tractant, expectare, præsto venturi, si à Patribus pro aliqua re vocarentur. Cum omnes ordine suo cōsederint, prior Episcoporum in loco prædicto sedens, commodis verbis hortatur Patres ad prouidendum sanctæ Romanæ Ecclesiæ de viro idoneo & sufficienti, & qui tantum onus vtiliter ferre queat. Deinde proponit eis per quam viam ad electionē procedere placeat, per viam compromissi, siue per viam scrutinii: quod si forte aliquis Patrum diceret in hanc sententiam: *Reuerendissimi Domini, perspecta singulari virtute, probitate, &c. Reuerendissimi D. N. ego iudicarem sine alio processu ipsum eligendū ad summum Pontificatum, & ex nunc ego eligo ipsum in summum Pontificem sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Si alii, vel saltim duæ partes istius sententiam sequerentur, & viua voce simili modo illum talem eligerent, ille esset canonice electus, & verus Papa. Et vocatur per viam Spiritus sancti talis electio sine cedulis aut compromisso, sæpeque apud Maiores nostros fuit celebrata hæc via. Si Dominis Cardinalibus placuerit procedere per viam Compromissi, oportet quod omnes cō-

cordent ad compromittendum: aliter non tenet nisi forte duę partes tam diu in sententia permanerent, quoad Cōpromissarii Electum nominarent, illumq; compromittentes comprobarent, tuncq; vt Electus a duabus partibus esset canonice electus. forma autem talis Compromissi, est huiusmodi:

In nomine Domini Amen. anno eiusdem &c. die &c.

NOS *Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, omnes & singuli in consistorio existentes, videlicet T. Ostien. D. Portuen. & sigillatim omnes alii nominentur Cardinales de electione tractantes summi Pontificis, elegimus, & eligimus per viam procedere compromissi, & vnanimiter & concorditer, nemine discrepante, elegimus Compromissarios Reuerendissimos Patres Dominos T. Episcopum, &c. A. tit. sancti N. Presbyterum, & L. sancti Hadriani Diaconum, Cardinales, quibus damus plenariam facultatem & potestatem prouidendi sanctæ Romanæ Ecclesiæ de pastore, iuh hac forma videl. quod duo ex ipsis possint eligere tertium de seipsis, & omnes tres concorditer de collegio vel de extra, possint Romanæ & vniuersali Ecclesiæ prouidere. Et volumus, quod dicta potestas duret vsque ad consumptionem candelæ, intra quam ex consensu singulorum accensæ: & promittimus, nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem dicti Compromissarii in forma prædicta duxerint eligendum &c* Compromissarii vero ad partem in aliquo loco separato se retrahant, & primum inter se protestentur, quod per quamcumq; prolationem verborum non intelligunt dare consensum suum, nisi in scriptis illum expresse ponant, vt inter se possint vti verbis humanis & reuerentialibus, sine præiudicio. Alius modus est, & magis tritus procedendi per viam scruttinii: qui si magis placet, primo deliberandum est, an post scrutinium eadem die sit attentanda via per accessum, Deinde omnibus in locis suis in capella consedentibus, prior Episcoporum cum cedula sua in manu accedit ad altare, & genu flexus aliquantulum oratiō surgit, & cedulam prædictam, quam primo osculatur, in calice reponit, Priore Diaconorum a sinistra parte altaris vbi Epistola legitur, stante & patenam manu sua eleuante. has cedulas, quæ vota eorum continent, scribere soleut Reuerendissimi

mi Domini ad partem, quomodo eis placet, in hanc formam: *Ego A. Episcopus Ostiensis, &c. Cardinalis &c. eligo in summũ Pontificem, Reuerendissimum Dominum meum D. S. titu. sancti Marci Presbyterum Cardinalem*, Et eodem modo quisque nominare potest duos, aut plures de Collegio in eadem cedula, & aliquem extra collegium à tergo ipsius cedulæ. Cedulam ipsam bene plicatam sigillo suo annulari signat: & vt diximus, facta prius oratione illam deosculatam quisque in calicem ponit. Vt autem prior Episcoporum cedulam in calice posuit, accedit ad dextrum cornu altaris, & ibi cum priore Diaconorum patenam eleuat, dum Patres votorum cedulas calici imponunt. Qui ordine suo omnes sigillatim Episcopi, Presbyteri & Diaconi, eodem modo, vt de priore Episcoporum diximus, cedulas in calicem mittunt. Cedulis in calice depositis, sedent Patres, & quisque ante se scabellum habet cũ papyro & pugillaribus, in papyro scripta sunt per ordinẽ Patrum omnium præsentium nomina cum aliqua distantia, ita vt vnum tantum nomen in quolibet versu contineatur, in hunc formæ modum.

Reuerendissimus Dominus Nicenus habet.
Reuerendissimus Dominus Rothomagensis habet. Et sic de singulis. Et scribuntur nomina, quibus communiter appellantur, propter breuitatem, & non nomina titulorum. Tum prior Episcoporum calicem de altari simul cum Diaconorum Priore sumens, illud super mensam prædictam imponit: deinde & ipse & Diaconus sedẽt à dextris, Priore Presbyterorum sedente, vt prædiximus. Prior deinde Episcoporũ sedens, calicẽ manu dextra capiens, ac sinistra patenam firmã retinens, calicẽ ipsum super patenam immittit, ita tamen, vt nihil effundat: & iterum calicem erigens super mensam, vt prius erat, illum constituit: tum sinistra aliquantulum patenã eleuans, dextra cedulam vnam, quæ forte ad manus venit, palam digitis duobus extrahit, illamque primo Priori Presbyterorum ostendens, legendam porrigit Diaconorum Priori, qui eam mox aperit, & voce, qua ab omnibus exaudiri possit, distincte legit. *Ego N. Cardinalis Papiensis eligo in summum Pontificem Reuerendissimum Dominum meum D. B. titu. sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem &c.* vt ibi scriptũ inuenit. Cardinales omnes, tã ipsi tres priores, quã a-

lii, super nomina in cedula nominatorum, eligentium nomina scribunt in papyris suis, vel signum aliquod faciunt. Omnibus cedulis perlectis, & votis eligentium descriptis tres priores vota computant, & alta voce habentes plures voces Diaconus nominat dicendo: *Reuerendissimus D. A. habet voces decem, & Reuerendissimus V. habet voces octo. Et Reuerendissimus D. habet voces septem.* Deinde si non potest attēptari via per accessum, & voces non sufficiunt, re infecta. Patres discedunt, neq; per totum diem aliud agi potest circa actum electionis, quia non fit bis in die scrutinium. Sequenti die iterum summo mane in capella conueniunt, & re diuina peracta scrutinium, vt die præterita faciunt, cedulas in calicē mittunt, quæ à prioribus extrahuntur, leguntur & computantur, vt supra. Deinde si duæ partes in cedulis non conueniunt, procedunt ad electionem per viam accessus. Nam hoc pacto celerius ad finem electionis peruenitur, ad illos accedendo, quo in cedula non nominauerit; & potest fieri accessus ad vnum, vel plures, sicut & nominatio in cedulis: sed ex honestate & decore iuniores debent aliquantulum expectare, quoad antiquiores accessum incipiant. Illis vero diutius supersedentibus, quilibet potest incipere: surgit qui vult incipere, & dicit. *Ego accedo ad Reuerendissimum Dominum meum talem*; & statim omnes signant super nomen Electi nomen accedentis: & simili modo & alii, qui volunt, accedunt, & signantur. si non concurrūt duæ partes, nihil factum est, & sequenti die ad scrutinium reuertuntur. Si autem voces sufficiunt, qui vltimo ex necessariis vocibus accedit, solet dicere. *Et ego accedo ad Reuerendissimum Dominum meum talem, & facio eum Papam.* Et notandum, quod si accessus fieret ad plures imperceptibiliter & inconfuse, ita vt duo haberent duas partes, nemini ius acquiritur, & pro infecto habetur. Legimus superioribus temporibus, cum duæ partes in electione concordabant, priorem Diaconorum consueuisse induere Electum mantum Papale, dicendo: *Ego inuestio te de Papatu, vt præsis vrbi & orbi.* Sed hodie non seruatur. Conuenientibus duabus partibus in vnum quempiam, ille verus & indubitatus est Pontifex: tamen consueuerunt & alii accedere, & rursus prior Episcoporum, omnibus sedentibus, nomine totius collegii illum talem eligit in Romanum Pontificem, & eius assensum requirit. Quo habito, omnes surgunt primo ad congratulandum,

dum, deinde eum exuunt crocea & caputio paruo, & sic cum suo rochetto faciunt illum sedere super ornata sede, quam locant ante mensam, vbi priores sedebant. Imponunt illi annulum piscatoris, & exquirunt quo nomine velit nuncupari: & tunc solet subscribere constitutiones, ante electionem firmatas & iuratas & signare aliquas Supplicationes.

Interim vero prior Diaconorum aperta Sacrarii fenestrella, qua populus expectans videri potest, crucem profert alta voce clamitans: *Annuntio vobis gaudium magnum, Papam habemus, Reuerendissimus Dominus Cardinalis Malfectensis, electus est in summum Pontificem, & elegit sibi nomen Innocentius Octauus.*

De indumentis Electi, & prima veneratione à Cardinalibus.

HIs peractis, ducitur Electus in sacrarium, & à Diaconis Cardinalibus exuitur vestimentis communibus (quæ ex antiqua consuetudine cedunt Clericis Cerimoniarum) induiturque Papali habitu, Toga scilicet lanea albi coloris, caligis rubeis, Sandaliis rubeis aurea cruce ornatis, cingulo rubeo cum aureis fibulis, birreto etiã rubeo, & demum mundo nitidoq; rocheto: deinde imponunt ei amictum Albã longam, cingulum, & Stolam ornatam cum perlis pendentem à collo, si est Presbyter aut Episcopus, Si autem esset Diaconus, Stola sit super humerum sinistrum, in formam Diaconi: si sit Subdiaconus, vel infra, non ponatur ei Stola: & ita indutum educunt, ac super prædictam sedem rursus sedere iubent: ibiq; supplicationes complures signat. Demum domini Cardinales depositis croceis, & paruis caputiis, cappas suas reassumũt. Imponunt nouo Pontifici pluuiale rubeum pretiosum, & mitram auro & gemmis ornatam, illumque sedere faciunt super altare, cui Cardinales omnes reuerentiam exhibent per ordinem, pedes, manus & os deosculantes.

Dum hæc aguntur, portæ Conclauis omnes aperiuntur, repagula, murique ostiorum, & fenestrarum deiiciuntur, pulsantur campanæ, & signa lætitiæ omnis generis eduntur. Põtifex nouus, præcedente cruce & Cardinalibus, ad Ecclesiam

sancti Petri descendit, & prostratus ante altare sine mitra aliquamdiu orat agitque gratias Deo, & beatis Apostolis. Tum surgens à Cardinalibus super altare ad sedendum constituitur cum mitra: & prior Episcoporum genuflexus incipit: *Te Deũ laudamus*, quem hymnum Cantores prosequuntur. Interim Cardinales pedes Electi, manus & os deosculantur, seruato ordine: quod & alii qui adsunt Prælati & Nobiles faciunt. Finito hymno, idem prior Episcoporum stans à cornu sinistro altaris, vbi Epistola legitur, dicit super Electum, *Pater noster*: deinde *& ne nos &c. Sed libera &c. Saluum fac Domine Seruum nostrum.* Resp. *Deus meus sperantem in te*, Vers. *Mitte ei auxilium de sancto.* Resp. *& de Syon tuere eum.* Vers. *Domine exaudi orationem meam.* Resp. *& clamor meus &c.* Vers. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo. Oremus, Omnipotens sempiterne Deus miserere famulo tuo N. electo in summum Pontificem, & dirige eum secundum tuã clementiam in viam salutis æternæ, vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat: per Christum Dominum nostrum, Amen.* His seruatis, descendit Electus de altari, & versus ad populum, solemniter benedicit, dicens: *Sit nomen Domini benedictum.* Tum eodem ordine reuertitur ad cameram Papalem, & ibi quiescit, & Domini Cardinales reuertuntur ad propria.

Quod si electus esset aliquis extra collegium, & tamen in vrbe vel loco vicino, antequam patres exeant è Conclaui; vocetur nomine collegii ab aliquibus Prælatis, & introductus in Conclaui, à priore Episcoporum intimetur ei electio, & requiratur eius consensus: quo habito, omnia fiant, quæ de Electo præsente superius dicta sunt. Si autem non cõsentiret, iterum ad nouam electionem faciendam procedant. Si autem canonice electus esset absens, ita quod per aliquos dies eius præsentia haberi non posset, Patres publicata eius electione, & destinata ad electum idonea legatione, conclaui exeant, Legati cum mandatis, & authenticis documentis nominato electionem insinuent, & consensum exquirant; acceptantem summum pontificem salutent, & habitu Pontificali exornent, referantq; Patribus; Deinde reliqua peraguntur, vt nouo Electo & Collegio videbitur: Si autem acceptare noluerit, iterum Domini Cardinales in Conclaue reuertantur, ad nouam Electionem peragendam. Ante coronationem suã electus Romanus Pontifex consistoria tenere non consueuit,

neque

neque prouisionis aliquas Ecclesiarum facere: Si tamen aliquo impedimento coronationē diutius differre oporteret, & vrgeret necessitas; Ecclesiis recte posset prouidere, & omnia quæ essent pro vtilitate Reipublicæ peragere: & hoc tempore Bulla plumbea literarum suarum ab vna tantum parte imprimetur, vbi sunt capita Apostolorum, ab alia autem, vbi literæ sui nominis imprimi solent, nihil erit. In principio, si prius erat Episcopus consecratus, scriberetur, *Innocentius Episcopus seruus &c.* vt alias. Si autem non esset consecratus Episcopus, scriberetur; *Innocentius electus, seruus seruorum Dei.* In fine autem literarum ante Datam adduntur hæc verba. *Nec mireris quod Bulla exprimens nomen nostrum, non sit appensa præsentibus. Nam hi, qui fuerunt hactenus electi in Romanos Pontifices ante suæ consecrationis & benedictionis solemnia, in suis bullandis literis modum huiusmodi obseruare consueuerint.* In Data autem dicitur loco, *Pontificatus nostri; suscepti à nobis Apostolatus officii anno primo.*

De Ordinatione & consecratione summi Pontificis

CAPVT III.

CÆterum si electus in Romanum Pontificem, non esset in sacris ordinibus constitutus, vt de Petro Moroneo Anachoreta, & de quibusdā aliis Patrū nostrorum memoria accidit, statuta per eum die ante diem coronationis, per aliquē Episcopum Cardinalem vel alium, si magis placet, ordinetur: & ad omnes ordines etiam Presbyteratum poterit in eadem die simul, vel interpellatis dieb. promoueri, vt placuerit. In promotione autē hæc seruabuntur. Cōuenient in loco, vbi Ordinatio fieri debet, electus Pōtifex cū duob. Diaconis, & aliis ab. Presbyteris Cardin Subdiacono & Acoluthis Apostolicis & omnes cōuenientib. sibi & tēpori paramētis ornentur. Deinde Episcopus Cōsecrator cū suis ministris paretur: paretur etiam ante altare credencia pro Cōsecratore, & credencia pro Pōtifice electo cū rebus opportunis ad Ordinationē. Electus ordinādus ad Subdiaconatū, in sede suo in loco cōuenienti cōstituta primo lauet manus: rum supra rochettū paretur amictu(ita tamen, vt possit imponi supra caput cum tempus erit, Alba)

& cingulo deinde pluuiale, quod poſt collum remittit, vt totum retro dependeat, tum mitram accipiat tempori opportunam. Cum omnia parata erunt, Electus accedit ad altare, procumbet ad orationem ſine mitra, & ſurgens faciet confeſſionem cum ordinatore, deinde reuertetur ad ſedem ſuam, & leget introitum, &c. vt alias. Et ordinator procedet in Miſſa more conſueto, vſque ad Collectam ante Epiſtolam excluſiue. Tunc Electus ſuper Faldiſtorium procumbet ſine mitra, ordinator autē in ſcabello ad eius ſiniſtram cum mitra, & alii omnes in locis ſuis ſine mitra & fiet litania per Subdiaconum, & cum peruentum fuerit ad locum conſuetum, ſurget Ordinator, & benedicet Electū tertio, dicens. *Vt hunc Electum &c.* vt in ordinario. Deinde iterum procumbet, & finietur litania. Tum Electus ſumpta mitra, reuertitur ad ſedem ſuam, & Ordinator accedet ad eum, & ſedenti cum mitra, ipſe ſtans cum mitra, dat Electo Calicem vacuum cum patena, & mox vrceolos cum vino & aqua, baccale & manutergium. Quæ omnia Electus tanget ambabus manibus, ordinatore dicente: *vide huiuſmodi miniſterium, &c.* deinde ſucceſſiue etiam cum mitra ordinator dicit. *Oremus Deum patrem & Dominū noſtrum, &c.* Tum depoſita mitra, dicit. *Oremus, flectamus genua, leuate.* Et interim etiam Electus ſurgit ſine mitra, & ordinator proſequitur: *Domine ſancte pater omnipotens æterne Deus, &c.* qua finita oratione, Electus ſedet ſine mitra, & ordinator accepta mitra imponit amictum ſuper caput Electi, dicens: *Accipe amictum, &c.* qui mox reaſſumit mitram, & ordinator imponit illi manipulum in brachio ſiniſtro, dicens: *Accipe manipulum, &c.* tum ſurgit Electus, extrahitur ſibi mitra & pluuiale, & Ordinator induit eum tunicella, dicens: *Induat te Dominus veſte, &c.* ſedet deinde Electus cum mitra, & Ordinator tradit illi librum epiſtolarum, dicens: *Accipe librum epiſtolarum, &c.* Finita ordinatione Subdiaconatus, ſi Electus non vult vlterius procedere, reaſſumit pluuiale, & finitur Miſſa more conſueto. Si vero placuerit ad Diaconatum procedere, Ordinator apud altare in ſuo faldiſtorio proſequitur Collectam dici. cum oratione pro ordinando, ſub eodem, *per Dominum*, & dicetur epiſtola ſuo ordine. Qua finita, ſi electus ante electionem erat ſubdiaconus, paretur in principio ſicut diximus; addito manipulo, & finita epiſtola, procumbat in faldiſtorio, & fiet litania, vt diximus. Si autē tunc ordi-

ordinatus est, finita epistola surgat, & deponat tunicellam, & iterum sedeat cum mitra & pluuiali à collo: Ordinator autem ad eum accedit, & stans cum mitra, dimissis aliis rebus, dicit: *Oremus dilectissimi Deum patrem omnipotentem &c.* & cum peruenerit ad, *Per omnia secula*, in præfatione deponit mitram, & prosequitur præfationem vsque ad eum locum, vbi dicitur, *& quæ sunt agenda concedere*: tunc Electo sine mitra sedenti imponet ipse solus dextram manum super caput, dicens: *Accipe Spiritum sanctum ad robur &c.* Deinde persequitur præfationem vsque in finem. Deposito tunc pluuiali & mitra ab assistentibus, Electo stanti Ordinator cum mitra ponit illi Stolam super humerum sinistrum, dicens: *Accipe Stolam candidam &c.* deinde induit eum dalmatica, dicens: *Induat te Dominus &c.* & mox tradit illi sedenti Euangeliorum librum, dicens: *Accipe potestatem &c.* Quo facto, Electo sine mitra surgente Ordinator deposita mitra versus ad altare dicit, *Oremus*: & ministri, *Flectamus genua &c.* Et ipse prosequitur versus ad Electum, *Exaudi Domine &c.* & *Domine sancte pater &c.* His completis, si noluerit ad vlteriora procedere, Missa suo ordine finitur. Si autem ad Presbyteratum tunc erit promouendus, Ordinator reuertetur ad suum faldistorium, & leget graduale, & alleluia siue tractum, & postea procedet ad ordinem sacerdotalem, vt sequitur. Quod si Electus erat prius Diaconus, parabuntur omnia, vt supra: & ipsi addetur Stola super leuam, in formam Diaconi.

Electus Pontifex in ordine Diaconatus existens, cum ad Presbyteratum voluerit ordinari, parabitur vt supra diximus, & in missa procedetur vsque ad *Alleluia*, siue tractum excluſiue, vt prædictum est: & tunc Pontifex electus paratus amictu albo, cingulo, manipulo, Stola in modum Diaconi, & pluuiali à collo retro pendente, procumbit super faldistorium ad litaniam, si non est facta: & illa, vt præmissum est, in Subdiaconatu, finita, reuertitur ad sedem suam: Ordinator vero cum mitra ad Electum sedentem accedens, manus ambas super caput Electi detectum imponit, nihil dicens. Et idem faciunt omnes Episcopi, siue Presbyteri Cardinales præsentes, accedentes tamen cum reuerentia, & detectis capitibus: deinde Ordinator stans cum mitra extenta manu super Electum stantem, dicit: *Oremus, dilectissimi, Deum*

patrem omnipotentem, &c. vt in Ordinario: Deinde deposita mitra: *Oremus ministri, flectamus genua, leuate*: & rursum: *Exaudi nos quæsumus Domine.* Et in fine expansis manibus, dicit præfationem: *per omnia secula seculorum.* & vsq; in finem. Deinde deponitur pluuiale Electi, & Ordinator accedens cum mitra, reflectit orarium Electo ante pectus in modum crucis dicens: *Accipe iugum Domini, &c.* & mox imponit illi Casulam ad scapulas, à parte anteriori pendentem, dicens: *Accipe vestem sacerdotalem, &c.* post hæc deposita mitra, Ordinator super Electum dicit: *Deus sanctificationum omnium auctor*: & finita oratione, genuflexus ad altare incipit hymnum, *Veni creator Spiritus*, & similiter Electus genuflexus & dicto primo versu, surgit, & alii prosequuntur, ipse vero Ordinator accedit cum mitra ad Electum sedentem etiam cum mitra, & inungit ei ambas manus de oleo sancto cathecuminum, producens cum pollice suo intincto duas lineas à pollice dextræ manus Electi ad indicem sinistrū; & à pollice sinistro ad indicem dextrum: & mox palmas; & reliqua intus perungit, dicens: *Consecrare, & sanctificare, &c.* Manus Electi ita peruncte vna super alteram imponuntur. Tunc Ordinator detersо aliquantulum digito cum mica panis tradit in manus electi calicem cum vino & aqua, & patenam cum hostia: quæ omnia electus tangit, Ordinatore dicente *Accipe potestatem offerre sa. &c.* Quibus peractis, Electus à sua sede, & Ordinator in suo faldistorio lauabunt manus cum mica panis & aqua Deinde legatur Euangeliū more solito & liber offeretur osculandus Electo. Tum Ordinator dicit, *Dominus vobiscum*, & offertorium: & mox accedet ad Electū sedentem cum mitra: & ipse sine mitra accipiat de eius manibus offertorium, intorticia accensa panem & vinum, vt est moris, & per singula osculatur manum Electi offerentis. Post hæc reuertitur ordinatus ad faldistorium, & iterum tam ipse, quam Electus lauant manus & statim intrant ad altare. Electus accedit ad cornu altaris, vbi dicetur epistola, & Presbytero Cardinale ministrante & seruiente de libro; stans sine mitra, voce submissa omnia dicit cum Ordinatore, & cum ipso cōcelebrat signando, & etiam verba consecrationis cum ipso proferendo, non tamen mouet se loco vsq; ad communionē: & proceditur in missa in omnibus, vt consuetum est, & pro secreta de die, dicitur secreta pro ordinato, sub eodem *per*

Domi-

Dominum. Postquã Ordinator sumpserit sacrã Eucharistiam, & partem sanguinis Christi cum particula corporis, quæ erat intus, communicet Electo stanti in ipso cornu de corpore & sanguine Christi, & postea ambo purificentur cum vino, vt eis placuerit. His peractis, Electus reuertitur ad sedem suam cum mitra, & Ordinator cũ mitra lauat manus, deinde accedẽs ad Electũ, stans sine mitra, dicit super Electum stantẽ sine mitra: Resp. *Iam non dicam vos seruos &c.* Quo finito, Ordinator imponit ambas manus super eius caput dicens: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris &c.* & mox explicat Casulam, quæ in scapulis erat Electi, dicens: *Stola innocentiæ induat te Dominus*. Quibus finitis, imponitur mitra Electo. Et tam ordinator, quam alii Cardinales & Prælati & assistentes recipiuntur ad osculum manus, pedis & oris Electi. Post hæc Ordinator redibit ad altare & perficiet Missam cum oratione pro ordinato & dicto, *Ite missa est*, vel, *Benedicamus Domino*, Electus crucem ante se habens stans sine mitra in medio altaris, benedicet omnibus, dicendo: *Sit nomen Domini benedictum &c* & mox Ordinator accedens versus Electum, tertio genuflexus cum distantia conuenienti ter dicet: *Ad multos annos*: & solus recipietur ad osculum oris: & sic expleta ordinatione exuet se vestibus sacris cum orationibus consuetis.

Et hic modus de benedictione, & ad multos annos seruatur, etiam si ordines acciperet in pluribus diebus sigillatim. Si Electus nullum haberet ordinem, hæc ordinatio condecenter fieri poterit die sabbati, præcedente diem Dominicum consecrationis Episcopalis. Quod si forte electus in Papam esset merus Laicus (nam & Laicus eligi potest, dummodo sit Christianus & catholicus) accipiet primam tonsuram & minores ordines, vt alii inferiores, nisi quod erit indutus cum rochetto & manto post collum & mitra. Et in suo faldistorio recipiet instrumenta ordinum & habitum; & non dicuntur monitiones siue exhortationes, sed a substantialibus incipitur.

Episcopalis consecratio electi in Romanum Pontificem, si prius non erat Episcopus, fieri debet secundum maiorũ nostrorum constitutiones eadem die, qua benedicitur & coronatur. Sed qm̃ nostris tẽporib. breuitatis studio alio die facta est, vt in persona fe. re. Sixti Papæ quarti, qui cum fuit electus, Presbyter tantum erat: primo ponemus ordinem ipsius con-

secrationis Episcopalis sine benedictione & coronatione, deinde consecrationem cum benedictione & coronatione.

Quomodo consecretur in Episcopum.

SI igitur electo placet consecrari ante solemnia coronationis, & priuatim hoc poterit fieri, quando ei placebit, sed conuenientius die Dominico vel festiuo, & fiet hoc modo, Die statuto & in loco ipsi Electo commodo, tam consecrator, quã Electus parabuntur omnibus paramentis Pontificalibus cum Psalmis, *Quam dilecta*, & aliis orationibus consuetis. Electus chirothecas & annulum tantum non accipiet: alia autem omnia. Assistunt ad minus duo vel tres Diaconi, & vnus Presbyter Cardinalis; & cum ipso consecratore, si est Episcopus Cardinalis, vt decet, duo alii Episcopi Cardinales: aliqui Subdiaconi & Acoluthi Apostolici, & Prælati domestici omnes cum paramentis sibi conuenientibus. De Prælatis tamen paratis, præter Cardinales, non est necessarium, sed fiet ex sententia Pontificis. Parentur duæ credentiæ, vna pro Electo, & altera pro consecrante: & vnum altare tantum. Pro Electo paretur sedes ornata in loco competenti: & faldistorium ante altare: pro Consecrante faldistorium consuetum in cornu epistolæ; pro aliis scabella consueta. In credentiis parentur opportuna ad consecrationem & ad celebrationem Missæ, candelabraque cum luminaribus opportunis in altari, & credentia. Paratis omnibus rebus, Electus accedat ad altare, & deposita mitra procumbat super faldistorium. Orabit & surget, & remoto faldistorio, faciet confessionem cum consecratore à sinistra sibi assistente. Finita confessione, Electus cum mitra reuertetur ad sedem suam: consecrator accedet ad altare, osculabitur; incensabit, si placuerit, more solito: & reuersus ad suum faldistorium leget *introitum & Kyrieelei-son*, & alia vsque ad *Alleluia*, siue vltimum versum Tractus exclusiue, & cum oratione diei, dicitur oratio pro Electo, vt supra. Idem faciet Electus in sua sede cum suis assistentibus versus ad altare.

His dictis Electus procumbet cum mitra in faldistorio ante altare, Consecrator ab eius sinistris super aliquo

quo scabello, alij autem in suis scabellis, & per vnum ex Subdiaconis fit litania, nam examinatio antiqua Sanctorum Patrum, & alia præcedentia omittuntur. Cum ventum erit ad locum, vbi dicitur; *Vt hunc Electum*, surgit Consecrator, non tamen cum baculo, & versus ad Electum, tertio dicit, signãs, *vt hunc Electum; &c.* Et alij omnes Episcopi Cardinales, cum suis libris procumbentes, tamen erecta aliquantulum facie idem faciant: finita litania, surgunt omnes, & Electus reuertitur ad sedem suam, & sedet cum mitra. Consecrator venit ante eum, & aliis prætermissis, stans cum mitra simul eum adiuuantibus Episcopis Cardinalibus, imponit librum Euangeliorũ supra ceruicem Electi, sine mitra sedentis; nam tunc mitra ei abstrahitur, quam duo Diaconi retinent vsq; in finem; & Consecrator atq; assistentes Episcopi ponunt ambas manus super caput Electi, dicentes: *Accipe Spiritum sanctum*, quod tamen Consecrator alte dicit, alij submisse, vt alia omnia. si aderunt alij Episcopi parati, poterunt & ipsi manus imponere, & omnia legere, vt Cardinales assistentes. Deinde surgit electus & Diaconi assistentes retinent librum super illius spatulis: Consecrator autem sine mitra dicit super eum orationem: *Propiciare Domine supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ sacerdotalis benedictionis tuæ, in eum infunde virtutem, per Dominũ nostrum Iesum Christum filium tuũ, qui viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.* Deinde voce mediocri extẽsis manibus ante pectus, dicat hãc præfationem. *Per omnia secula seculorum.* Resp. *Amen. Dominus vobiscum*, Resp. *& cum Spiritu tuo. Sursum corda.* Resp. *Habemus ad Dominum, Gratias agamus Domino Deo nostro.* Resp. *Dignum & iustum est. Vere dignum & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbiq; gratias agere. Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honor omnium dignitatum, qua gloria tua sacris famulantur ordinibus. Deus qui per Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu inter cætera cœlestis documẽta cultitiæ, de habitu quoq; indumenti Sacerdotalis instituens, Electum Aaron Mystico amictu vestiri inter sacra iussisti, vt intelligentia sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne erudito doctrinæ tuæ vlli deesset ætati. Cum & apud veteres reuerentiam ipsam sanctificationum species obtineret, & apud nos certiora essent experimẽta rerum, quam ænigmata figurarum, illius namque Sacerdotii*

anterioris habitus noſtra mentis ornatus eſt, & Pontificalem gloriam tam non nobis honor commendat veſtium, ſed ſplendor animarum. Quia & illa, quæ tunc carnalibus blandiebãtur obtutibus, ea potius, quæ in ipſis erant intelligenda poſcebant, & idcirco huic famulo tuo N. quem Apoſtolicæ ſedis præſulẽ, & primatẽ omnium, qui in orbe terrarum ſunt Sacerdotũ, & vniuerſalis Eccleſiæ Doctorẽ dediſti atq; ad ſummũ Sacerdotii miniſterium elegiſti, hãc quæſumus Domine gratiã largiaris, vt quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarũ, & in multimodi operis varietate ſignabãt: hoc in eius moribus actibſq; clareſcat: comple in Sacerdote tuo miniſterii tui ſummã, & ornamenta totius glorificationis inſtructum cœleſtis vnguenti rore ſanctifica. Tunc Conſecrator genuflexus, & ſine mitra verſus ad altare, incipit hymnum. *Veni creator ſpiritus*, & tam Electus, quã alij genuflectunt eodẽ modo; Finito primo verſu, ſurgunt oẽs, & chorus proſequitur hymnum. Interim caput Electi ſedentis in ſua ſede circumligatur pãniculo lineo ſubtili per Diaconum, ne oleum fluat ſuper capillos, ita vt panniculi extremitates retro ſuper ceruicem pendeant. Deinde Conſecrator accedens ad Electũ cum mitra, & intincto pollice dextræ manus, in ſacro Chriſmate ſtans, vngit caput Electi ſedentis, formans primum ſignum Crucis, quo coronam totam amplectatur. Deinde vngat reliquum Coronæ, dicendo: *Vngatur & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione in ordine Pontificali, In nomine Patris † & filii † & Spiritus ſancti. † Amen. Pax tibi: & cum Spiritu tuo*, & abſterſo aliquantulum pollice cum mica panis; depoſita mitra, proſequatur præfationem incipiens: *Hoc Domine copioſe in caput eius influat, hoc in ora ſubiecta decurrat, hoc in totius corporis extrema deſcendat, vt tui Spiritus virtus & interiora eius impleat, & exteriora eius circumtegat: abundet in eo conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis: ſint ſpecioſi munere tuo pedes eius ad euangelizandam pacem, ad euangelizanda bona tua. Da ei Domine miniſterium reconciliationis in verbo, & in factis in virtute ſignorum & prodigiorum, ſit ſermo eius vt prædicatio, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis. Da ei Domine claues regni cœlorum, vt vtatur non vt glorietur poteſtate, quam tribuis in ædificationem non in deſtructionem: quodcumque ligauerit ſuper terram, ſit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſoluerit in terris, ſit ſolutum & in cœlis, quorum*

deti-

detinuerit peccata, detenta sint; & quorum dimiserit, tu dimittas. Qui maledixerit ei, sit ille maledictus; & qui benedixerit, benedictionibus repleatur, sit fidelis seruus & prudens, quem constituas tu Domine super familiam tuam, vt det illi cibum in tempore opportuno, & exhibeat omnem hominem perfectum: sit solicitudine non piger, sit spiritu feruens, oderit superbiam: humilitatem ac veritatem diligat, neque eam vnquam deserat, aut laudibus aut timore superatus: non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem: non dicat malum bonum, neque bonum malum, sit sapientibus & insipientibus debitor, vt fructum de profectu omnium consequatur, Tribuas ei Domine cathedram Pontificalem ad regendam Ecclesiam tuam, & plebem tua sortis intra mundi limites vniuersi; sis ei auctoritas, sis ei potestas, sis ei securitas, multiplica super eum benedictionem & gratiam tuam; vt ad exorandam semper misericordiam tuam, tuo munere idoneus & tua gratia possit esse deuotus, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Resp. *Amen.* Post hæc Consecrator inchoat schola prosequente Antiphonam: *Vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius, mandauit Dominus benedictionem in seculum. Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum, sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Syon, Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in seculum. Gloria patri & filio. Sicut erat, &c* Deinde repetatur Antiphona: *Vnguentum in capite.* Interim imponitur mappula ad collum Electi sedentis, supra quam imponit postea manus, & Consecrator inungit illi manus cum sacro Chrismate, vt fit aliis Episcopis, dicens: *Vngantur manus ista de loco sanctificato, & Chrismate sanctificationis, sicut vnxit Samuel Dauid Regem & Prophetam, ita vngantur & confirmentur. In nomine Dei Patris † & Filii † & Spiritus sancti † facientes imaginem sanctæ Crucis Saluatoris nostri, qua nos à morte redemit, & ad regna cœlorum perduxit. Exaudi nos pie pater omnipotens æterne Deus, vt quod te rogamus, exoremus per Christum Dominum nostrum, amen Oremus. Deus pater Domini nostri Iesu Christi, qui te ad Pontifica-*

tus ſublimari voluit dignitatem, ipſe, qui per Samuelem Dauid in Regem, & Prophetam inunxit, te noſtro miniſterio chriſmate & myſtica delibationis liquore perfundat, & ſpiritualis bene† dictionis vbertate fœcundet, vt quicquid benedixeris, benedicatur, & quicquid ſanctificaueris, ſanctificetur, & conſecrata manus iſta; per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

Electus manus inunctas, ſimul iunctas in mappula pendenti à collo reponit, baculus non datur, ſed mox conſecrator depoſita mitra, benedicit annulũ precioſum, imponendo Electo, dicẽs: *Creator & Conſeruator humani generis, Dator gratiæ ſpiritualis, largitor æternæ ſalutis, tu Domine emitte tuam bene† dictionẽ ſuper hunc annulũ, vt quicumq; hoc ſacro ſancto fidei ſigno inſignitus inceſſerit in virtute cœleſtis defenſionis, ad æternam ſibi proficiat ſalutem, per Chriſtum Dominũ noſtrum, Amen.* Elect⁹ etiam ſurgit, tum dicitur oratiõ, annulũ ipſum interea tenet manu dextra aliquis Acoluthus, ante Conſecratorem genuflexus. Conſecrator dicta oratione, aſpergit annulum aqua benedicta, & illũ imponit in digito annulari dextrę manus Electi ſedentis, dicens: *Accipe annulum fidei ſcilicet ſignaculum, quatenus ſponſam Dei, Sanctam videlicet Eccleſiam, intemerata fide ornatus illibate cuſtodias, Amen.* Et dum imponit, oſculatur manum Electi, deinde adiuuantibus Epiſcopis aſſiſtentibus, librum Euangeliorũ ab eius ſpatulis remouens, dat ad manus Electi ſedẽtis, dicens: *Accipe Euangelium, & vade prædica populo tibi commiſſo. potens eſt enim Deus augere tibi gratiam ſuam. Qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorũ, Amen.* His peractis, Conſecrator redit ad ſuum Faldiſtorium, & lauat manus: Electo autem ſedenti in ſua ſede, Diaconus Cardinalis tergit caput cum medulla panis diligẽter, & cum panno mundo, deinde cum pectine mundat, & componit capillos, & imponit illi mitram, & tunc Electus lauat manus cum mica panis, & bene mundat. Quibus finitis, tam Conſecrator, quam alij omnes Cardinales præſentes oſculantur pedes, manum & os Domini Electi, alij autẽ Prælati parati pedẽ & manum, alij inferiores pedem tantum. Et mox Conſecrator proſequitur miſſam vſq; ad lectum offertorium. Et idẽ facit electus Pontifex in ſua ſede ſtans. dicto offertorio, Conſecrator accedit ad Electum ſine mitra, & de eius manu accipit offertorium. Intorticia panes & vini vaſa duo; & ad vnũ quodq;

iſtorum

istorum osculatur manum Electi, cum reuertitur ad suũ faldistoriũ, & lauat manus tam ipse q̃ electus, & intrat ad altare & similiter D. Electus accedit ad altare, & ponit se ad cornu epistolæ, Presbytero Cardinale ministrante librũ, & ibi sine mitra simul cum Consecratore celebrabit signando, & omnia dicendo submissa voce, vt consecrator; nõ tamen se loco mouebit vsq; ad cõmunionem, q̃ sumet sub vtraq; specie, stans in ipso cornu aliquantulũ procedens inclinatus. finita missa non imponuntur chirothecæ, neq; mitra, quam habet cum illis benedictionib. consuetis, neq; intronizatur Electus, sed stans in medio altaris sine mitra, habens ante se crucem, populum benedicit, dicens: *Sit nomen Domini benedictum.* Et resumpta mitra, vadit ad sedem suam, & sedet, & tunc Consecrator accedit versus Dominum electum, & tertio genuflectens, dicet: *Ad multos annos*, vt dictum est, in Presbytero. Et omnes deinde exuunt se sacris vestibus cum orationibus consuetis.

Consecratio, Benedictio & Coronatio simul Romani Pontificis.

QVod si electus in Romanum Pontificem, voluerit eadem die consecrari Episcopus, benedici, & coronari, vt à superioribus Pontificibus plerumq; seruatũ est, ita procedendum erit. Sed eadem seruantur etiam in Electo, qui prius erat Episcopus benedicendo & coronando, vsq; ad sequens capitulum, vbi incipit, *cantores.* Primo ordinabuntur omnia ad huiusmodi solennitatem opportuna. Infra scripta etiam seruantur in coronatione, & consecratione Episcopali conuenienti tempore, quæ ex lectione huius ordinationis facile colligi poterunt. Et tandem constituto die Dominico, Pontifex è cubili summo mane ad cameram paramenti, q̃ *Papagalli* appellant, egreditur, ibi à Diaconis Cardinalibus, Subdiaconis, Acoluthis & aliis Officialibus consuetis paratur amictu albo, & longo cingulo, stola, pluuiali rubeo, & mitra pretiosa. Cardinales alij circumsistunt, & omnes Prælati & officiales cũ suis cappis laneis. Sic Electus Pontifex paratus, cruce præcedente progreditur ad sanctum Petrũ ordine alias consueto: Diaconis Cardinalib. hinc, & inde fimbrias pluuialis sustinentibus. Caudam autẽ pluuialis portabit nobilior laicus, qui erit in curia, etiã si esset Imperator, vel Rex: supra eum octo Nobiles

sue Oratores portant vmbellam hastilibus octo sustẽtatam, quam hodie *baldachinum* appellant; ante eum duo seruientes armorum portant faldistorium cum magno cussino: forerius tapetum, & paruum scabellum & cussinum.

Cum Papa electus peruenerit ad portam vltimam palatij, quæ est in capite porticus Ecclesiæ sancti Petri, in palatio apud portam extenditur tapetum ponitur faldistoriũ, & super illud cussinum magnum, & ad pedes paruũ scabellum: & sedens ibi electus recipit ad osculum pedis Canonicos, & capitulum Basilicæ sancti Petri Deinde surgens intrat Ecclesiam per portã, quæ est in medio: & progressus vsq; ad secundum circulum porphyreticum, detracta mitra orat versus ad altare supra faldistoriũ à supradictis ibi paratum: & tunc supra scabellum paruum ponitur paruꝰ cussinus. Facta ratione surgit, reassumit mitram, & pergit ad capellã S. Gregorij, & sedẽs in sede sibi parata recipit oẽs Cardinales, & alios Prælatos cum suis cappis ad reuerentiã: Cardinales ad manꝰ sub auri Phrygio: Prælatos ad pedis osculũ. Tunc surgẽs sine mitra astante cruce populo benedicit dicẽs *Sit nomen Domini, &c.* Subdiaconus dicturus Epistolam deposita cruce post benedictionẽ capit omnia sua paramenta: & simul cum eo Acoluthi exuũt cappas, & induunt superpelliciа super rochetũ ad partẽ se retrahentes: sedet deinde electus aliquantulũ cum mitra: & iterũ surgens sine mitra versus ad altare sub silentio dicit, *Pater noster, &c.* Tum alte incipit ꝓ tertia, *Deus in adiutorium, &c.* & sic stat quousq; incipiatur Psalmus, *Legem pone*: inde sedet cum mitra, & assistentibus Episcopis cum libro: ac iuuantib. hinc inde Diaconis, vt moris est, incipit Psalmũ. *Quam dilecta.* Interim Subdiaconus Apostolicus lecturus epistolã, vt diximus, paratus omnib. suis paramẽtis ex altari, subministrante Sacrista, accipit sandalia, q̃ reuerenter portantur ad electũ, sequentibus illũ Acoluthis cum superpelliciis, & ea simul cum cubiculario cameræ imponit pedibus suæ sanctitatis; Acoluthis circumcirca fimbrias pluuialis eleuantibus supra illorũ capita. Impositis sandaliis, Diaconꝰ lecturus Euangeliũ cum duobus aliis Diaconis, qui assistent Papæ, capiunt paramenta sua, ille amictum album, cingulum, stolã, dalmaticam, manipulum vero postea capiet in altari. Alij vero duo capient amictũ, & dalmaticas tantum Induti reuerẽter simul ad electum accedent; qui finitis Psalmis, cum dicitur capitulum pro tertia

na surgit cū mitra:& finitis versiculis,depositā mitra,& astantibus duobus Ceroferariis dicit, *Dominus vobiscum*, & orationē pro tertia.librum,prior Episcoporum Cardinalium,qui ei assistere debet,sustinet supra caput: Episcopi vero assistentes iuuant,& tenent candelam accensam,dicto, *Dominus vobiscum*. post orationem liber remouetur, Ceroferarij discedunt,& dicto à cantoribus,*Benedicamus Domino*,Papa sedet cum mitra,& lauat manus, Episcopo Cardinali adiuuante,& reliqua,vt alias. Lotis manibus,Episcopus Cardinalis redit ad locū suum,& Papa deponit mitrā, pluuiale, & stolam; & Diacono lecturo Euangeliū ante se stante, induitur consuetis paramentis, q̄ per Acoluthos hoc ordine portantur ex altari, & ipsi Diacono porriguntur.duo Diaconi assistētes, & post eos duo Subdiaconi,adiuuāt vestientem. Primū portatur cingulū cum succinctorio,Crux pastoralis,dein stola,tunicella, dalmatica,chirotheca,planeta,mitra auri Phrygiata,annulus autem non datur si non est consecratus Episcopus; quem, si esset consecratus, Cardinalis Episcopus assistens imponeret.

In consecrationibus vtuntur hodiernis temporibus albis paramentis, quamuis antiqui secūdum temporis exigentiam colore vterentur. Sed conueniens est, vt vtamur secundum quod exigit missa, quæ celebratur. In processione autem erunt omnino albi coloris. Cum electus Papa incipit parari, Cardinales,& omnes Prelati,atque Officiales parantur. Episcopi Cardinales,Patriarchæ, Archiepiscopi,Episcopi,Abbates,pluuialibus,& albis mitris, presbyteri, Cardinales planetis,& mitris similibus Diaconi,Cardinales dalmaticis & mitris albis, Subdiaconi omnes tunicellis Auditores & Clerici cameræ superciliis supra rocheta: Secretarij & Aduocati super vestes communes habeant pluuiale cum apertura super humerum dextrum,& Almucia super sinistrum: alii,vt alias.

Consecratio Romani Pontificis secundū antiquas Patrum constitutiones spectare solebat ad Episcopū Hostiensem qui ēt pallio in ea consecratione vtebatur:assistebant ei Portuen. & Albanēsis Episcopi,& hi tres in benedictione Pōtificis quādo alias esset cōsecratus, tres speciales orationes super eū dicebāt. Idē agebāt in coronatione Romani Imperatoris. Sed (vt arbitror)ad tollēdas cōtētiones, iā pridē introductū est, vt prior Episcoporū Cardinaliū,cū duob. ex seniorib. Episcopis id munꝰ obire debeāt & in Pōtifice, & in Cæsare:sicq; nostris tē-

poribus seruari videmus; vt non habeatur ratio Ecclesiarum, sed prioritatis Episcopalis. Consecratio nostris tẽporibus nõ accidit nisi in Sixto quarto, quæ tunc fuit facta secrete, & per dominũ Rothomagen. qui erat Episcopus Hostiensis, & non prior; sed non publicum. Prior igitur Episcoporum Cardinalium, siue alius, quisquis ille sit, qui Electũ Pontificẽ est consecraturus, procedat ad altare maius S. Petri: ibiq; ad partem capiat sandalia, & paramenta omnia Pontificalia ac si celebraturus esset cum psalmis, & orationibus consuetis, ibique expectet Pontificem. Interim Pontifici assistet subprior Episcopum Cardinalium.

Paratis omnibus ordinibus Pontifex incensum mittet in turibulo, & prior Diaconorum cum ferula processionẽ ad altare maius ordinabit hoc modo: Familiares Papæ, minores Nobiles, Cubicularij, Nobiles maiores & Barones, Conseruatores & Oratores laici, & non Prælati, Secretarij & Aduocati mixtim, ita vt duo antiquiores ex vtroq; ordine sint in digniori loco, Acoluthi, Clerici, Camerę Auditores, Acoluthus turiferarius, Acoluthi ceroferarij: qui septẽ numero esse deberent, Subdiaconus cum cruce Papali, & aliis Subdiaconis: Subdiaconi duo Latini, & Græcus cum libris Euangeliorũ; Diaconus Græcus, Et nota quod pro Epistola & Euãgelio in ligua Greça solebãt vocari in hac celebritate monachi ex monasterio Cryptæ ferratæ. Deinde Abbates forenses, Episcopi, Archiepiscopi, Oratores, Prælati, Abbates vrbis, qui in hoc die sunt priuilegiati, Episcopi assistẽtes Papę, Patriarchę, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi Cardinales. Diaconi duo assistẽtes: & inter eos medius Diaconus lecturus Euangeliũ: demũ ipse Pontifex qui si pedibus suis incedet, Ipsi Diaconi assistentes fimbrias pluuialis portabunt; & maior Princeps caudam: octo nobiles, seu Oratores baldachinum supra eius caput ferent. Deinde sequetur Auditor, qui mitram ministrat, medius inter duos cubiculares secretos, & inter eos est secretarius Papæ, si non est Prælatus, Deinde Protonotarij & curiales clerici non parati. Ante Pontificem immediate minister cerimoniarum præcedit cum duabus arundinibus, super alterã stuppam, super alteram vero candelam ardentem portãs. Et cum Pontifex capellam sancti Gregorij exierit, Cerimoniarius ad eum conuersus ignẽ stuppæ mittit, & genuflexus alta voce dicit: *Pater sancte, sic transit gloria mundi*, quod tertio facit distincto

ſtincto æquali ſpacio, antequã perueniant ad portam capellę. Procedũt deinde oẽs per nauim ipſi⁹ capellæ ſancti Gregorij, vbi ſepulchra ſunt Romanorum Pontificum; & cum illam exierint, flectunt ad dextram: & per portam, quæ eſt ante altare ingrediuntur capellam, & aſcendunt etiam ad dexteram antequam Papa cancellos capellæ intret. Tres vltimi presbyteri Cardinales veniunt ei obuiam: & oſculantur os & pectus Pontificis à ſeniori incipientes: deinde ante Diaconos aſſiſtentes procedunt. Cum autem peruentum fuerit ad altare, Pontifex depoſita mitra facit orationem ſuper faldiſtorium, deinde ſurgens, remoto faldiſtorio, facit confeſſionem more ſolito: ſtans hoc ordine. A Pontificis dextera ſtat Epiſcopus Cardinalis, conſecrator, vel aſſiſtens ſi non eſt conſecrator, & poſt eum Diaconus Cardinalis aſſiſtens: à ſiniſtris ſtat Diaconus Cardinalis lecturus Euangelium, & poſt eum Diaconus Cardinalis aſſiſtens: poſt quem genu flexus manet Subdiaconus Latinus cum libro Euangeliorũ, & manipulo Pontificis, quem illi imponit dicto Indulgentiam &c. Interim cantores cantant Introitũ miſſæ, & Kyrieeleiſon. Et hęc quidem ſupra dicta circa deſcenſum ex palatio ad Eccleſiam, & quæ in capella ſancti Gregorii & vſq; ad factam confeſſionem ſuperius dicta ſunt, præterquam de parando Conſecrante, ſeruantur etiam quando electus Epiſcopus non eſt conſecrandus, ſed benedicendus, & coronandus tantum. Nunc de ipſa conſecratione ſubiungemus.

Hoc totum Caput prætermittitur, ſi Papa erat prius Epiſcopus conſecratus; in eo namque Conſecratio Epiſcopalis continetur.

CAntores, vt finierint Kyrieeleiſon, quieſcent. Electus procumbet ſuper faldiſtoriũ ante altare; ad eius dextram Conſecrator, & ad ſiniſtram Diaconus Euangelii ſuper ſcabella, Diaconi aſſiſtentes poſt Pontificem duo Epiſcopi, Cardinales ſeniores hinc inde ſuper ſcabella; alii omnes, vt commodum erit, genuflexi procumbent omnes cum mitris in capite: & Diaconus Euangelii incipiet ſine mitra Litaniam, & omnes reſpondent replicando. Cum peruentum fuerit ad lo-

cum vbi dicitur, *Vt hunc electum*, & etiam tertio dicitur ab eodem Diacono, & tam consecrator quam omnes alii in Episcopali dignitate constituti præsentes, & parati erecto capite & extensa dextra, non tamē mouentes se de locis suis benedicunt consecrandum tertio, vt in ordinario, Finita Litania omnes surgunt: & Consecrator stat ad infimum gradum sedis Papalis, vertens faciem ad altare, medius inter duos seniores Episcopos Cardinales, qui etiam stolam habere debent, & librum Electus Pontifex ante eum stabit medius inter assistentes Diaconos, vertens faciem suam ad faciem Consecrantis. Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, qui aderunt parati cum suis libris omnes accedent, & circuluni facient, & omnia cum Consecratore dicent, voce tamen submissa, depositis mitris, & omnibus stantibus. Episcopus Cardinalis à sinistris super Pontificem dicit hanc orationem; *Oremus, adesto supplicationibus nostris omnipotens Deus, vt quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis compleatur effectu.* Deinde Episcopus Consecrator dicit orationem cum nota *Oremus. Propiciare quæsumus domine supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum cornu sacerdotalis gratiæ benedictionis tuæ infunde in eum virtutem, per dominum nostrum &c.* qua finita vsque, *in vnitate Spiritus sancti Deus*, ponit librum Euangeliorum apertum inter ceruicem, & spatulas electi: quem Diaconi, Cardinales retinent vsq; ad finem, & tam Consecrator, quam alii duo Episcopi, Cardinales ponunt primo manus super eius caput nihil dicentes, & similiter faciunt omnes præsentes parati in Episcopatus ordine constituti. Consecrator autem extensis manibus dicit præfationem consuetam: *Per omnia secula seculorum &c. Honor omnium dignitatum*, vt supra notauimus, quum electus Papa consecratur alio die, quam isto. Et vngit Electi caput, deinde manus. Tum imponit ei annulum, & demum dat ei librum Euangeliorum, & tandem ambo lauantur, & mundantur, vt diximus plene in eodem loco. Pontifex sedet in faldistorio sibi parato in plano inter sedem eminentem, & altare dum lauat Consecrator in alio loco sibi commodo, & lotus deponit paramenta Pontificalia, & cum pluuiali, ac mitra assistit Pontifici, vt prius. His finitis non dicuntur illæ tres orationes, quæ dici solent, quando electus non consecratur, quia erat Episcopus Sed mox mundatis manibus, & capite ducitur ante altare, & de

re,& de manu prioris diaconorum accipit pallium de corpore,& altari beati Petri sumptum,vt inferius dicemus. Et quidem omnia ab eo loco vbi incipit. Cantores, vt finierint Kyrieeleison,quiescant.

Si Electus Pontifex iam Episcopus est tantum benedicendus,& coronandus hac die;hoc modo proceditur.

Seruatis omnibus,quæ supra diximus, vsque ad cantatum introitum, & Kyrieeleison, Papa facta confessione accipit immediate mitram,& sedet in sede, siue faldistorio sibi parato, inter sedem eminentem & altare, & tres primi Episcopi accedunt ad Pontificem,& faciem ante illius faciem tenentes sine mitra, illorum iunior super Pontificem stantem sine mitra ipse in medio duorum stans primam dicit orationem videlicet: *Deus qui adesse non dedignaris,vbicunque deuota mente inuocaris, adesto quæsumus inuocationibus nostris, & huic famulo tuo N. quem ad culmen Apostolicum inditium tua plebis elegisti,vbertatem superna benedictionis infunde, vt sentiat se tuo munere,ad hunc apicem peruenisse.* Secundam dicit immediate secundus Episcopus Cardinalis, stans & ipse in medio videlicet: *Supplicationibus nostris omnipotens Deus effectum consuetæ pietatis impende: & gratia Spiritus sancti famulum tuum N. perfunde, vt qui in capite Ecclesiarum nostræ seruitutis ministerio constituitur, tua virtutis soliditate roboretur.* Et tertiam antiquior,id est prior Episcoporum Cardinalium in eodem loco stans,videlicet: *Deus qui Apostolum tuum Petrum inter cæteros Apostolos primatum tenere voluisti, eique vniuersæ Christianitatis molem super humeros imposuisti: respice quæsumus propicius hunc famulum tuum N. quem de humili Cathedra violenter sublimatum in thronum eiusdem Apostolorum principis sublimamus: vt sicut profectibus tantæ dignitatis augetur,ita virtutum meritis cumuletur, quatenus Ecclesiastica vniuersitatis onus de adiuuante digne ferat,& à te qui es beatitudo tuorum vicem meritam recipiat, per Christum dominum nostrum. Amen.*

Dictis orationibus, Papa etiam sine mitra accedit ad altare, & prior Diaconorum secundo adiuuante capit pallium de altari: & imponit Pontifici, & dicit: *Accipe Pallium, sanctam plenitudinem Pontificalis officii ad honorem omnipotentis Dei: gloriosissimæ virginis Mariæ eius*

Matris; beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Et firmat cum spinulis.

Accepto pallio, Pontifex accedit ad altare sine mitra, illud osculatur primum, & deinde librum Euangeliorum, quem Subdiaconus à sinistra parte offert; imponit incensum in turibulo: Diacono Euangelii offerente nauiculam, incensat altare more solito, & accepta mitra in cornu altaris stans, à Diacono incensatur: & in os recipit Diaconus tunc osculum, vt alias, sed ascendit ad Cathedram eminentem, & sedens recipit ad reuerentiam Cardinales & Prælatos omnes paratos. Cardinales ad osculũ pedis, manus & oris: alios paratos, ad osculum pedis & manus. Finita reuerentia surgit Papa sine mitra: & legit introitum & Kyrieeleison sustinente librum Cardinali Episcopo, cum aliis assistentibus. Deinde in voce dicit: *Gloria in excelsis Deo. Pax vobis*, & orationes opportunas, videlicet de die, & de Spiritu sancto: & vltimo dicit secrete orationem pro se, quæ habetur in consecratione Episcoporum

Dictis orationibus, sedet Pontifex, & prior Diaconorum cum ferula: descendit ad confessionem beati Petri cum Subdiaconis, auditoribus, Scriniaribus (id est) Secretariis, & aduocatis, quibus in duas acies distributis, ita vt in qualibet acie sint ex omniũ ordine, faciunt laudes Pontifici stantes capitibus detectis. Papa & omnibus aliis sedentibus in locis suis, prior Diaconorum incipit solus alta voce quasi legendo; *Exaudi Christe*, Subdiaconi, Auditores, Scriniarii, & Aduocati respondent, *Domino nostro Innocentio à Deo decreto summo Pontifici, & vniuersali Papæ vita*. Et sic tertio dicitur per Priorem, & totiens per illos respondetur. Subsequenter idem prior diaconorum dicet: *Saluator mundi*, & illi respondebunt: *Tu illum adiuua*, & sic ter dicetur & ter respondebitur. Deinde idem Prior dicit: *Sancta Maria*, & illi respondebunt: *Tu illum adiuua*, & bis dicetur & bis respondebitur. Inde Prior idem subiunget; *Sancte Michael*, & illi respondebunt, *Tu illum adiuua*. Et tunc deinceps semel dicetur, & semel respondebitur, sequitur Prior.

Sancte



Finitis laudibus, dicitur epistola Latine, & deinde Græce, & proceditur in missa, vt alias, vsq; ad finem, Datur benedictio: Sed non publicantur tunc indulgentiæ. Sacris missarum solemniis rite peractis, proceditur ad coronationem. Pontifex reassumptis chirothecis, & annulis, cum omnibus paramentis suis, in quibus celebrauerat, & cum Cardinalibus, Prælatis, & Officialibus omnibus, vt in missa paratis, procedit ad suggestum supra gradus basilicæ Apostolorum Principis ex materia constructum, & ornatum: ibique in sede eminenti sibi parata sedet, & cum omnes Prælati conuenerint, & populus ex basilica in Aream exierit, Diaconus à siniſtris deponit mitram consuetam è capite Pontificis, & Diaconus à dextris tiaram, quod Regnum appellant, & triplici corona ornatum, Pontificis capiti imponit, populo acclamante *Kyrieeleison*. Et Diaconus à dextris Latine, à siniſtris vero vulgariter publicant plenarias indulgentias. tum paratur processio ad Lateranum.

Sed quoniam plerumque, antequam hæc completa sint, hora est satis tarda, & longa ad Lateranum restat via, multaque ibi adhuc sunt peragenda: consueuerunt aliquando Pontifices, & Patres sustentationis gratia aliquantulum cibi sumere paratur refectio in atrio domus Archipresbyteri basilicæ pro Pontifice & Cardinalibus: pro aliis Prælatis in vicinis domibus Canonicorum. Coronato Pontifice veniunt ad

refectionem,& interim parantur, quæ ad processionem sunt opportuna. Sumpta refectione Pontifex & omnes descendunt ad equitandum, & hoc ordine proceditur ad Lateranum. Primi incedent Valsarii Cardinalium suo ordine, & deinde eorum familiæ & omnes laici mixtim, vt eis placuerit. Tum per ordinem isti sequentur, tonsor & sartor Papæ cum valisiis rubeis, in quibus sunt vestes, quæ pertinent ad sanctissimum dominum nostrum Familiares & scutiferi Papæ; nobiles curiæ minores; & nepotes affinesque dominorum Cardinalium, scala Papæ panno rubeo cooperta, quam portat equus albus ductus per vnum ex Parafrenariis purpurea veste indutum.

Qui, postquam Papa ascendit equum, cum ista scala vadit in ordine suo: dextra equi habenas, sinistra rubrum ferens baculum: Hunc sequuntur duodecim cursores Papæ, etiam rubris vestibus induti, equestres, portantes duodecim vexilla rubra bini & bini, Inde tredecim vexilliferi capitum regionum vrbis cum suis vexillis cherubin aliquanto maioribus aliis vexillis, etiam vestibus rubris, & equestres omnes vexilliferi. Tum Vexillifer populi Romani cum vexillo, & insignis populi Romani Deinde vexillum album cum cruce nigra, quod portat Procurator ordinis beatæ Mariæ Teutonicorum: vexillum cum armis Papæ quod aliquis magnus nobilis portat: & demum vexillum ordinis Hierosolymitani, rubrum cum alba cruce, quod Procurator eius portat. Isti quinque Vexilliferi habebunt equos cataphractos, siue bardatos, & coopertos tela serica vsque ad talos equorum, cum insignibus suis. Ipsi autem erunt armati, ac si prælium essent ingressuri, dempta galea, cum lacernis ex tela etiam sericea cum insigni: & singuli Vexilliferi habebunt quatuor Pedites cum lacernis bocatinis cum insignibus dominorum. Hunc ordinem Vexillorum inueni seruatum. Sed mihi non placet, neque videtur debitus ordo; nam non honoramus signum, nec signi figuram, sed signati dignitatem. vnde ponimus vexillum ciuitatis, in qua est Pontifex, in principio, vt minus dignum, deinde vexillum ordinis beatæ Mariæ Teutonicorum, in quo est Crux nigra in albo. Tum vexillum Papæ, inde vexillum Ecclesiæ, & bene hactenus. Demum in loco honorabiliori vexillum ordinis militaris Hierosolimitani cum alba cruce in rubro; quod mihi videtur præter omnem

omnem conuenientiam. nam signum crucis albæ in rubro non est signum vniuersitatis Christianorum; sed illius tantum ordinis militaris; sicut & nigra in albo, alterius ordinis est signum. Vniuersitatis autem Christianæ signum est crux rubra in albo. Ergo vexillum ordinis Hierosolimitani non est præferendum signo Papæ, aut signo Ecclesiæ: locus igitur suus esset post vexillum ordinis Theutonicorum, & non post omnes. Si autem adesset vexillum cruciatæ, crux rubra in albo, quia est vniuersale omnium Christianorum; illud iure optimo ponendum esset in loco digniori, Post vexilla procedunt duodecim equi albi sine sessoribus phaleris aureis in stratis carmasinis ornati, quos duodecim Parafrenarii ducunt rubra veste induti, & baculum rubrum in sinistra portantes. hos sequuntur quatuor nobiles, pilea quatuor carmasina supra baculos quosdam deferentes, qui scutiferi honorarii vocantur. Cubicularii deinde sequuntur equitantes in suo habitu, Oratores laici, & non Prælati, simul cum Baronibus & maioribus nobilibus. Tum Subdiaconus Apostolicus cum cruce Papali, & suis collegis parati, vt in missa, & apud crucem duo magistri ostiarii cum suis virgis. Post hos duodecim familiares Papæ rubra veste induti portantes duodecim intorticia accensa ante sacramentum corporis Christi pedites: inde duo familiares Sacristæ equestres etiam rubro induti portantes laternas argenteas cum lumine ante sacramentum. Et post eos ducitur per familiarem Sacristæ rubro etiam indutum, & baculum in sinistra habentem equus albus, mansuetus, ornatus, vt illi duodecim, portans sacramentum, habens ad collum tintinnabulum bene tinniens. Et supra portatur baldachinum cum insignibus Papæ & sacramento, per ciues Romanos qui inter se mutantur terdecies, vt vna quæque regio habeat suam partem. Post sacramentum equitat immediate Sacrista: qui vt cæteri Prælati, habet equum totum coopertum bocasino, & ipse & omnes alii parati sunt, vt in missa, cum paramentis, & mitris. Sacrista in manu gestat album baculum. Sequuntur deinde duo Præfecti nauales, & in eorum absentia duo nobiles induti, vt Aduocati & Secretarii, & Aduocati cum Almuciis. Cantores deinde equitant cum superpelliciis. Tum Acoluthi, Clerici cameræ, & Auditores cum superpelliciis supra rochetum: Subdiaconus Græcus, & Latinus, & Diaconus Græcus, vt in missa.

Sequuntur dehinc Prælati cum equis coopertis & ipsi cum mitra,& pluuiali: Abbates forenses, Episcopi, Archiepiscopi, Abbates vrbis, Episcopi assistentes Papæ, Patriarchæ, Diaconi cum dalmaticis, Presbyteri cum planetis, Episcopi Cardinales cum pluuialibus, procedunt duo Diaconi assistentes Papæ,& inter eos medius prior Diaconorum, si ipse dixit Euangelium, prior Diaconorum ferulam in manu portare debet & totam processionem ordinare, & illa ordinata equitare in loco suo. Procedit tandem summus Pontifex super equum album phaleratum, coopertum à parte posteriori stragiola carmesina sub baldachino, quod octo magni nobiles, siue oratores portant. Cum Papa per scalam, quam superius diximus, ascendit equum, maior Princeps qui præsens adest (etiam si Rex esset, aut Imperator) stapham equi Papalis tenet,& deinde ducit equum per frenum aliquantulum. Si Imperator, aut Rex soli essent, id est, non esset alius Rex, soli equum ducerent cum dextra manu, Sin vero esset alius Rex, dignior à dextra, alius à sinistra frenum tenerent. Si non sint Reges digniores, ducant equum. Et postquam Imperator, Rex, siue alius magnus Princeps aliquantulum equum duxerit, substituantur alii duo magni nobiles eorum loco & mutentur. Si vero Pontifex non equo, sed sella veheretur, quatuor maiores Principes (etiam si inter eos Imperator, aut quiuis maximus princeps adesset) in honorē Saluatoris Iesu Christi, sellam ipsam cum Pontifice humeris suis portare aliquantulum debent. Sed aderunt etiam quatuor validi Pontificis familiares, qui pondus sustinent; Ita vt Principes ipsi in signum pię religionis, ac reuerentiæ magis, quam ad onus subeundum manus appositisse videantur: qui etiam mutabuntur pro hominum, & itineris dispositione. Similiter & octo nobiles, qui Baldachinum super caput Pontificis ferunt, mutabuntur post aliquod spacium, & equos suos ascendētes in ordine suo equitabunt: eorum loco nobiles ciues Romani vsq; ad Lateranum Baldachinum portabunt, mutabunturque per vices, sicut de Baldachino sacramenti diximus. Ante Pontificem conseruatores, capita regionum, & alii magistratus, ac nobiles vrbis pedites præibunt, & Prætoriani milites cum eis, accincti ensibus, circiter centum; & Baculum in manib. portantes ad custodiam corporis Pontificis. Circa Pontificem, aliquando ante, aliquando post equitabit Marescallus, siue

Soldanus

Soldanus curiæ, cum duobus sacculis pecuniarum ante sellam: & ipsas pecunias proiiciet super populum ad pressuram dimouendam, vt infra dicemus. Primum iactum pecuniarum faciet, cum Pontifex incipiet se mouere: alium apud pontem Hadriani; tum in Area apud montem Iordanum; Inde in Area Parionis, deinde alium apud sanctum Marcum; postea apud sanctum Hadrianum, & demum vbicumque magnam pressuram apud Pontificem viderit: & vt facilius possit pertransire ad partem transuersam iaciat pecunias. Post Pontificem immediate sequuntur duo Cubicularii secreti, medium tenentes Auditorem rotæ decanum, qui seruit de mitra: Et deinde duo medici cum Secretario principali in medio, si ille non est Prælatus. Subsequitur deinde vmbella rubri coloris, quam vnus seruiens armorum, præter galeam totus armatus, eques portat. Postremo equitant Vicecamerarius: si non est paratus, & omnes Prælati non parati, Protonotarii, Auditor contradictorum, si non sit paratus, & similiter Corrector literarum: qui si sint parati, equitant in loco promotionis, & omnes togati: Vicecamerarius baculum in manu portat, & pertinet ad eum curare, vt ordo à priore Diaconorum datus seruetur in processione. Et secundum antiquas consuetudines, Camerarius Papæ non portat ferulam, si est Cardinalis, sed eius Vicarius, & Vicecamerarius: quia non ad Cardinalem, sed ad Camerarium id pertinet. Hoc igitur ordine ad Lateranum procedunt. Cum Pontifex peruenerit ad montem Iordanum, Iudæi illi obuiam veniunt, genuflexi legem Pontifici offerunt, lingua Hebraica legem laudantes, & hortantes Pontificem, vt illam veneretur, Pontifex vero illis auditis, in hanc sententiam respondet: *Sanctam legem, viri Hebræi, & laudamus, & veneramur, vtpote quæ ab omnipotenti Deo per manus Moysi patribus vestris tradita est: obseruantiam vero vestram, & vanam interpretationem damnamus, atque improbamus, quia Saluatorem quem adhuc frustra expectatis, Apostolica fides iam pridem aduenisse docet, & prædicat dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.* Sed quoniam nonnunquam accidit, vt Iudæi, populi multitudine opprimantur, solent aliquando impetrare pro eorum securitate, vt hoc faciant super antemurali arcis sancti Angeli in angulo ad viam, qua itur ad palatium.

Cum Pontifex ad Ecclesiam Lateranensem peruenerit, descendit in porticum Ecclesiæ, & à Canonicis illius Ecclesiæ honorifice paratis, excipitur cum cruce. Descendit Pontifex ex equo; prior Canonicorum Lateranensium offert crucem osculandam Pontifici, quam Diaconus Cardinalis accipit, & ad os Pontifici, cui prius Tiaram extraxit, ponit : osculata Cruce Pontifici ponitur mitra, & regnum datur in manibus auditoris: ipse vero Pontifex à priore, & canonicis prædictis ducitur ad marmoream sedem, ante portam principalem à sinistra stantem, quæ *Stercoraria* appellatur, & ibi eum sedere faciunt; qui ita tamen sedet, vt magis iacere videatur, ad quem mox accedentes Cardinales eleuant eum honorifice, dicentes; *Suscitat de puluere egenum, & de stercore erigit pauperẽ, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* Surgens Pontifex accipit de gremio Camerarii sibi assistentis, quantum pugno potest complecti pecuniarum, vbi tamen nihil prorsus sit argenti, aut auri : & spargit inter populum dicens : *Argentum & aurum non est mihi : quod autem habeo hoc tibi do.* Pons ligneus recta linea à porta Ecclesiæ principali ad altare maius excitatur, cum pluteis hinc inde pectoribus tenus altitudo circiter quinque pedum, latitudo sex, aut septem qui altero ponti coniungitur simili modo constructo à porta, qua ascenditur per Ecclesiam ad sancta Sanctorum venienti : quod fit vt Pontifex à populi multitudine non opprimatur. Circa altare à gradibus, & supra omnia circumcirca tabulis clausa esse debent, vt per pontem tantum capellam intrent. Præcedentibus igitur Canonicis & cantantibus, *Te Deum laudamus* : Pontifex cum Cardinalibus intrat ecclesiam, & ante altare maius supra faldistorium procumbens sine mitra aliquantulum orat, Deinde surgens benedicit populo dicens, *sit nomen domini benedictum &c.* Inde cum mitra ascendens ad sedem eminentem sedens recipit ad osculum pedis Canonicos Lateranenses.

Deinde Pontifex, per ipsum pontem ascendit ad palatium Lateranum per portam, quæ est in Ecclesia. Et cum perventum fuerit in prima aula, quæ *aula concilii* appellatur, sedet Pontifex in sede sibi parata apud tabulam lapideam in capite aulæ, quæ dicitur *mensura Christi*, Et hinc inde apud eum stant domini Cardinales. Prior vero Presbyterorum Cardinalium stans ante papam conuenienti interuallo cum

Subdia-

Subdiaconis, Auditoribus, Aduocatis, & Scriniariis facit laudes Domino nostro, vt fecerat Prior Diaconorum in sancto Petro, incipiens, *Exaudi Christe &c.* Prior presbyterorum prædictus, & alii qui faciunt laudes stant detecto capite. Pontifex vero sedet cum mitra; alii Cardinales stant cum mitra. Hoc tamen fieri solebat in introitu ipsius portę in primo plano, antequam ad aulam prædictam veniatur. commode tamē in hunc locum translatus est hic actus, propter illius loci angustiam. Finitis laudibus, papa procedit ad capellam sancti Siluestri, ibi ante portam capellę sunt duæ sedes porphyreticę perforatæ & ibi sedet Pontifex super primam, ad quem Prior Ecclesiæ Lateranensis accedit & genuflexus dat Pontifici ferulam in manu, in signum correctionis, & regiminis: & claues ipsius basilicæ, ac palatii Lateranensis, in signum potestatis claudendi, & aperiendi, ligandi atque soluendi. Surgit deinde papa cum ferula & claûibus & sedet in altera sede porphyretica ad aliam partem, & ibi restituit eidem Priori ferulam, & claues, & ab eodem præcingitur super planetam, sedens cum cingulo quodam sericeo rubro : cum bursa etiam sericea & rubra : in qua sunt duodecim lapides precioſi cum musco. Tum Pontifex præcinctus, & sedens è gremio Cameratii, capit denarios argenteos omnifariam, quotquot potest manu continere, & super populum spargens dicit : *Dispersit dedit pauperibus; iustitia eius manet in seculum seculi.* Et hoc tertio facit. In istis duabus sedibus Pontifex sedet : vt in prima stercoraria.

Ducitur deinde Pontifex ad sancta sanctorum, vbi super faldistorium sine mitra genuflexus orat : Inde surgens cum mitra reuertitur ad capellam sancti Syluestri, in quam intrans sedet super sedem ibi paratam : tum deponit mitram, chirotecas, pallium, planetam, & assumit pluuiale, & mitram simplicem, & sedens dat presbyterium hoc modo : Cardinalibus duos aureos, & duos grossos argenteos. Veniunt Cardinales; & profunde caput inclinant ante Pontificem, porriguntque & mitram apertam, in qua Pontifex immittit pecuniam : illi accepta pecunia manum Pontificis osculantur : pecunias capit Pontifex è gremio Cameratii Alii prælati genuflectunt ante Pontificem, & accipiunt in mitra vnum aureum, & vnum grossum : & osculatur

dextrum genu Papæ: alii vero Prælati & Officiales accipiunt in manu tantumdem,& oſculantur pedem. Dato Presbyterio,Pontifex cum Cardinalibus aſcendit ad palatium Lateranen. & ſi non facit ſolemne conuiuium, deponit paramenta ſua: intrat cameram:quieſcit,& prandet,ſeu cœnat. Cardinales ducuntur ad cameras ſibi ordinatas,quieſcunt,recreantur, & expectant Pontificem, ſi vult redire ad ſanctum Petrum eodem die, Sin autem,reuertuntur domum.

De Conuiuio ſolemni Pontificis cum Cardinalibus, & Prælatis,

CAPVT IV.

SED quoniam maiores noſtri conſueuerunt in die coronationis,& feria quinta in Cœna domini ſolemne conuiuium celebrare iiſdem ferme cerimoniis: aliquid etiam de ſolemni Papali conuiuio hoc loco dicemus. Maxime cum etiam noſtra ætate factum ſit à Pio ſecundo : & Paullo item ſecundo ſummis Pontificibus.

Parabitur igitur aula conuiuii: aulæis , & pannis ſericeis, aureiſq;,pro temporis, & loci conditione. In capite aulæ erit ſuggeſtus,ad quem triplici gradu aſcendetur,longus pro latitudine aulæ: in medio ſurget quadratus thalamus palmi altitudine: ſuper quo menſa paratur Pontificis : apud parietem erit ſedes Papalis,ad quam paruo,& deinde magno ſcabello aſcendetur,ornabiturq; ſedes cum panno aureo pendente ſupra caput : menſa erit alta ad iuſtam proportionem ſedentis. A ſiniſtra ſuper ſuggeſtum , parabitur alia menſa pro credentia Papæ cum vaſis aureis,& argenteis,vino,& aqua, & aliis conſuetis. *Credentiam* appellant menſam , ſupra quam vaſa argentea , ſiue aurea ad conuiuium opportuna præparantur. Et ſimiliter in diuinis,ſupra quam ad ſacrificandum neceſſaria cõtinentur. Dicitur & credentia actus ipſe præguſtationis cibariorum,& aliarum rerum. Hæc exponere volumus,quoniam crebro de credentia mentionem facturi ſumus. Antiqui cerimoniarum codices *Dreſſatorium* dixerunt. A dextra parte aulæ,infra ſuggeſtum parabuntur menſæ pro Epiſcopis,& Presbyteris

byteris Cardinalibus:& paullo inferius,pro aliis Prælatis: & pro Cardinalib. erunt aliquanto altiores, & sedilia habebunt gradum vnum,super quē tenebunt pedes Cardinales: A sinistra è regione mensæ Cardinalium parabitur mensa pro Diaconis Cardinalibus eiusdem altitudinis & cum gradu. Et inferius aliæ mensæ pro Oratoribus,nobilibus,& Officialibus: In fine aulæ,vel in aula præcedente,si erit commoda, parabitur magna credentia cum pluribus gradibus ad magnificentiam : & alia super longam mensam cum vasis, quibus in communi vtentur.

Si huic conuiuio interesset Imperator, paratur pro eo sedes ad dextram Pontificis & mensa super plano suggesta,super quā solus comedet Imperator. Sedes habebit scabellum paruum viride,& erit ornata panno aureo ; non tamen habebit pendentem supra caput:similiter parabitur pro eo credentia iuxta credentiam Papæ à sinistris , & ibi erunt familiares Imperatoris pro suo seruitio. Si vero adesset Rex aliquis, paratur credentia pro eo paullo remotior ab ea. Sedes vero nulla paratur : quia sedet in mensa post primum Episcopū Cardinalem. Imperator siue Rex habebunt tot seruitores, quot eis opportunum videbitur. Cardinalibus vero singulis sufficiunt quaterni ministri, quorum vnus vinum propinet, alter carnes concidat,alter de cultello fercula inferat, quartus prægustet vinum,& aquam,& alia submini strret. Pontifici seruire solent nobiliores , qui sunt in curia laici , etiam si sint fratres, aut filii Regum;præsertim in illorum præsentia. Pontifex igitur cum paramentis Pontificalib. si celebrauit illa die vsq; ad Dalmaticam inclusiue, & cum sandalis indutus, supra Dalmatiam manto rubro aperto à parte anteriori,& mitram habens in capite supra fauonem , medius inter Diaconos ducitur ad mensam. Cardinales & Prælati omnes habent superpelliceum super rochetum,siue supra vestes sui ordinis, si sint religiosi , & mitram albam in capite , supra superpelliceum. Cardinales & Prelati seculares habent mantellum sine cauda apertū à parte ante,& coloris violacei siue obscuri. Religiosi vero coloris sui ordinis,sed eodē modo apertos. Cęteri omnes in suo habitu quotidiano. Aderunt familiares Pontificis & alii seruitores in copia. Aderunt etiam seruientes armorum bene ornati cum suis baculis argenteis, qui præire debent ante portantes fercula, & remouere multitudinem à via.

Magiſter ſacri hoſpitii, & magiſter domus, prouideant in tempore de modo & ordine ferculorum, De ſeruitoribus, qui prius, & qui poſterius: & ꝙ quælibet menſa habeat præfectos ſuos: quæ vero prius, quæ deinceps & ꝑ quos ferenda, & ſic de aliis reb. opportunis. Pōtifex remota prius menſa, ad partem, ſedeat in ſede cū mitra & mantū poſt collū apertū, vȝ nihil ante pectus dependeat. Cardinales, Principes, & Prælati & alii conuiuæ ſtent ante menſas paratas. Nobilior laicus, ēt Imperator, aut Rex, aq̄ ad lauandas Pontificis manus, primo ferat hoc ordine. Magiſter ſacri hoſpitii cū clerico cerimoniarum, quē adeſſe oportet in ordinandis his reb. omnib. aut Rex aq̄ ferre debet cum aliquib ēt Principib. ſociatis: Imperatorem aut Regē ad credentiā ducit. Si eſt nobilis inferior: ſolus erit, & in credentia aq̄ prius à miniſtris probatā accipit in peluib. fertq; conſuetis cerimoniis ad Pontificē, præeunte vno ex auditorib. cū mantili ad tergendū manus. Prior Epiſcoporum Cardinal. ū, & duo Diaconi aſſiſtentes; depoſitis in manibus ſeruitorū mantellis & mitris, ſic in rochetto ſeruiunt Papæ dū lauat, Epiſcopus aq̄ cum portante infundēdo: & Diaconi mātile, ꝙ ab auditore acceperāt hinc inde tenenda. Dū Papa lauat manus, Prælati & laici omnes genuflectunt, Cardinales & Prelati ſtant capitę detecto Cū Papa lauerit, reaptetur mē ſa ante eū: & tres Cardinales qui illi ſeruierant capiunt ſuos mantellos, & mitras: & vadunt ad loca ſua, & Imperator apud ſedē ſuā primo ſtans lauetur ſuis cærimoniis, deinde domini Cardinales lauentur ſtantes ante menſam cū mitris in capite; poſt eos lauentur Prælati ſtantes ſine mitris, & ſeculares (ſi q ſunt) detectis capitibus. Strabunt ante menſas lauantes eo ordine, quo ſedere debent in menſa, Prior Epiſcoporū in capite ad dextrā: ſi aderit Rex aliquis, erit in ſecundo loco ſi plures Reges, mixti erunt cū primis Cardinalibus: primo Cardinalis, deinde Rex ſucceſſiue. Si erunt mixtim principes, aut filii, vel fratres regū, Si non ſeruiunt Papæ, debēt ſedere inter Diaconos Cardinales, vel poſt eos pro eorū dignitate, & conditione, Primogenitus aūt Regis, quia Rex futurus putatur, *poſt* primum Presbiterum Cardinalem erit, ſed nullo modo inter Epiſcopos Et hōc tam in conuiuiis, quam aliis publicis actibus: quamuis noſtro tempore aliquorum ſiue ambitione, ſiue ignorantia aliquando ſit ſeruatum contrarium.

Conſueuerunt antiqui ponere Patriarchas quatuor Eccleſiarum

ſarum principalium inter Epiſcopos Cardinales mixtim. noſtro tempore (credo propter declinationem, ſiue potius extinctionem illarum: cum ſint quodammodo titulares:) ponuntur immediate poſt Cardinales, Deinde aſſiſtentes Papæ, tum Oratores Prælati, inde Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates, Subdiaconi, Auditores, Clerici cameræ, & Acoluthi Ad ſiniſtram vero erunt & cum eis Principes, quos prius diximus (ſi aderunt) poſt eos autem ſi præſentes erunt alii principes inferiores illi tamen, qui ſolent præcedere Oratores Regum. Deinde erunt Oratores laici, & non Prælati, & cum eis Senator, & tres Conſeruatores vrbis. De aliis autem laicis, qui ſunt extraordinarii, nihil ponimus, nam admitti ſolent ad voluntatem Pontificis, & non ordinarie.

Aduertat tamen Magiſter domus, vt prius cum clerico cerimoniarum ponat in ſcriptis nomina, & ordinem inuitatorum ad conuiuium, & maxime laicorum: & ſi quæ ſunt contentiones de præſidentia, componantur prius: quod ſi ibi orirentur, ſi nolunt componi, ambo contendentes honeſte iubeantur exire: ſi tamen eſſet colorata contentionis cauſſa, & non temeraria, quia tunc ſolus temerarius eiiciendus eſſet.

Quod autem de Imperatore dicimus, intelligimus de Imperatore Romanorum, non autem Græcorum; nam ille vt Rex tractatur. Poterunt lauari poſt primos plures eodem tempore. Poſtquam omnes lauerunt, Pontifex benedicit menſam ſtans ſine mitra: & tunc Diaconi aſſiſtunt, Finita benedictione ſedet, Imponitur mitra, & Diaconi vadunt ad loca ſua, & ſedentibus omnibus ordine, quo ſteterant, portantur fercula. Primum ferculum portabit nobilior Princeps, ſiue Imperator, ſiue Rex ſit. Secundum alius dignior poſt eum, & ſic ſucceſſiue, etſi erunt ex illis qui debeant ſedere in menſa: portato ferculo ſedeant in loco ſuo. Et notandum quod Imperator, Rex, ſeu maximus Princeps capit ferculū, quod portare debet ad pontificē extra portā aulę conuiuii ab aliquo familiari Pōtificis illuc apportatum. Alii inferiores pro ferculo ad coquinam vadunt: magiſter ſacri hoſpitii, & magiſter domus baculos in manibus tenentes, & in habitu ſibi condecēti deducunt portantes fercula, quæ quidem fercula, ad Pontificem & Imperatorē tantum cooperta portari debent: aliis au-

tem, etiã regib. detecta, & similiter vinum. possunt tamẽ portari, & debent maximis Principibus vsq; ad aulam conuiuii, & deinde antequam appareant in conspectu Papæ, detegi. Itẽ in præsentia Pontificis nulli omnino fit publice prægustatio, nisi ipsi Pontifici, & Imperatori tantum: pro Rege autem, aut maximo Principe poterit fieri à suis si voluerint in credentia, vel vbi capiunt fercula. Pro Pontifice & Imperatore fiet ibi, vnde capiuntur à dantibus, & in mensa à portãte, & de omnib. rebus. Cum primum conuiuium incipietur in loco conuenienti, ponatur pulpitum: & Subdiaconus, siue Capellanus Papæ aliquid de sacra scriptura legat vsq; in fine conuiuii. Interim cum silentio, & sine strepitu omnia administrẽtur quam diligentissime. Cum Pontifex biberit, consueuerunt omnes astantes propter Episcopos, & superioris dignitatis viros genuflectere, quod seruari nostris temporibus vidimus; quamuis in nullo cerimoniarum libro id legerimus. Epulis abunde subministratis, fit secunda lotio manuum, & tunc secundus nobilis laicus portat aquam consuetis ceremoniis: Prior Episcoporum Cardinalium & duo Diaconi dimissis mantellis, & mitris, vt supra, seruiunt: deinde reuertuntur ad loca sua: lauantur & alii ordine suo, quo supra, sedentes tamen. & dum Cardinales lauant, vnus seruit alteri de mantili illud explicãdo, & tenendo, dum alius lauat & sic succesliue. Ponuntur deinde vinum & confectiones, siue species, vt habent antiqui codices: & demũ finito conuiuio lector dicit: *Tu autem Domine miserere nobis*, nisi sit in cœna domini quia tunc nõ profertur, *Tu autẽ*. Surgit Pontifex sine mitra, assistunt ei Diaconi, & redduntur gratiæ, vt in ordinario. Omnib. completis reducitur Pontifex ad cameram suam, & alii ad propria diuertuntur.

Si autem solemne conuiuium huiusmodi fiet in die, quo Pontifex sacra publice nõ celebrauerit, omnia, vt p̃dicta sunt, seruabuntur, nisi de sacris vestib. Papa indutus amictu, alba, longa, cingulo, stola preciosa, & manto rubro, cum paruo caputio subtus: siue, si calores erunt, sine manto cum caputio tantum ducetur ad mensam. Cardinales & Prælati erunt in mantellis consuetis sine superpelliciis, & sine mitris: alia omnia vt supra. Aduertendum tamen quod nunquam in conuiuio Pontificis admittuntur mulieres, etiam si Imperatrix, Regina, vel Pontificis consanguinea esset.

Hactenus Liber Cæremoniarum.

Quando-

Quandoquidem autem sæpe hic facta est mentio de Pallio, operæ pretium visum est addere quomodo paretur.

PRomoti ad Metropoliticas seu Parochiales Ecclesias, etiamsi sint consecrati Episcopi, appellantur Archiepiscopi: neq; Patriarchæ, nisi prius acceperint Pallium de corpore beati Petri sumptum, sed electi ad illas Ecclesias: & translati de vna Ecclesia Metropolitana ad aliam non possunt vti Pallio, quod acceperat in prima sua Ecclesia: & minus Pallio prædecessoris defuncti seu translati, sed oportet, quod de nouo petatur Pallium & obtineatur: & interim non possunt neque consecrare, synodum celebrare, & alia pleraque Pontificalia exercere. Debent autem petere Pallium per se, vel Procuratorem intra tempus sex mensium. Sunt & quidam Episcopi, qui ex indulto Apostolico Pallio vtuntur, vt Lucen. in Tuscia, Papien. in Lombardia, Bambergen. in Germania. Et si qui alij, quo vti debent infra suas Ecclesias, diebus & modo in priuilegiis à sede Apostolica illis concessis. Cura conficiendorum & conseruandorum Palliorum ad Subdiaconos Apostolicos pertinet, qui ex lana munda & alba illa hoc pacto cõficiunt. Sanctimoniales monasterij S. Agnetis, vel religiosæ, qui sunt in illa Ecclesia, offerunt quotannis Agnos duos albos super altare illius Ecclesiæ in die festiuitatis S. Agnetis, dum in missa solemni cantatur, Agnus Dei. Qui Agni recipiuntur à duobus Canonicis Ecclesiæ Lateranen. & ab eis postea consignantur Subdiaconis Apostolicis, qui Agnos ipsos in pascua mittunt, quoad veniat tempus tondendi ipsos Agnos opportunum. Ex his Agnis lana tondetur, quæ mixta cum alia lana alba & pariter munda, reducitur in filum, ex quo Pallia huiusmodi contexuntur, latitudine digitorũ trium redacta in orbem, ita vt humeros præsulum ambiant, à pectore & renibus particulam pendentem habet Pallium longitudinis palmi & senis, & in eius extremitatibus laminas plumbeas tenues ad parem latitudinem in fine orbiculatas, nigro serico tectas, insutas supra pendentes particulas ante & post & super humeros vtrosque. Sic confecta Pallia per Subdiaconos Basilicæ portant ad Basilicam Principis Apostolo-

rum,& per Canonicos Basilicæ ponuntur super corpora Petri & Pauli Apostolorum sub altari maiore; vbi factis ex more vigiliis, illa per noctem dimittunt, deinde restituunt Subdiaconis,qui in loco honesto ea conseruant. Vsus autem Pallij huiusmodi, in quãtum potuimus explorare, antiquissimus est, & à Lino Pontifice Petri Apostoli immediato successore habuit originem. Ita enim scriptum legimus à Maximo Episcopo in Homilia de veste sacerdotali: *In lege gratiæ antiquũ est illud nostrum Ephoth, id est Pallium, quod nostri Patriarchæ arbitrantur à Lino post Petrum Secundo Roman. Pontifice institutum & in singulare potestatis priuilegium nostris Deo plenis Præsulibus datum* Et Eusebius Cæsariensis in sermone de Epiphania scribit; *Nihil antiquius veste illa sacerdotali Præsulis nostri, qua illi vesti de veteri testamento successit bysso auroque contexta, qua in signum pleniſſimæ potestatis primus Linus amictus est, cui & typum dedit & nomen, vt à veteribus accepimus scriptoribus, quam appellauit & Pallium.* Cum autem aliquis Prælatus indiget Pallio, illud primo per quempiam ex Aduocatis Consistorialibus Procuratorem ab eo ad hoc specialiter constitutum à summo Pontifice in Consistorio, instanter, instantius, & instantissime petitur. Pontifex exclusso Aduocato exquirit Patrum sententias, an dandum sit Pallium: deinde committit Priori Diaconorum, vt Pallium Prælato vel eius Procuratori assignet. expediuntur super ea re literæ Apostolicæ in forma cõsueta, & Prior Diaconorum Cardinalium imponit locum & diem, vbi & in quo Pallium cõsignare debeat. Id plerumq; fieri solet in domo ipsius Cardinalis in sua capella: interdum autem in Ecclesia S. Petri, & super maius altare, & valde condecenter; maxime pro maximis Ecclesiis & vltramontanis. & ita vidi seruari à reuerendissimo domino Cardinali Senensi priore Diaconorũ. Statuta die Prælatus, si est præsens vel eius procurator in absentia cum speciali mandato venit ad locum ordinatum. Adsunt dominus Prior Diaconorũ Cardinalium & Subdiaconus Apostolicus cum ipso Pallio, qui Pallium explicat super medium altaris. Prælatus si est præsens, indutus super rochetum siue superpellitium planeta genuflexus in gradu altaris ante priorem Diaconorum stantem in cornu dextro altaris. Vbi legitur Euangelium, petit sibi dari & consignari Pallium his verbis:

bis: *Ego N. electus Ecclesiæ N. instanter, instantius, instantissime peto mihi tradi & assignari Pallium de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii.* Tunc dominus Prior Diaconorum accipiens Pallium de altari, imponit illud super humeros Prælati genuflexi dicens, *Ad honorem omnipotentis Dei & beatæ Mariæ semper virginis atq; beatorum Apostolorum Petri & Pauli, nec non Ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii* (cum Patriarchalis vel Archiepiscopalis nominis appellatione) *vt vtaris eo infra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in priuilegiis ab Apostolica sede concessis. In nomine patris & filii & Spiritus sancti, Amen.* Et illud cum Subdiacono aptat, non tamen infigit spinulas: & recipit illum ad osculum pacis. Demum Clericus ceremoniarum extrahit illi Pallium, & aduocatis testibus, rogat se de illo actu: plicat Pallium, & illud portat ad dictum Prælatum; vel illud reseruat in loco sacro, quoad Prælatus recedat, & tunc dat illi Pallium cum publico instrumento. Vidi etiam cum essem magister ceremoniarum, Sixtum Papam Quartum manibus propriis dedisse Pallium Patriarchæ Constantinopolitano, domino Hieronymo Laudo Veneto, tunc Archiepiscopo Cretensi: quod tamen, vt arbitror, non puto multum condecens esse, cum traditio Pallij proprie ad Diaconum spectet, & ipsi Romano Pontifici in sua coronatione & consecratione nemo imponat Pallium, nisi Prior Diaconorum. Si autem Pallium tradendum sit Procuratori in absentia Prælati, Procurator indutus superpellitio genuflectat, vt de Prælato diximus, & petit Pallium & iurat in hanc formam: *Ego N. Procurator, & Procuratorio munere vel nomine & pro parte Reuerendi in Christo patris & domini domini N. electi Ecclesiæ N. instanter, instantius, instantissime peto mihi tradi & assignari Pallium de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii, & promitto illud reuerenter portare eidem Reuerendo patri domino N. nec pernoctabo in aliquo loco nisi vna nocte tantum, nisi prapeditus fuero legitime, & tunc in Cathedrali ipsius, & si non fuerit Cathedralis sit collegiata, & si non fuerit collegiata, in parochiali Ecclesia, remittam & honorifice reponam. Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei Euangelia.*

Diaconus autem Cathedralis accipiens Pallium de altari imponit illud ſuper humeros Procuratoris, dicens, *Ad honorem omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & domini noſtri Papæ, ac S. Romanæ Eccleſiæ, aſſigno tibi Pallium de corpore beati Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo officii, cum Archiepiſcopalis nominis appellatione: nomine & pro parte Reuerendi in Chriſto patris domini N. & Eccleſiæ N. ad quam electus eſt vt eo vtatur infra Eccleſiam ſuam certis diebus: qui exprimuntur in priuilegiis ab Apoſtolica ſede conceſſis.* Et in fine Procurator oſculatur illi manum, & rogat Clericum ceremoniarum, & petit inſtrumentum: Clericus extrahit illi Pallium: plicat, & reportat, & conſeruat in loco ſacro quouſque Procurator ſit diſceſſurus, & tunc dat illi Pallium & inſtrumentum in publica forma.

Qui pallium ſunt accepturi, poſtquam fuit petitum in Conſiſtorio & conceſſum, componunt primum cum Subdiaconis, (nam illi vt diximus tenent Pallia) qui accipiunt ſecundum valorem, & taxam Eccleſiæ, aliquando plus, aliquando minus pro centenario. Et quia vidi varios vſus, & nihil firmi ſtatutum legi; de quota nihil dicam. Clerici Ceremoniarum, & ipſi ratione officij ſui & inſtrumenti mercedem ſuam exigunt etiam, ad proportionem taxæ & valoris Eccleſiarum; non tamen tantum quantum Subdiaconi. Solent etiam, qui Pallium accipiunt, Diacono Cardinali duo Bireta, & totidem ſuis Camerariis dono dare. antiquitus dabant, vt legi, vinum album, & ſpecies: portabant etiam duas Faculas cereas, quæ ardeant ſuper altare dum Pallium traditur, & ſericum ad induendum Pallium, cum quo illud ad Eccleſiam ſuam deferunt.

FINIS.

G. Vllm. 21.